Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

18. C

4. D. 17

1. 4. 18.
4

IN

ECCLESIASTICVM COMMENTARIVS PIVS ET DOCTVS,

Authore

PAVLO DE PALACIO GRANATENSI, D. HENRICI LVSITANIÆ Regis, & S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Concionatore : & D. Catharinæ Luſitanorum Reginæ Eleemoſynario : & S. Literarum in Inclyta Conimbricenſium Academia Enarratore.

Cum INDICE *rerum inſigniorum, & Capitum.*

Nunc primùm in Germania emendatiùs editus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex legato Illustriss. Cocini



SOC. IESV BIBL.

COLONIÆ

Apud Geruinum Calenium, & hæredes Iohannis Quentelij. ANNO M. D. XCIII.

Cum gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

5

ILLVSTRISSIMO, ATQVE REVERENDISSIMO DOMINO D. GEORGIO AB ALMEIDA,

Archiepiſcopo Vlyſſiponenſi, & ſummo per Luſitaniam de fide Cenſori, Paulus Palacius Salazarius

S.

CVM aduerſa me valetudine vrgente, & cogente, diſcederẽ ex Luſitanorum inclyta Conimbricenſi Academia, quam Reuerendiſſima Dominatio tua, ſumma cum laude, per multa tempora gubernauit: & in qua ego non ſine ea, ſacras literas, per ſex annos enarraui: nactus tãtum otij, quantum aliæ curæ indulgebant, ſtudijs Diuinæ Scripturæ me totum propenſiſſimè tradidi, & mancipaui. Circunſpe-

xi igitur, quis liber è Sacris eſſet, qui enarratoribus careret. Viſusq; mihi eſt liber Ieſu, filij Sirach (quem Eccleſiaſticũ ſancta vocat Eccleſia, paucis explicatoribus gaudere. Certè paucißimi ad meas manus deuenerunt. Statim in animũ induxi, vt eum librũ Commentarijs illuſtrarem. Progreſſus iam multum eram in eius libri commentatione, cùm commodum allatus eſt mihi Reuerendiß. Cornelij Ianſenij ſuper eum Commentarius. Quem cùm legere cœpiſſem, deſpõdi actutũ animum: & me meorum laborum, quos exantlauerã, tædere cœpit. Sed progredior legendo, & cùm interiùs penetro, cœpi dicere, Suum cuiq; pulchrum. Et ſua cuiq; placent, & mea mihi. Et, Abundet quiſq; in ſuo ſenſu. Inueni etenim, me multa quidẽ (abſit precor inuidia verbo) magis Theologicè: plurima magis apertè: omnia ferè multò aliter, atque ille, expli-

plicauiſſe. Reſumptis ergo viribus, magno animo, magna diligentia, magnoq́ labore Cõmentarios meos abſolui. Quos tibi Illuſtriſs. Præſul dicare, & nũcupare conſtitui. Id à me exigente tuo fauore & amore: quo me ſemper es proſequutus. Et cui, obſecro, librum hunc Theologicũ digniùs conſecrarẽ, quàm R. D. tuæ, cui de rebus Theologicis, ſumma in hoc Regno commiſſa cenſura eſt? Et à quo tandem liber hic, aut autoritatẽ maiorem, aut protectionem ſecuriorem ſperare poterit, quàm à R. D. tua? Vt igitur alios libros meos hoc honore affeciſti, vt eos tua inſigni bibliotheca dignareris: ita & hunc, tibi dicatum, eodem honore te affecturum, certò confido.

VALE.

APPROBATIO.

EGo Frater Bartholomaeus Ferreira, De mandato Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Georgii de Almeida Inquiſitoris Generalis, & Archiepiſcopi Vlyſsiponenſis, digniſſimi, perattentè legi Commentationes has in Eccleſiaſticum, Pauli de Palacio Sacræ Theologiæ profeſſoris, quas omnes præclaras cenſeo, nec exiguam doctis ac pijs hominibus vtilitatem allaturas: ſunt enim eruditæ, piæ, & religioſæ. Quæ nulla in re, vt arbitror, Catholicæ fidei aduerſantur, nec ab ea diſſonant. Quam ob rem dignæ ſunt, quæ prælo mandentur. 4. Octobris. 1579.

F. Bartholomæus Ferreira.

IN.

INDEX RERVM INSIGNIORVM, QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

Aronis crimẽ. 121. laus, veſtes. 695. poteſtas. 701
Aarõis Sacerdotes quomodo plebi benedicebãt. 571
Abraham. 687
Adam nouit incarnationem Chriſti, & nomen Ieſu. 311
Adam ſummus Philoſophus, Theologus. 309. 746
Adam creatio. de quo nimis multa. 306. & ſeq.
Adulator annuens oculis, malorum cauſa. 463
Adulterium. 392. & ſeq.
Æternitas Dei vnicum nunc. 329. 657
Agricultura. 169
Alchimiſtæ. 247
Amicitia ſanctè ſeruanda. 136. 137. & multa de ea. 140. 141 143. 144
Amicitia ꝑ quę diſſoluitur. 378
Amicus corripiendus. 340
Amicus reconciliatus. 247
Amico cui fidendum. 142. 143
Angeli cælorum motores. 303
Anima in rebus dubijs conſulenda. 526. 581. 582. 587
Anima quomodo pretioſior rebus alijs. 116
Annus cognoſcitur ab Albategni. 21
Annus mũdi quotus erat, cùm Author ſcripſit. 20
Anni quomodo numerantur ab Aſtrologis. 21
Architriclinus. 517
Arij hæreſis victa. 401
Aſtrologi. 20
Aſtutia non eſt Sapientia. 363
Auaritia. 123. 211. 212. 232. 266. 269. 391. 454
Audaces. 191. 361
Auertens ſe à peccato nõ ſpernendus. 186
Auguria. 541
Aureola doctorum. 283
Aurum baſiliſcus eſt. 123. vitã minuit. 124. de auro multa. 502. 503
Auxilium gratiæ. 382

B

Balſami vineę translatę ex Gaddi in Ægyptum. 408
Beatitudo in Dei viſione. 152
Beatitudo quã ſperamus, qualis. 331
Beatus poſt mortem. 238
Beatus, quis ſit. 262. 264. 265. vbi multa.
Beatus, vir bonæ vxoris, & amicus amici veri. 433. 434
Beatus diues, quis. 504
Belial. 771
Bellator inops. 452
Bilinguis. 135. 471
Blaſphemia. 388
Bona & mala vera. 433
Bonorum genera decem. 433. 434 435
Bona temporalia ſunt mendacium: ſpiritualia ſunt veritas. 457
Bona tẽporalia ante mortem nulli relinquenda. 535. 536

† 4 Cæli

C

CÆli tres. 299. 303
Cælorum motores. 303
Caro & ſanguis. 321
Caro odiēda & venerāda. 468
Caro peccatorũ radix & ſentina. 321
Caſtitatis cura carnem excedit. 500
Caupones. 452
Charitas eſt veritas. 512
Charitas glutē eſt. 53. hoc gluten vnde fiat. 53
Charitas non quærit ſua. 122
Charitas quomodo creſcat. 54
Chriſtus pater noſter. ideo theſaurizat nobis. 122
Chriſtus ſit cōſiliarius noſter. 142.
Chriſtus verè amic⁹. 144. Qualis nobis eſt. 146
Chriſtus modicum in cruce laborauit. 150
Chriſtus nobis reconciliat. 378
Chriſtus frequens in ore Pauli. 386
Chriſtus dat quicquid habet. 409
Chriſtus nihil habet impurū. 412
Chriſtus Terebīthus, vitis. 413
Chriſtus quomodo fructificat ſuauem odorem. 413
Chriſtus, cibus. potus, oīa. 417
Chriſtus, ꝓmiſſus Dauidi. multa de hoc. 420
Chriſtus deſcendit ad inferos. 429. inde eduxit animas quæ erant in Purgatorio. eod.
Chriſtus nobiſcū vſq; ad conſummationem ſeculi. 429
Chriſtus oēs inuitat ad ſe. 430
Chriſtus piorum indumētum. 457. eſt iuſtitia. habitat in nobis. eod.
Chriſtus gloriatur de conuerſione hominum. 491
Chriſtus vt viuat in nobis procurandum. 491
Chriſtus fecit inſulas maris. & de eo multa. 673
Chriſtus benedictio omnium gentium. 689
Chriſti in ſuam Eccleſiam beneficia. 427
Chriſti laudes eximię. 547. 548
Chriſti ſanguine ſolum, peccatum curari poteſt. 359
Chriſti ſeptupla pœna. 160
Chriſto magni conſtitit reuelare veritatem. 118
Chriſtianus populus ſucceſſit Iudæo. 569
Chriſtiana Sapiētia cōprehendi naturaliter nō poteſt. 424.
multa de ea. 429. 430
Chriſtianitas non eſt animo deiecto. 165. 203. 487.
Cleopatra. 408
Cogitatus, authori eſt intellectus. 382
Cogitat de Deo ſemper, qui amat. 87
Concubina vitanda. 176
Cōcupiſcētię mortificatio. 334
Coniugium. 574
Conſiliarij principum. 464
Conſilium quærendum. 524. 543. 578
Conuiuium. 516
Conuiuia. 202
Conuiuia antiqua. 516

Contentio vitanda. 470
Cor durum. 90
Cor ingrediens duas vias. 91
Cor nequam. 92
Cor quomodo cognoſcet. 377
Cor ſapiens quale. 94
Cor eſt voluntas. 382
Cordis veſtigium eſt facies. 261
Cordis moderatio. vide Inſtitutio cordis. effectus. 584
Cornelius Ianſenius. epiſtola dedicatoria.
Correctio fratris. 340. 360. 523
Creatio mũdi per ſex dies. 323
Creatura quæuis contrarium habet. 660
Creaturę Deo obediũt. 622. 660
Culpa nulla ſine pœna. 164
Curioſitas in ſcientijs. 85. 86. mala ex curioſitate prodeuntia. 89

D

Dauidis laudes. 716. & inde.
Deus quomodo in corde ſedet. 50
Deus aquila eſt. 52
Deus quomodo ſuſtinẽdus. 53
Deus coniungitur homini. 53. quomodo creſcere dicatur. 54 quomodo purgat hominẽ. 55
Deus adiutor in opportunitatibus. 55 velut obligatur ſuccurrere confidenti. 58
Deus triplex genus hominum nunquam deſpicit. 58
Deus omnia in Iudicio inſpiciet. 62. Nunc videtur nõ videre, nec audire. 62
Deus quomodo timendus, fuſe. 63
Deus exactiſſimè vult ſeruari ius cuique ſuum. 70
Deus cum pijs ambulat in tentatione. 109
Deus quomodo ſe homini credit. 111
Deus nos totos vult, non partem. 153
Deus hoſtis impij. 170
Deus reſpiciendo ditat. 228
Deus diligendus ſemper. 256
Deus dat bona & mala. 229
Deus peccati cauſa non eſt. 230
Deus auis, & arbor. 278. 276
Deus eſt omne. 675
Deus malos reprobans non eſt iniuſtus. 290
Deus omnia videt. 290. 299. 300. 313. 395
Deus nunquam peccare permittit. 291
Deus nulli peccare pręcipit. 291
Deus incomprehenſibilis. 327
Deus fatuos vix ſuſtinet. 375
Deus pater, & dominator. 381
Deus omnia videt. 657
Dei benedictio. 618
Dei beneficium maximũ, pœnitentia. 315
Dei domus, aula, cellarium. 277. 278
Dei donum bonus amicus 147
Dei laudes eximiæ. 547. 655
Dei miſericordia. 296. 322. 324
Dei nomẽ nouũ, Exoratio 295
Dei oculi infinities Sole lucidiores. 393
Dei opera perfectiſſima. 324
Dei ſumma patientia. 126
Dei theſauri. 668
Deo bella mouẽt homines. 125

Deo omnia ſeruiunt. 660. 667
Deum donorum ſuorum non pœnitet. 251
Diabolus. 248. 368. 620
Dilectio Dei eſt ſapientia. 16. 32. ſemper fuit cum Deo. 18. Sapientiæ Diuinæ aſſimilatur. 19
Dilectio de qua loquitur Author. 32
Diſciplina quid. 25
Diues bonus quæ miracula faciat. 505
Diues cauendus. 184. 251. 252. 254. 257. 259.
Diues parcus. 266. 267. 268. 270
Diuites decepti. 352
Diuitiæ. 226. 232. bonæ ſunt. 260. bene reconduntur. 267. ſunt cauendæ. 502
Diuitiæ ſunt ſors & pars iniquitatis. 269. ſunt tentatio. 505
Diuitiarum cura. 501
Doctrina quid. 117
Dona faciunt miracula. 357
Dorix, & Diorix. 426
Duplex corde. 47. 59

E

Eccleſia Deum per ſuũ Filium rogat. 763
Eccleſiaſticus quis fuerit. 10
Eccleſiaſticus quo tẽpore ſcripſit. 62
Eccleſiaſticus vltimus ſcriptor legis veteris. 535
Eccleſiaſticus nouit hunc librum ab omnibus fidelibus legendum. 525
Eccleſiaſticus laudat Deum ſuum liberatorem. 759
Eccleſiaſticus Filiũ Dei agnoſcit & laudat. 762. 763
Eccleſiaſticus quomodo Sapientiam acquiſiuit. 765. 766
Eccleſiaſticus ex verſione vulgata canonicus eſt. 14
Eccleſiaſtici liber ſemper fuit magnæ authoritatis. 1. Non erat receptus tempore Iudæorum in canonem. 3. Nunc receptus ab antiquo. 4. olim tribuebatur Salomoni. 5. Sed reuera à Ieſu filio Sirach editus eſt. 7. eius titulus olim erat Misle, id eſt, Parabolę. 9
Eccleſiaſtici enarratores. 15
Eccleſiaſtici oratio in Iudæorum calamitate. 563. 565
Eccleſiaſtici ſubſignatio. 758
Eccleſiaſticũ, eius nepos Græcè vertit. 11. Eius verſio Latina Hieronymi non eſt. 14
Eleemoſyna filij pro matre. 80
Eleemoſynæ laus. 94. 95. Non eſt differenda. 96. 97
Eleemoſyna qualis eſſe debeat. 165. 166. 329
Eleemoſyna quibus danda fuſè. 241. 242. 243. quomodo proſit peccatori. 243
Eleemoſynę laudes. 313. 314. 483
Eleemoſynæ diuitum. 506
Elias. 727. Septem eius miracula. 728. 729. 730. Veniet ante diem Iudicij. 731
Eliſæus. & 16 eius miracula. 732.
Enoch tranſlatus in paradiſum. 685. 744
Ephod. 697
Euchariſtia. 417

Ezechias. 734
Ezechiel. 741

F

FAma aliena ſit inuiolata. 134
Fatui deſcribūtur. 364.365.366
Fatui mutantur vt luna. 459.
Fatui nihil timent. 376
Fatui vitandi. 374.375
Fatuorum gratiæ, verba, dona, negocia. 351.352
Fideiubere præcipit Dominus. 484.485
Filius Dei agnitus ab antiquis. de quo multa. 763
Filio Dei appropriatum eſt Sapientia, Notitia, Verbum, Intellectio. 17
Filium Dei antiqui cognoſcebant. 763
Filium Dei omnes electi amauerunt omni tēpore. 405.407
per Filium Eccleſia Patrem rogat. 763
Filij Dei ſunt ipſa obedientia, & dilectio. 68
Filij pro peccatis parentum ſuorum orent. 71
Filij ſuos parentes honorātes, à ſuis filijs honorabuntur. 73. & benedicentur à Deo. 76. etiam in morte. 77
Filij qui ſuos parentes honorant, diutius viuent. 74
Filij ſeruiant parētibus vt dominis. 75.76
Filij & filiæ peruerſi. 371
Filiæ, vt educādæ. 447. & cuſtodiendæ. 652.653
Filios ſui parentes obligare poſſunt. 69
Firmitas animi vt comparatur. 131
Flumina paradiſi, quæ, & vbi. 423.
Fornicatio vitanda. 391
Frutex peccati, libertas arbitrij. 92
Funiculus triplex, quo anima Deo ligatur. 61

G

GEon flumen paradiſi. 425
Gratia & virtutes non gignuntur, ſed creantur. 109
Gratia paradiſus eſt. 632
Gratiæ myſteria excedunt naturam, ſed ſunt proportionata fidei. 85
Gratiarū actio pro beneficijs. 349

H

HOminis miſeria. 320.321. 327.624.625.626.
Homini neceſſaria. 618.619
Homines ſemper labimur. 282
Homicida eſt, qui pauperem mercede defraudat. 551
Honor quid. 73
Honor hominū timor Dei. 218
Honor mundi fallax. 224
Honorandi parentes. 73
Hoſpitari in domo aliena. 488
Humilitas quędā cauenda. 252
Humilis eris, ſi te examinaueris. 455
Humiles Deum honorant. 84
Hypocrita. 47. impingit in fidem. 48

I

IEremiæ laudes. 749
Ieſus filius Sirach, quis? vide Eccleſiaſticus.

Ieſus Chriſtus. 672.673
Ieſus nomen fuit Adæ reuelatum. 310
Ignorantia in voluntate. 383
Ignorat omnis malus. 383.
In, dictio quid ſignificet. 27.28
Indicia corporis per quæ animus cognoſcitur. 344
Infamia nõ leuiter credẽda. 337
Infirmitas corporis res miſera. 494.495.498
Iniuriarum remiſſio. 466. vbi de hac re multa. 467
Intellectus prudẽtiæ, quid? 22. vocatur cogitatus. 381.382
Infernus. 273
Infernus vbi & qualis. 299
Inferni pœnæ. 362.363
Iniquorũ oblationes. 549.550
Inſtitutio iudicum. 82.100.107.346.
Inſtitutio eruditorũ. 85.86.87.88
Inſtitutio cordis. 90
Inſtitutio linguæ. 114.130.167.226.381.388.389.390
Inſtitutio erga diuitias. 123.226.227
Inſtitutio hominis erga amicos. 171.198. vxorem, ſeruos. 172.173 pecora, filios. 174.175
Inſtitutio erga mortuos, & infirmos. 182.183.187.595
Inſtitutio erga peccatores, iracundos, potentes. 189.190
Inſtitutio piorum erga fœminas. 193.194.196.197
Inſtitutio principũ, fuſa. 205.206.207
Inſtitutio pauperũ. 221.222.223
Inſtitutio recipiendi hoſpites. 238
Inſtitutio dandi eleemoſynã. 241.242.505
Inſtitutio erga inimicum. 246
Inſtitutio incundæ familiaritatis. 250
Inſtitutio aulicorum. 253.254.255.341.342.389
Inſtitutio hoĩs erga ſe. 270 271
Inſtitutio condẽtis teſtamentum. 272.273
Inſtitutio dominorũ erga ſeruos. 346.359.537.538
Inſtitutio oris cõtra iuramenta. 385
Inſtitutio educãdi filias. 447. filios. 489.490.491.492.493
Inſtitutio menſæ. 507.508.509 510
Inſtitutio conuiuij. 516 517 518
Inſtitutio conſiliariorũ. id eſt, eorum qui conſilia dant. 528
Inſtitutio infirmorum. 592.593.594
Ioannes PP. 237
Ioſeph laudatur. 744
Ioſiæ Regis laudes. 737
Ioſue laudatur. 707. & inde.
Ira Dei quomodo appropinquet, & quomodo queſcat in impijs. 127. ſubitò venit. 128
Iris cæli. 667
Iſaias. 237
Iudæi laudantur. 678.679
Iudæi quid ſacerdotibus dabant. 177.178
Iudæos amauit Deus. 311.312
Iudex nemo eſſe quærat. 161
Iudex qualis eſſe debeat. 162.163.164.346
Iudices ſint manſueti, humiles.

ſes. 83
Iudices dona cæcant. 356
Iudicium particulare in die obitus vniuſcuiuſque. 237. 238. 275. 300
Iudicij dies cogitandus. 330. 332.
Iuramenti irreuerentia. 461
Iuramenta vitanda. 385. 386. tres iurandi modi. 387
Iuſtificationis ordo, & progreſſus. 110. 111. 317
Iuſtitia virgo eſt, non violanda. 346

L

Labia ſcelesta. 59. 60
Lætitia quærenda. 498
Lapis examinator virium. 151
Laus in ore peccatoris, & pij. 285
Laudes Dei eximiæ. 655
Lex Dei addiſcenda. 158. amplectenda. 522
Lex Dei in omni negotio conſulenda. 133. 141. 341. 542
Lex vetus magnum Dei donum. 311
Lex vetus temporale præmium quærebat. 129
Legis Dei autoritas, de ea multa. 418. 419
Legem cuſtodire, quātum bonum. 554
Libanus, mons, arbor thuris, & rhus. 412
Libertas arbitrij aſſeritur. 288
Libertas arbitrij frutex peccati. auferēda in inferno. 92. 93
Lingua cuſtodienda. 476. eius effectus. 584
Lingua duplex. 140. 141
Lingua tertia malorum cauſa. 472
Lingua. vide Inſtitut. linguæ.
Linguæ peccata. 472. 473
Linguam Deus caſtigat. 474
Linguam moderari, difficile. 380. 381
Linguoſi. 204. 347
Liscum diuite. 185
Loquendum quomodo. 225. 226. 388
Luna. 664
Luxuria cauenda. 653. 654

M

Maledici. 204
Mare. 672
Medicus & medicinę. 588. 589. 590
Mendacium. 167. 168. 354. 355
Mendaces. 284
Meretrices fugiendæ. 336. 654
Miſericordia, cur dicitur ſpecialiter eſſe cum Deo. 67.
Miſericordia Dei quomodo magna. 127. & quomodo illi fidendum. eod. & 296
Miſericordia, magnū opus. 297
Miſericordia Dei magna erga pœnitentes. 320
Miſericordia Dei erga homines. 328
Miſericordia Dei ī aduerſis. 563
Miſericordiæ laudes. 67
Mortis tempus. 129. 133
poſt Mortē non eſt meritum. 273. nec confeſſio. 319
de Morte. 638
Mortui quomodo lugendi. 373
Mortuorū ſepultura. 182. orandum pro eis. 187
Moyſi laudes. 691
Mulie-

Mulieris bonæ eximię laudes. 433. 443. 448. 449.
Mulieris malæ vituperia multa. 436. 437. 438. 439
Mulieribus non eſt nata iracundia. 216. 217
Mundus rota eſt. 166
Mundi viciſſitudo. 224. 235. eſt campus proferens pios. 614
Muſica in conuiuio. 519
Muſicæ inuentio. 681
Muſica in feſtis. 754
Mutuum dare. de hoc multa. 477. 478.

N

NEhemias. 743
Negotiatorũ peccata. 452 453

O

OBductio quid? 51
Obedientia erga parentes theſaurus eſt. 72
Oblationes iniquorũ. 549. 559
Oblationes iuſtorum. 555
Oculi ſuperbi, elati, ſublimes. 383
Opera Dei perfecta. 324
Opera quæ magis Deum obligant. 79. 80
Oratio interpres animi. 118
Oratio dierum pro grauioribus criminibus. 71
Oratio filij honorantis parentes continuò auditur. 73. 74
Oratio iuſti in proſperitate, & aduerſitate. 560. 561
Oratio quouis tempore ad veniam neceſſaria. 72
Oratio verboſa. 168
Orationis impedimẽta ne audiatur. 74

P

PAlmæ in Elim. forſan in Gaddi. 408
Parabolarum vſus olim. 45
Paradiſi flumina. 423
Patrum benedictio. 77. honor à filijs. 176
Pauperes fouendi, & eorum collegia. 95. 96. 98. 551. 634 vide Inſtitutio pauperum.
Peccandi voluntas, quid meretur. 129
Peccatũ & error peccatori concreantur. 230
Peccatum eſt ignorantia. 470
Peccatum eſt ſerpẽs, leo, romphęa, vulnus incurabile. 359
Peccatum magnum quod admittitur contra parentes. 81
Peccatum originale. 214
Peccatum peſtis eſt, & infernus. 319
Peccatũ punitur pœna ſeptuplici. 160
Peccatũ verę triſtitiæ cauſa. 31
Peccati initium. 213. 214
Peccati culpa dimiſſa, non dimittitur ſtatim pœna. 126
Peccato, quid amittitur. 57
contra Peccatum. 491. inuectiua contra peccatores. 641
de Peccato gaudere prognoſticum inferni. 338
Peccata damnatorum cum eis perſeuerant. 275
Peccatis aſſuetus nunquam ea relinquit. 231
Peccator iraſcitur contra ſe, & contra legem Dei. 43. 46
Peccator lupus, canis. 257. & nihil timet. 524

Peccatori tempus fugit. 115
Peccatori vita minuitur. 338
Peccatores non zelandi.199.& nunquam Deo placent. eod.
Peccatorũ caſtigatiões.293.294
Peccatorum filij infelices.292. parati ad romphęam Dei.452
Peccatorum fragilitas.376. inſtabilitas. 529
Perſeuerantia quid faciat. 112
Phinees Sacerdos. 704
Phiſon flumen paradiſi. 423
Piger. 370
Pius diu ſine mortali. 459
Pius vt tentetur à Deo.55.Tempus tenet,ne fugiat. 115
Pij aliquando labuntur in crimina. 67. 71
Pij egent pœnitentia. 66
Pij exaltati,facti p̃dicatores.283
Pij filij Dei. 34
Pij in Deo fixi. 528
Pij in hac vita nõ vident Deũ. 278. conſeruantur à Deo. 527
Pij rari.261.verè ſapientes.343. eorum propoſitum. 376
Pij ſurgentes egent magna miſericordia Dei. 67
Pij timeant de peccato propitiato. 126
Piorũ cõſolatiões,fuſè.614.615
Piorum gloria.156. paupertas. 234. vita longior. 396
Piorũ vita contemplatiua.276. 277.278. eorum timor. 332
Pœna quæuis melior quàm culpa. 475
Pœnæ inferni. 171
Pœnitẽtię laus.315.eiꝰ ordo.317
Pœnitentiæ neceſſitas. 68
Pœnitentiæ vires. 347
Pœnitentia peracta, recidiuare. 552
Pœnitentium habitus. 625
Populo nõ reſiſtendũ. 120.164
Potentiũ familiaritas. 69.200
Prædeſtinatio,reprobatio.529. 531.532.534
Prædeſtinatis vxor bona contingit. 443
Pręlatus poteſt obligare ſubiectos. 70
Principatus nullus ambiendus. 161
Principi quõ reſiſtendum. 121
Principes ad quid teneantur. 100.101.164
Principum familiares. 356
Principum peccata ſunt magna. 164
Promiſſio. 190
Prudentes contempti. 452
Pudẽda,& nõ pudẽda.643.649
Pulchritudo fallax. 243
Purgatorium. 273.315.429

R

Rationale. 696.698
Regina Saba. 45
Roſæ Hiericho. 408

S

Sacerdotes Dei quomodo honorandi. 177.178
Sacerdotum antiquorum catalogus & ſucceſſio. 746
Sacræ Scripturæ authoritas. 418.419
Salomon laudatur. 720. vituperatur. 720
Salꝰ corporis res p̃tioſa.494.495
Samuelis laudes. 712. & ſeq.
Sanctitatis cura extenuat carnem. 500

Sapiens

Sapiens quis. 544

Sapiens eſt ſicut Sol. 459

Sapientia capitur tribus modis. pro Verbo Dei, pro dilectione, pro inſigni eruditione. 16

Sapientia non eſt appropriatum Patri: nec Diuinitati: ſed Filio. 17

Sapientia, id eſt, ſapida ſcientia. 33

Sapientia eſt primum & maximum, quod à Deo proceſſit. 18

Sapientia ſemper cum Deo fuit. 18

Sapientia quomodo dicatur creata. 21. 29

Sapientia tota poſſeſſio Dei. 22

Sapientia, quomodo fons Sapientiæ. 23

Sapientia fons ex oculo. ibid.

Sapientia aliquando viſa eſt in ſpecie viſibili. 34

Sapientia dat ſcientiam & intellectum. 40

Sapientia theſauros habet. 44

Sapientia quomodo acquiratur. 45. 147. 157. 158. 599. 605

Sapientia eſt ipſa ſanctitas. 106

Sapientia non admittit peccacatum ſecum. 113

Sapientia habet compedes & vincula. 153

Sapientia exaltat habentes. 223

Sapientia non eſt in peccatoribus propter eorũ culpã. 286

Sapientia non eſt abſcondenda. 357

Sapientia quibus negatur. 363. 660

Sapientia flagellat habẽtes. 372

Sapientia Deus eſt. 401. 402. 425. in altis habitat, vt Deus. 402

Sapientia aſpera eſt excordi. 151. non eſt manifeſta. 152

Sapientia aſſimilata pulcherrimis arboribus. 409. & aromatibus. 410

Sapientia fons & mater omnis boni. 414. 415

Sapientia inuitat omnes ad ſe. 415

Sapientia ab initio mundi patribus nota. 416

Sapientia quid fecit incarnata. 421. 422

Sapientia quomodo acquiratur. 766. 767. quid dat eam acquirenti. 769. Rationes cogentes vt eã acquiramus. 771

de Sapientia multa. 774

Sapientiæ à Patre proceſſio. 400. 425

Sapientiæ aſtutiæ & multiplicatio. 25

Sapientiæ cauſa pericula adeunda. 545

Sapientiæ domus & receptacula, item fructus. 37

Sapientiæ dona. 279. 280. eſt panis. 281. eſt potus, & omnia. 417

Sapientiæ effectus in anima. 112. 113

Sapientiæ encomium. & quòd Deus ſit. & quàm proſit eam habere. 102. 103. 106. 107

Sapientiæ fructus. 149

Sapientiæ oratio laudatoria pulcherrima. 396. & inde,

Sapi-

quando eam habuit. 397
Sapientiæ radix. 41
Sapientiæ radix incōprehenſibilis. 24
Sapientiæ requies Iudæa, templum, &c. 406
Sapientiam menſurari & numerari à Patre, quid. 28
Sapientiam effudit Deus in opera ſua, maximè in homines pios. 29
Scientia quid. 117 131
Secreta non reuelanda. 145. 339. 461
Sem. 745
Senes decet prudentia. 432
Senes non ſpernendi. 187. audiendi. 188
Senſus, quid ſit? 117
Senſus iuſtitiæ. 363
Sepulchris apponebãtur olim epulæ. 496
Serui quomodo tractandi. 122. 537
Sichimitæ non ſunt gens. 757
Simonis Pontificis laudes. & eius opera. 746. 748
Sion duplex. 138
Sol. 655. 662
Somniorum vanitas. de quo multa. 539
Sors ſanctorum & templi. 318
Spiritus ſanctus eſt aqua. 280. 138. 139. 360
Spiritus ſancti appropriatum eſt amor, charitas, ſpiritus amoris. 17
Stellæ. 666
Subſannator. 529
Superbia Deo reſiſtit. 84
Superbia, initium, medium, finis peccati. 170. vide 210. 212
contra Superbiam. 465
Superbi ſtulti ſunt. 284. 285
Superuacua non ſunt nimis perſcrutanda. 88
Suſurro. 135. 369. 471

T

Templum Dei. 318
Tentationis finis. 112
ad Tentationem præparationes. 50 51
Tentatis adeſt Deus. 109
Terram nebula tegebat, initio mundi. 401
Thus. 412
Timens Deum. 527. benedicetur. 545
Timens Dominum implet ſe lege Dei. 64. eſt Nazaræus. 65
Timentis Deum conditiones fuſiſſimè. 63. 64
Timor Domini perpetuus Sapientiæ comes. 30. eſt gloria & gloriatio. 31. delectat cor. 31
Timor Domini initium Sapientiæ. 34. & Sanctitatis indiuiduus comes. 35. comes fœminarum. eod.
Timor Domini quid. 26. 49. 56
Timor Domini plenitudo, & corona Sapientiæ, id eſt, principium, medium, & finis. 37. 38. & radix. 41
Timor Domini numerat & menſurat Sapientiam. 39. Eſt donum Dei. 139
Timor Domini expellit peccatum. 42. ſine eo iuſtitia eſſe non

ſe non poteſt. 43
Timor Domini indiuiduus amoris comes. 64
Timor Domini honor hominum. 218
Timor Dei eſt omnis Sapientia. 341
Timor Domini ſuper multa alia bona. 435
Timor Domini initium dilectionis. 435
Timori Domini bene erit in extremis.ſ.in morte,Iudicio, Purgatorio. 32. item in ſenecta. ibi. & 36
Tribulationum vtilitas. 455
Triſtitia vitanda. 497. 498
Turbæ vitandæ. 334
Tygris flumen. 423

V

VErbum non eſt mutum, loquetur pacem. 51
Verbum dulce. 140. 329
Verba ſunt cordis indicia. 456
Veritas quomodo confitenda. 116. 119
Veritati nō contradicendum. 118
Via duplex. 60. vnde cauendum. 61
Viatores ſumus, cauendum à duabus vijs. 61. à via Dei non deflectendum. 57
Vinum multum vitandū. 335. 336
de Vino nimis multa. 513. 514. 515
Vita Chriſtiana. 500
Vita ſibi ſufficiens. 631. 632
Vita præſens, non eſt tempus conſolationis, ſed pugnæ. 36
Vxor deligenda, qualis. 572. 573

Z

Zorobabel. 742

FINIS.

Pagina 508, *lin.* 27 *lege* ingurgites 641, 6 morte premit.

INDEX

INDEX CAPITVM, QVID IN SINGVLIS EORVM PARTIBVS TRACTETVR.

CAPVT I.

I. PARS. *De Sapientia.* Pag. 16
II. *De laudibus Timoris Domini.* 30
III. *Modus acquirendi Sapientiam.* 45

II.

I. *De primo Præcepto prioris Tabulæ.* 49
II. *Parăneſis ad pios, ne à iuſtitia deflectant.* 57
III. *Quomodo timendus eſt Deus.* 62

III.

I. *Inſtituit filios erga parentes: Quod eſt primum Præceptum Tabulæ poſterioris.* 68
II. *Inſtituit maiores.* 82
III. *Generatim omnes inſtruit.* 85
IIII. *Cor inſtituit.* 90
V. *De Eleemoſyna, quæ pars ad Cap. ſequens ſpectat.* 94

IIII.

I. *Perſtat in laudibus Eleemoſynæ.* 96
II. *Sapientiæ encomium.* 102
III. *Linguam inſtituit.* 114

V.

I. *Inſtituit nos erga diuitias.* 123
II. *Moderatur linguam.* 130

VI.

I. *De colenda amicitia.* 136
II. *De acquiſitione Sapientiæ.* 147

VII.

I. *De cauendo peccato.* 159
II. *De non ambiendo magiſtratu.* 160
III. *De oris moderatione.* 166
IIII. *Inſtituit hominem erga ſe, amicos, vxorem, ſeruos, pecora, ſilios, ſilias, Patrem, Sacerdotes, & Deum.* 169

VIII.

I. *De Litibus & rixis.* 184
II. *Eſt inſtitutio erga peccatores, ſenes, mortuos.* 186
III. *Miſcellanea eſt.* 189

IX.

I. *Inſtituit virum pium erga fœminas.* 193
II. *Varia docet.* 198

X.

I. *Eſt de Principibus, & Magiſtratibus.* 205
II. *Varia tradit.* 220

XI.

I. *Varia tradit. Primum de Sapientia.* 223
II. *De acquirendis opibus.* 226
III. *De hoſpite recipiendo.* 239

XII.

I. *De beneficio præſtando.* 241
II. *De inimico vitando.* 246

XIII.

De ineunda familiaritate. 250

XIIII.

Quis ſit dicendus beatus. 262

XV.

I. *Sapientia quid præſtet. 279*
II. *Qui ſint Sapientiæ extorres. 283*
III. *Quòd defectus Sapientiæ non ſit reijciendus in Deū. 286*

XVI.

I. *Pulchra contra peccatores admonitio. 292*
II. *Eſt procœmium ſequentium Capitum. 301*
III. *De mirabilibus operibus Dei. 302*

XVII.

I. *De hominis creatione, & inſtitutione. 305*
II. *Prouocat mortales ad conuerſionem. 316*

XVIII.

I. *Laus magnalium Dei: maximè miſericordiæ eius. 322*
II. *Suadet vt habeamus memoriam diei Iudicij. 330*

XIX.

I. *De Vino, & meretricibus. 335*
II. *Moderatio linguæ. 337*

XX.

I. *Proſequitur tria Cap. præcedente propoſita. 345*
II. *De fatuis & imprudentibus. 348*
III. *Varia tradit. 353*

XXI.

I. *De vitando peccato. 358*
II. *Miſcellanea eſt. 359*
III. *De fatuis. 365*

XXII.

Varia tradit. 370

XXIII.

I. *Lingua & affectuum moderationem rogat à Deo. 381*

II. *Contra auaritiam, fornicationem, adulterium.* 390

XXIIII.

Sapientia pronuntiat encomium, & laudes ſuas. 396

XXV.

I. *De verè bonis & malis.* 430

II. *De mala muliere.* 436

XXVI.

De bona, & mala muliere. 442

XXVII.

Tradit varia: primum de mercatura. 453

XXVIII.

I. *De remiſſione iniuriæ.* 466

II. *De bilingui.* 471

XXIX.

I. *De mutuo dando.* 477

II. *De fideiubendo.* 483

XXX.

I. *De Filiorum educatione.* 489

II. *De corporis valetudine.* 493

XXXI.

I. *De ſolicitudine opum vitanda.* 500

II. *Eſt inſtitutio menſæ.* 507

XXXII.

I. *Docet, quid in menſa faciet rector, ſenex, iuuenis.* 516

II. *De amplectenda lege Dei.* 522

III. *Filium admonet.* 524

XXXIII.

I. *Continuatio eſt prædictorum.* 527

II. *De prædeſtinatione, & reprobatione.* 529

III. Ad-

III. *Admonet de facultatibus & ſeruis.* 535

XXXIIII.

I. *De ſomniorum vanitate.* 539
II. *De oblationibus iniquorum.* 549

XXXV.

I. *Suadet ſeruare legem Dei, & recedere à peccato.* 553
II. *De Oblationibus.* 555
III. *Quas oblationes abijciat, quas ſuſcipiat Deus.* 558

XXXVI.

I. *Authoris Oratio in Iudæorum calamitate.* 563
II. *De vxore deligenda.* 572

XXXVII.

I. *De Amicis fictis.* 576
II. *De conſilio ſumendo.* 578
III. *De Sapiente.* 585
IIII. *Redit ad præcedentia.* 586

XXXVIII.

I. *De honorandis Medicis.* 588
II. *Infirmum inſtituit.* 592
III. *Inſtituit nos erga mortuos.* 596
IIII. *De Sapientia.* 599

XXXIX.

I. *Quomodo Sapientia acquiratur.* 605
II. *Conſolatur pios in tribulatione.* 613

XL.

I. *Videtur prædictorum continuatio.* 624
II. *Docet quæ ſint magis eligenda.* 633
III. *De fugienda inopia.* 636

XLI.

I. De

I. De morte. 638
II. Eſt inuectiua contra impios. 641
III. De his propter quæ ſit erubeſcendum. 643

XLII.

I. De his propter quæ non eſt erubeſcendum. 649
II. De filia cuſtodienda. 652
III. De laudibus Dei. 654

XLIII.

Laudat Deum ex operibus ſuis. 661

XLIIII.

Laudat in genere maiores. 678

XLV.

Laudantur Moſes, & Aaron. 691

XLVI.

Laudatur Ioſue, Caleb, Iudices, Samuel. 707

XLVII.

Laudatur Nathan, Dauid, Salomon. 716

XLVIII.

Laudantur quatuor viri Iudæi: Elias, Eliſæus, Ezechias, Iſaias. 726

XLIX.

Laudatur Ioſias, Ieremias, Ezechiel, duodecim Prophetæ, Zorobabel, &c.

L.

Laudatur Simon ſummus Sacerdos. 746

LI.

I. Authoris vita in laudem Dei. 759
II. Docet Author ſe accepiſſe Sapientiam à Deo. 764
III. Inuitat tandem ad Sapientiam. 770

PAVLI

PAVLI DE PALACIO IN ECCLESIASTICVM PRAEFATIO.

ANTEA quàm huius libri expoſitioni manus admoueo, multa præfari cogor, ex quibus ſua libro aſſeretur authoritas, multumq́ lucis accedet. Id ſit igitur omnium primum, Librum hunc, in vniuerſa antiquitate, magni fuiſſe nominis, & authoritatis. Audi, quid de eo maiores noſtri ſenſerint. In canone vltimo, Sancti Apoſtoli dicunt: Inquiritur à vobis, vt adoleſcentes veſtri addiſcant etiam ſapientiam eruditi Sirach. Hanc ſapientiam, nos inferiùs oſtendemus, eſſe Eccleſiaſticum hunc. Clemens epiſt. 1. ad Iacobum, cùm dixiſſet Deum per prophetam loquutũ, ſubdit: Et iterum, Impone homo oſtium linguæ tuæ, &c. quæ verba accepit ex Eccleſiaſtico, cap. 28. d. Et in eandem epiſtolam ferè ad finem, bonam partem cap. 2. Eccleſiaſtici tranſtulit. Anacletus epiſt. 2. cùm citaſ- *Apoſtoli.* *Clemens.* *Anacletus.*

A ſet

ſet locum illum, Qui fodit foueam, incidet in eam (qui habetur Eccli 27.) dicit, hæc dixiſſe Salomonem: adducit item quædam in eadem epiſt. ex Eccli c.24. dicens, verba

Euariſtus. eſſe prophetæ. Euariſtus epiſt.1. dicit: Filio Dei in propheta loquente, Qui me genuit, requieuit in tabernaculo meo: qui locus

Alexander. habetur Eccli 24. Alexauder I. epiſt.3. citat locum illum Eccli 35. Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis: citat verò, ac ſi Sa-

Calixtus. lomonis eſſet. Calixtus Papa epiſt. 1. citat locum ex Eccleſiaſtico. c.16. dicens: Dicente Scriptura ſancta, Poſt concupiſcentias tuas ne eas: vides, vt Eccleſiaſticum vocat

Pontianus. ſanctam Scripturam? Pontianus frequenter epi.1. citat Eccleſiaſticum: at epi.2. totum caput Eccleſiaſtici 28. & magnam par-

Fabianus. tem c.5. & 6. in eam epiſtolam coniecit. Fabianus cùm ſæpius citaſſet Eccleſiaſticum, in epi.1. & 2. at in epiſtolam ſuam tertiam

Lucius. multa tranſtulit ex eius c.27. Lucius mutuatus eſt ex Eccleſiaſtico bonã partem c.10.

Stephanus. & totum c. 11. Mutuatus eſt & Stephanus totum c.13. Eccleſiaſtici, in ſua epi.1. Vt etiam Eutychianus grandem partem c.5. & 6. Adducunt demum teſtimonia ex hoc Eccleſi-

Dionyſius. aſtico, Dionyſius c.7. eccle. Hierar. & c.8. de

Ignatius. Diuinis no. Ignatius epi. ad Heronem. Hie-

Hieronymus. ro. epi. ad Minerium & Alex. epi. ad Ruſticum, ad Saluinam, ad Celantiam. ¶ Neminem arbitror tã prefracto ingenio eſſe, cui teſtimonia hactenus adducta fidem non faciant magnæ authoritatis, & nominis Eccle-

cleſiaſtici noſtri: ex tempore etiã num naſcentis Eccleſiæ. At verò doctus lector dubitabit, an tanta fuerit ſemper Eccleſiaſtici authoritas, vt ſacer & canonicus habitus fuerit? Sunt enim libri multi grandis authoritatis, qui canonici tamen non ſunt. Huic interrogationi vt ego reſpondeam, id ſecundò ſtatuo:

Fatendum eſt omnino, Eccleſiaſticũ tempore Iudæorum, & in primis temporibus Eccleſiæ, non fuiſſe in canonem ſacrorum librorum receptum. Erat ille quidẽ ſacer, id tamen tunc necdum certũ, exploratúmque erat. Planè Ioſephus ille magnus Iudęorum ſcriptor, non numerauit eum inter libros canonicos: vt habet cõtra Apionem Grammaticum: & citatur ab Euſebio lib. 3. Eccleſiaſticæ hiſto. c. 10. Nam Iudæi eos tantùm Authores in album ſacræ Scripturæ admiſerunt, qui vſque ad ſecundi templi ædificationem ſcripſerunt: poſt quam multo ętiã tempore ſcripſit Eccleſiaſticus; vt infrà docebo. Iam verò nec Apoſtoli adſcripſerunt librum hunc ſacro canoni: ſed cùm libros canonicos in ſuo vltimo decreto numeraſſent, illud tandem addunt: Inquiritur à vobis, vt extrinſecus adoleſcentes veſtri addiſcant etiam ſapientiam eruditi Sirach. Nec adnumerauit magnus ille Sardium epiſcopus Melito, qui cùm in Orientem peregrinaretur, vt ſacros libros propiùs cognoſceret, tandem ſcribens ad Oneſimum, non meminit huius libri inter

Ioſephus. *Euſebius.* *Apoſtoli.* *Melito.*

Euſebius. ſacros. hæc habemus ex Euſebio lib.4.c.24. *Origenes.* Iam nec connumerauit Origenes, in commentarijs ad pſal.1.numerans libros canonicos. *Euſebius.* habetur hoc ex Euſebio lib.6.c.18. *Epiphanius.* Item reiecit hunc librum à canone Epiphanius lib.1. contra hære. hæreſi 8. & lib. de põderibus, dicens hunc, & Sapientię librũ, in numerum receptorum librorum nõ referri. *Hieronymus.* Reiecit & Hieronymus tum in prologo Galeato: tum in prologo ſuper Prouerbia Salo. dicens: Libros Sapiẽtiæ & Eccleſiaſtici legat Eccleſia ad ædificationem plebis: non ad authoritatem eccleſiaſticorum dogmatũ confirmandam. *Concilium Laodic.* Sigillum his omnibus apponamus ex Concilio Laodicen. cano.59. vbi cùm recenſeat libros ſacros, nullam de Sapientia Salomonis, nec de Eccleſiaſtico Patres fecere mentionem. Abundè probatum eſt, olim librum hunc canonicam authoritatem apertam nondum inueniſſe. Nihilominus id tertiò afferamus:

Et nunc, & à multis retro tẽporibus Eccleſia ſancta Eccleſiaſticum recepit in catalogum librorum ſanctorum. *Concilium Trident.* In primis recepit Concilium Tridẽtinum tempore noſtro. *Concilium Florent.* Recepit priùs Cõcilium Florentinum in inſtructione, quam Armenis tradidit. *Gelaſius.* Recepit Gelaſius in Concilio 70. Epiſcoporũ. *Innocentius.* Et ante annos multos, ſ. anno Domini 407. recepit Innocentius primus, vt habetur epiſt. ad Exuperium Tholoſſ. c. vltimo. vbi Eccleſiaſticum inter libros Salomonis recipit. *Concilium Carthag.* Recepit etiam Cõcilium Carthag. terti-

tertium cano. 47. vbi dicit eum librũ, cum alijs, à Patribus accepimus legendos. Quod Concilium licet prouinciale, conſecratum eſt tamen à Concilio generali. ſ. à 6. Synodo, in Trullo. Tandem audiamus quid D. Auguſtinus tradat lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 8. ibi ait: Illi duo libri, vnus qui Sapientia, alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Ieſus filius Sirach eos ſcripſiſſe conſtantiſſimè perhibetur. qui tamen quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt. Ex dictis colligas hæreticum eſſe, qui negarit librum hunc eſſe ſacrum. Sed D. Auguſtinus in hoc dubium nos coniecit, cuius tandem authoris ſit liber hic, Salomonis ne, an Ieſu, filij Sirach, an nepotis eius? Res eſt omnino dubia: ſed quartò notandum erit, *Auguſtinus.*

Magnam antiquitatis partem hunc librum Salomoni tribuiſſe. Planè Anacletus tribuit Salomoni, epiſt. 2. vbi ait: Et Salomon loquitur, dicẽs, Qui fodit foueam, incidet in eam: qui locus habetur Eccli 28. Alexander I. epiſt. 3. dicit: Et Salomon ait, Sacrificium ſalutare eſt, attendere mandatis, &c. locus eſt Eccli 35. Sixtus I. epiſt. 1. reprehendens hæreticos, dicit, quod in Salomone Scriptura loquitur, dicens, Sicut in conſpectu eorum magnificatus es in nobis, id habetur Eccli 36. Fabianus Papa epiſt. 2. ita habet: Fili (ait Salomon) in manſuetudine ſerua animam tuam, &c. attulit lo- *Anacletus.* *Alexander.* *Sixtus.* *Fabianus.*

Cyprianus. cum ex Eccli 10. Cyprianus martyr, epiſt. 3. ad Corneliũ habet hæc verba: Et per Salomonem Spiritus ſanctus loquitur, Peruerſus, inquit, in ore ſuo portat perditionem. Is locus habetur Eccli 28. In Concilio Carthag. 1. ait Quietus epiſcopus: Nam ſcriptum eſt apud Salomonem, Qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit mortuum, &c. Id legitur Eccli 34. Sixtus II. epiſt. 1. ita dicit: Quod eſt Pater, id eſt Filius, Salomone dicente, Ego ex ore Altiſſimi prodij. Illuſtris eſt locus ex Eccli 24. Felix I. epiſt. 3. inquit: Et in Salomone, Sapientiam præcedentem omnia, quis inueſtigauit? hæc habemus Eccli 1. Marcellinus epiſt. 1. ita ſcribit: Et vt Filius cum Patre, indiſcretè habitaſſe credatur, Salomonis teſtimonio comprobatur, Ego Sapientia, inquit, habitaui in altiſſimis. Scribitur hoc Eccli 24. Et aliquanto infrà: Item in Salomone, Peccaui, quid accidit mihi triſte? reperitur hoc Eccli 5. Quid verò ego moror afferens hæc teſtimonia, cùm Innocentius I. epiſt. ad Exuperium c. vlt. recenſens catalogũ librorum ſacrorum dicat, Quinque libri Salomonis? Ergo Eccleſiaſticum vendicauit Salomoni. Idem omnino aſſerit Concilium Carthag. 3. confirmatum à 6. Synodo, vbi in catalogum ſanctorum voluminum quinque libros Salomonis inuexit. Habes lector vnanimem horum Patrum (plures enim quid opus erat adducere?) conſenſum, aſſerentem hunc librum Salomoni. At verò ſit

Concilium Carthag.

Sixtus.

Felix.

Marcellinus.

Idem.

Innocentius.

Concilium Carthag.

nobis

nobis aſſertio quinta:

Dubio procul Eccleſiaſticus liber à Ieſu filio Sirach, non à Salomone: neque à nepote Ieſu ſcriptus & editus eſt. Hanc rem ſatis euidenter euincit, eiuſdem libri author, qui cap. 50. ita de ſe dicit: Doctrinam ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Ieſus filius Sirach Ieroſolymita, qui renouauit ſapientiam de corde ſuo. Quid apertius? Ergo ſicut Paulus 2. ad Theſſ. vlt. dicit, Salutatio, mea manu Pauli. vt omnes noſſent epiſtolam eſſe Pauli: ita Author libri ſuum nomen adiecit, vt omnes noſſent, librum illius eſſe. Teſtatur hoc ipſum, ipſius Ieſu nepos, huius libri interpres. Is in prologo dicit: Auus meus Ieſus, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis legis, & prophetarum, & aliorum librorũ, qui nobis à parentibus traditi ſunt: voluit & ipſe ſcribere aliquid &c. Probat tertiò inuicto argumento, Apoſtolorum authoritas, qui in ſuorum canonum vltimo iubent, adoleſcentes Chriſtianos addiſcere ſapientiam eruditi Sirach. D. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 8. dicit ita: Illi duo libri, vnus, qui Sapientia, alius, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur: nam Ieſus filius filius Sirach, eos ſcripſiſſe, cõſtantiſſimè perhibetur. Habes Lector, tempore Auguſtini, conſtanter aſſeueratum, Ieſum filium Sirach, Eccleſiaſtici Authorem extitiſſe. D. Epiphanius lib. 1. to. 1. hæreſi 8. ſine ſcrupulo Eccleſiaſticum

2. Theſ vlt.

Ieſu nepos.

Apoſtoli.

Auguſtinus.

Epiphanius.

dicit eſſe Sirach. apertiùs hoc idem lib. de ponderibus. Idem aſſerit & Hieronymus in prologo ad libros Regum,&in præfatione ad Prouerbia Salomonis,dicens:Fertur & Panarethos Ieſu filij Sirach liber,&c. Video opus non eſſe teſtimonio plurium Authorum, in re alioqui non tanti momenti.

Hieronymus.

¶Sed librum hunc non eſſe Salomonis,euidenti ratione conuincit, quòd liber meminerit ipſius Salomonis, Roboam,Ezechiæ, Ioſiæ: tum & prophetarum,qui omnes fuere Salomone poſteriores. meminit etiam Simonis filij Oniæ: qui vt minimum fuit ſeptingẽtis annis poſt Salomonem. ¶ Patet iam ex prædictis,falſum eſſe,quod quędam præfatio Græca Eccleſiaſtico præfixa teſtatur, nepotem ipſius Ieſu, eum librum edidiſſe. vult enim auum Ieſum tumultuariè collegiſſe Eccleſiaſticum. is vita decedens, reliquit eum librum filio Sirach: qui eundem reliquit filio Ieſu, nepoti prioris Ieſu, qui nepos in ordinem eum redegit, & edidit. Minimè hæc vera ſunt. Sed huius libri anthor erat Ieſus filius Sirach, vt habetur cap.50. huius libri: cuius nepos librũ duntaxat ex Hebræo vertit in Græcum, vt ipſe in prologo primo expreſſè teſtatur. ¶ Doctiſſimus nunc quiſque inſurget, dicens: Quomodo ſancti Patres noſtri librũ hunc tribuebant Salomoni, ſi reuera erat Ieſu filij Sirach? Reſpondet Auguſtinus lib.17. de ciuit.Dei.c.20.vocatum fuiſſe librum Salomonis, ob ſtili ſimilitudinem: quod viſus

eſt dixiſſe de doctr. Chriſt. lib.2. cap. 8. Reſpondit Iohannes Driedo, vocatum Salomonis, quia eius ſententias Ieſus filius Sirach, in Eccleſiaſticum coniecit. Reſpondet Gregorius in prologo ſuper Iob, nihil referre ſcire, cuius ſit liber, modò ſciamus eſſe Dei. Si ſcimus literas eſſe regis, quid refert ſcire, quo calamo eas ſcripſerit? Cui hæc reſponſa minimè placuerint, quærat meliora, aut dicat Ieſum filiũ Sirach vocatum alio nomine Salomonem; aut (quod vero ſimilius eſt) quòd Ieſus hic titulum Salomonis ſuo libro præfixerit, vt quem Salomonis nomine faciebat: vt Plato, qui nomine Socratis, Dialogos ſcripſit: & Cicero, qui nomine Catonis & Lælij quoſdam libros intitulauit. Tandem credibile eſt, librarijs huius libri nomen impoſuiſſe. Author quippe Hieronymus eſt, titulum Eccleſiaſtici apud Hebræos eſſe Misle, i. parabolas, ſeu prouerbia: quo titulo etiam inſigniuntur Prouerbia Salomonis. Cùm igitur librarij incidiſſent in hũc titulum, putarunt eſſe Salomonis: & eum nomine illo venditabant. Iam ſextò dicamus non nihil de hoc Ieſu, Authore ſcilicet libri.

Iohannes Driedo. *Gregorius.* *Plato.* *Cicero.* *Hieronymus.*

Fuit hic Author, ciuis Ieroſolymitanus: quod de ſe ipſe teſtatur, in fine c.50. Scripſit (ait) in codice iſto Ieſus, filius Sirach, Ieroſolymita. ¶ Vixit temporibus Ptolemæi Soteris ſeu Lagi, & vt videtur, attigit tempora Ptolemæi Philadelphi, qui Soteri ſucceſſit. Id probatur, quia horum tēpore fuit

Simon Oniæ filius, cuius vt coæui & contemporalis noſter Author meminit cap.50. ita enim de eo ſcribit, vt quem vidiſſet hoſtias offerentem, pontificalibus indutum &c. Roboratur noſtra aſſertio, quia Philadelpho ſucceſſit Ptolemæus Euerges, cuius tempore noſtri authoris nepos fatetur ſe in Aegyptum veniſſe. ¶ Videtur vir fuiſſe princeps: ſiquidem cap.vlt.dicit: Exaltaſti Domine de terra habitationem meam. cuius planus ſenſus eſt, quòd Deus exaltauerat illum. ait item infrà: Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. ¶ Videtur peregrinatus in varias regiones, nam docẽs in cap.39.qua ratione fiat homo ſapiens, inter cętera dicit: In terram alienigenarum gentium pertranſiet. cùm igitur ipſe in cap. vltimo ſapientem ſe fateatur, abijt ergo in terras multarũ gentium. ¶ Variè fuit Author afflictatus, etiam vſque ad mortem: ſed ex varijs ſuis calamitatibus à Deo ſe teſtatur ereptum, vt fusè ipſe tradit, huius libri cap.vltimo. ¶ Coniectura verò eſt, eũ in Aegyptum veniſſe, & ibi librum ſuum ſcripſiſſe. nam eius nepos aſſerit, hũc librum ſe in Aegypto inueniſſe. videlicet, vbi eum auus ſcripſit. Quo conuincitur, huic nepoti minimè patrem, aut auum, hunc librum reliquiſſe. Si enim reliquiſſet, quomodo veniens in Aegyptũ eum librum inuenit? Lege prologum vulgatum noſtri Eccleſiaſtici, vbi habet: Perueni in Aegyptum, & cùm multum temporis ibi fuiſ-

fuiſſem, inueni libros &c. Firmatur porrò noſtra coniectura, quòd in Aegyptum Author venerit, ex eo quod dici ſolet, hũc fuiſſe ex 72. Interpretibus, quos Eleazarus miſit ad Ptolemęum Philadelphum, vt Biblia verterent. manſit igitur forſan ille in Aegypto. Vide Abulenſem ſuper prologo Galeato. ¶ Demũ finem vitæ habuit felicem. ait enim cap. vlt. Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. quæ verba dicit, poſtquam varias miſerias ſuas recenſuiſſet. Hæc de authore. Addamus ſeptimum verbum de eius interprete, quiſnam ille fuerit.

Interpres huius libri fuit nepos authoris eius: quod ipſe fatetur in prologo dicens: Auus meus Ieſus, poſtquam ſe amplius dedit, &c. ¶ Neſcimus quod fuerit interpretis nomen: exploſimus enim eam ſententiam, quæ in prologo Græco habetur, videlicet, hunc vocatum Ieſum, cuius pater fuerit Sirach, auus Ieſus. ¶ Vertit porrò librum hunc ex Hebræo, eodem dicente: Deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata in aliam linguam. Lege eius vulgatum prologum. & Hieronymus ait ſe vidiſſe exemplar Hebræũ. vt habetur in prologo Prouerbiorum. ¶ Vertit verò in linguam Grȩcam, vt teſtatur Epiphanius, in libro de ponderibus, dicens: Ieſus, qui ſapientiam illam ſcripſit Hebraicè: ita vt nepos ipſius, eam interpretatus Grȩcè ſcripſerit. Idem Lyranus habet in principio Eccleſiaſtici.

ſiaſtici. habet & quidam Brito eodem loco. Licet Abulenſis ſuper prologo Galeato, diuerſum ſentire videatur. Sequitur ordine ſuo, octauum aſſertum de hac, quam diximus Græca verſione.

Græca verſio, quam beneficio Cardinalis Simenij, omnium ſeculorum memoria digniſſimi, Compluti editã habemus, non per omnia reſpondet noſtræ verſioni Latinæ. Id euidenter verum inueniet, qui alteram alteri contulerit. Videbit planè, multa ei deeſſe, multa ſupereſſe, multa variare. Imò, quod certum eſt, alibi reperiũtur verſiones aliæ Græcæ, non per omnia conſonæ Complutenſi Græcæ verſioni. Lege verſionem Latinam, quam Tigurini interpretes nobis tradiderunt, & in margine inuenies varietates multas Græcarum verſionum. ¶ Cùm igitur verſiones Græcæ tantopere varient, eam credo fideliorem, quam Complutum nobis dedit. Adornauit enim Cardinalis ille glorioſus ſuam editionem ſummis expenſis: correxit per ſummos ingenio & eruditione viros: non pepercit ſummis laboribus, quo optimã editionem orbi communicaret. Succedit iam nunc verbum nonum de verſione Latina.

Latina verſio iam erat tempore naſcentis Eccleſiæ. volo dicere: Hæc verſio vulgata, quam vulgata Biblia continent, iam erat tempore primorum Põtificum Eccleſiæ. Inueniet hanc veritatem, qui eos legerit, in hanc rem intẽtus. Clemens I. epiſt. 1. *Clemens.*

citat

citat Eccleſiaſticum, c.1. & 2. & ad verbum citat noſtram verſionem. licet ei interſerat quædam de ſuo, propoſito ſuo conuenientia. Locum illum Eccli 24.Gyrum cæli circuiui ſola,&,Qui me genuit,requieuit in tabernaculo meo.citat Euariſtus epiſt.1. Alexãder I.epiſt.3. citat (vt habet litera noſtra) illud,Sacrificiũ ſalutare eſt attendere mandatis.Eccli 35. Sixtus I. epiſt.1.citat verſionem vulgatam Eccli 36.vbi dicitur,Sicut in conſpectu eorum magnificatus eſt in nobis &c. licet ſit mendum,nam pro,eſt,debet legi,es. Calixtus I.epiſt.1.citat noſtrã (vt nos habemus) verſionem, Eccli 18.vbi dicitur, Poſt concupiſcẽtias tuas non eas. &c. Pontianus I.epiſt.2.citat ferè dimidium cap.27. & totum cap.38. & bonam partem cap.5. & 6.Vt nos habemus. Fabianus citat ex cap.3. 16.22. Eccleſiaſticum, iuxta verſionem vulgarem. citat etiam in eadem epiſt. ex Eccli 10.11. 2. ex quibus capitibus multa in eã epiſtolam coniecit. Idem multa tranſtulit in epiſtolam ſuam tertiam,ex cap.27.ab eo loco,vbi dicitur,Dilige proximum &c.tranſtulit etiam multa ex c. 28. vbi dicitur, Qui vindicari vult,&c. Totum cap.13.ex noſtra verſione tranſtulit Stephanus I.in ſuã epiſt. 1. Dionyſius I.ſumpſit ex cap.4.noſtrę verſionis ab eo verbo,Fili conſerua tempus,ad finẽ cap. idq́ in epiſt.1.exſcripſit. Eutychianus retulit in epiſt. ſuam primam, ex illo verbo Eccli 5. Ne tardes conuerti.vſque ad finem cap. & rurſum ferè totum cap.6. Tę-

Euariſtus. *Alexander.* *Sixtus.* *Calixtus.* *Pontianus.* *Fabianus.* *Idem.* *Stephanus.* *Dionyſius.* *Eutychianus.*

Euſebius. det iam tot authores aſciſcere. ſit Euſebius vltimus, qui epiſt.2.accepit ex noſtra verſione finem cap.18.totũ cap.19. & ferè totum 20. Idem epiſt.3. citauit ferè totum cap.14. totum 15.& ferè totum 16. ¶ Vnde colligas lector, quàm magnificè ſenſerint Patres illi, de Eccleſiaſtico, & de noſtra verſione. ¶ Habes ſecundò, Diuum Hieronymũ non vertiſſe Eccleſiaſticum. Siquidē fuit multò dictis Patribus omnibus poſterior. neque ita ſe Hieronymus ille abijciebat, vt tam abiectè eum nobis librũ traderet conuerſum. vix enim Latinè loquutus eſt, qui Eccleſiaſticũ nobis conuertit. Qualis qualis ſit conuerſio, ſit de ea decimũ aſſertum:

Eccleſiaſticus conuerſus, vt nos eum habemus, liber canonicus eſt, & ſacer. Dictum ſuprà eſt, Eccleſiaſticum librum eſſe ſacrũ: nunc addimus, ſacrum eſſe, vt nos verſum habemus. tum, quia tota antiquitas ea verſione vſa eſt: tum quia Concilium Tridentinum ſeſs.4. eam verſionem approbauit. Verba eius ſunt: (ſi quis deſideret) Si quis libros ipſos integros, cũ ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueuerunt, & in veteri, vulgata, Latina editiõe habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit. ¶ Qua ego ratione, noſtram vulgatam editionē, vt iacet, enarrare contendi: non verò vt Tigurinus edidit: nec vt Græca habet editio. Licet vehementer niſus ſim ita noſtram explicare, vt Græca ſimul explicata maneret. Fateor in editio-

ne

ne Complutenſi aliquammulta eſſe calcographorũ errata, quæ ex codicibus emendatioribus, & ex Græca lectione ſunt reſtituenda. Impero ego nunc mihi, vt vndecimò de huius libri commentarijs verbulum faciam.

Fuiſſe plures enarratores Authoris noſtri, vel ex Nicolao Lyrano facilè videbitur patére. Is enim in enarratione cap. 50. dicit: Dicũt aliqui expoſitores, &c. At profectò ad manus meas non venerunt, niſi Gloſa interlinearis, Ordinaria, Rabanus, & Lyranus: neque alium vel de nomine noui. Porrò ex Gloſa interlineari accepit Rabanus commentaria ſua. licet ſenſa nuda Gloſę Rabanus teſtimonijs ſacris exornarit. Ex Rabano Gloſa ordinaria excerpſit. Itaque Gloſa interlinearis, Ordinaria, Rabanus, tres ſunt: ſed hi tres vnũ ſunt. ¶ Neſcio verò qua ſorte factum ſit, vt hi tres conſpirarint ad detorquendos omnes ferè Eccleſiaſtici locos, contra hæreticos. proſpiciebant forſan temporibus noſtris. Sunt etiam nonnũquam multi in afferendis allegorijs. literam adeò difficilem, non adeò expendunt. Religioſior multo eſt Lyranus erga eam: licet nonnunquam nimius ſit in tropologijs. Cui hæc ſatisfaciunt, non eſt quod alia requirat. Supereſt, vt de me, licet grauatè, vltimum verbum ſubijciam.

Videor mihi multa huius Authoris myſteria aperuiſſe: plurimis locis obſcuriſſimis lucem intuliſſe; adeò vt opiner non in

co

eo ſuperfluam me operam poſuiſſe. Quod ſi aſſequutus ſum, gratias ago Chriſto Domino, Sapientiæ veræ, luci infinitæ, cuius donum eſt, quicquid bonum eſt: Sin minùs, certè in magnis voluiſſe, magnũ eſt. Quicquid verò illud ſit, Sanctæ Eccleſiæ & melioribus iudicijs ſubditum eſſe volo.

ECCLESIASTICI CAPVT I.

De Sapientia.

1 *OMNIS Sapientia à Domino Deo eſt.* Varijs modis Sapientia in ſacris literis accipitur. Maximè verò noſtro huic Authori, Sapientia tribus capitur modis. Primùm pro Sapientia Dei, quam Deus genuit: quã nos Chriſtiani, Filium Dei, & Verbum Dei, nuncupamus. Licet hęc nomina etiam apud Mercurium Triſmegiſtum inueniamus.

Vide Pimandrũ Dialog. 1.4. & aliàs.

Porrò ita ab Eccleſiaſtico ſumi, ipſe nos textus docebit. Secundò capitur pro dilectione Dei, ipſo textu in hoc cap. dicente: Dilectio Dei honorabilis ſapientia. de qua cap. 43.

Eccli 43.

Piè, inquit, agentibus dedit ſapientiã. Tertiò, pro eruditione, & doctrina grandi. de qua cap. 39. totum inſtituitur.

Eccli 39.

de qua item in Eccleſiaſte ferè toto, mentio eſt. de qua intelligi debent loci dicentes, quòd Beſeleel, &

el,& Hiram erant pleni ſapientia, Exodi 31. 35. & 3. Reg. 7. Dicit nunc Eccleſiaſticus, Sapientia omnibus modis accepta à Domino Deo eſt, ab eoq; procedit. ¶ Doctus Theologus ſurget ſtatim, hoc quod diximus impugnans. Nam ſapientia quâ Deus ſapiens eſt (quæ Theologis vocatur ſapientia eſſentialis, communis omnibus perſonis diuinis, vt eſt ipſa diuinitas communis) illa non eſt à Domino Deo. vt enim diuinitas, ſeu eſſentia diuina, à nullo eſt: ita nec eſſentialis ſapientia. ¶ Tum Pater æternus (vt noſtro modo intelligendi loquamur) antè quàm intelligatur gignere Filium, intelligitur ſapiens. ea verò eius ſapientia à nullo eſt. vt enim Pater à nullo eſt, ita neque eius ſapientia propria. Certè vterque nodus non facilè diſſoluitur. ſed reſponſio eſt: Nec diuinitati, nec Patri ſapientia appropriatur: ſed Filio. Diuinitatis proprium eſt, eſſentia perſonis communis. Patris appropriatum eſt potentia. Soli Filio in diuinis ſapiéntia appropriata eſt, ideo doctiſſimè Eccleſiaſticus, de ſola ſapiētia, quę Filius eſt, meminit. Declarantur hæc aliquanto intimiùs. Licet Spiritus ſanctus pleniſſimè habeat eas perfectiones, quas diuinitas habet: at eius primaria ratio, in noſtro modo intelligendi, eſt amor, ſeu charitas, ſeu ſpiritus, ſ. amoris. Ita, licet Pater veriſſimè ſit ſapiéns, eius tamen primaria ratio, eſt potentia generandi, ſeu Paternitas. Ita ſimiliter primaria diuinitatis ratio, in noſtro modo

Exod. 31. 35.
3. Reg. 7.

concipiendi,eſt diuinitas : ſeu,id quo nihil maius cogitari poteſt. At primaria Filij Dei ratio eſt Sapientia, Verbũ, Conceptus mentalis, Notitia, Intellectio. quia ſ. Filius eſt Verbum, per cognitionem Patris productum. Cùm igitur formaliter, præcipuè, & primariò ſapiẽtia approprietur Filio, non verò ita dicatur conuenire alicui alij in diuinis, ideo de his nihil Eccleſiaſticus meminit. ¶Dices, cùm omnia alia, à Deo ſint etiam, cur ſpeciatim de ſapiẽtia dicitur, quòd à Deo ſit? Certè, quia primũ, & maximum quod à Deo proceſſit, Sapientia proceſſit. Primum quod Pater effudit (ſi hoc verbũ non reprobetur) eſt Verbũ ſuum. ideo meritò de Sapientia, id eſt Verbo, ſpecialiter loquitur Author. volens ſ. Sapientiã prima laude ex eius principio laudare. ¶Supereſt non leuis ſcrupulus, cur dilectionem Dei, ſub nomine ſapientiæ concluſit? Reſponſio erat alterius loci: at in præſentia, breuiſſimè dicam, Author ſumpſit dilectionem, pro vita ſancta, ſpirituali, quam

Roman.6.7. vitæ nouitatem Paulus, vitam æternã Chri-

Iohan.17. ſtus nuncupauit. At hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum. Si vita ęterna primariò eſt cognitio, primariò planè eſt ſapientia.

2 *Et cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.* Locus apertus eſt, ſi de Sapiẽtia, quæ filius Dei

Iohan.1. eſt, intelligatur. Ita enim & Iohannes, In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum. Hoc erat in principio apud Deum.

Hæc

Hæc enim veritas catholica non Chriſtianis modò: ſed Iudæis, maximè Dei ſpiritu afflatis, nota erat. Et hic Author apertis verbis Filium Dei confeſſus eſt, cùm ait, in cap.vlt. Inuocaui Dominum, Patrem Domini mei, vt non derelinquat me. ¶ Tu obijcies: Vt verum ſit Sapientiam, quæ eſt Filius Dei, fuiſſe cum Deo ante omnia ſecula, quomodo dilectio Dei, atque eruditio, quæ ſunt accidentia creata, fuerunt cum Deo, ſemper? Primùm quidem fuerunt eminenter in Deo, & cum Deo, id eſt, multo meliori modo erant illa in Deo quàm in ſe. Multo enim ſublimiùs dilectio & eruditio ſunt in mente Dei, quàm in eſſe creato. Adde ex Theologia, nõ D.Thomę modò, ſed ex Dionyſio, Hieronymo, Hilario, licet res creatæ non ſint cum Deo in tempore: ſunt tamen ſimul cum eo, in æternitate. ſiquidem momentum æternitatis ambit tempora cuncta. Lege Hieronymum in illud Matth.25. *Hieronymus.* Venite benedicti, percipitę regnum &c. & Auguſti.in illud pſal.49. Pulchritudo agri *Auguſtinus.* mecũ eſt. Hilarium, id apertè dicentem 12. *Hilarius.* de Trinit.fol.75. Gallicanæ editionis. Lege item Tertullianum contra Praxeam fol. *Tertullianus.* 145. eiuſdem impreſſionis. Imò & Author noſter hoc tradit apertè Eccli 39. vbi id dicemus. ¶ Dices, ſi hoc modo euadimus, cur potiùs de Sapientia hæc dixit Eccleſiaſticus, quàm de rebus alijs creatis à Deo? Certè, quia ſapientia, quæ eſt dilectio, & quæ eſt eruditio, vehementer ſapientiæ diuinæ re-

ſpondent: eiúsque habent magnam ſimilitudinem: ſi non in alijs, certè in hoc, quòd earum primaria ratio & conceptus, eſt ſapientia, vt eſt ſapientiæ Diuinæ. Et hæc eſt ſecunda Sapientiæ laus.

3 *Arenam maris: pluuiæ guttas: dies ſeculi, quis dinumerauit? Altitudinem cæli: latitudinem terræ: profundum abyſſi, quis dimenſus eſt? Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inueſtigauit?* Hæc eſt tertia Sapientiæ laus, ſ. quòd ſit infinita: ac ideo ſoli Deo inueſtigabilis. Id probat priori argumẽto. quia ſi arena maris, guttæ pluuiæ, & dies ſeculi nequeunt comprehendi: res ſ. quas oculis verſamus: quomodo comprehendemus Sapientiam, tam longè diſſitam ab oculis noſtris? probat item, quia ſi Sapientia præcedit cuncta creata: igitur non eſt illa creata. Creator igitur eſt, igitur comprehendi non poteſt.

Quoto mundi anno hæc Author ſcribit.

¶Primum id annotandum eſt, licet dies ſeculi numerentur à nobis: ſiquidem annus quo hæc ſcribimus, eſt annus ſeculi 5530. porrò hi dies ſunt iam præteriti: ac ideo numerari queunt. at nemo numerauit dies ſeculi præteritos & futuros. Nemò enim de die iudicij, deq; eius hora nouit, niſi Pater. Forſan per æuum intellexit æternitatem. cuius dies ſunt ſoli Deo noti. at planius eſt de ſeculo intelligere: quia nunc dixit Author ſapientiam fuiſſe ante æuũ. ¶ Notandum ſecundò, licet Aſtrologi promittant ſe noſſe altitudinem cæli, latitudinem terræ, mariſq; profundum: certum id facientes

Matth. 24.

entes aſtrolabicis gradibus: vt eſt videre apud Sacrobuſtū, eius enarratorem Ciruelum, Gemmam, & nouiſſimū Orontium: id tamen illi, vt verè nouerint: punctim, & exactè noſſe non poſſunt. Si enim quantus ſit annus adhuc certò neſcitur: niſi quòd Albategni dicitur rem propiùs attigiſſe: vt eſt apud Iohannem Mariam in additionibus ad Iohannem Lucidum: quomodo cæli altitudinem, aut terræ latitudinē, agnorint? punctim dico, & ſine defectu. ¶ Notandum tertiò, hoc loco Eccleſiaſticum velut raptum Sapientiæ Diuinæ pulchritudine, de ea ſola feciſſe mentionem. nulli enim alij poterit conuenire, quòd omnia præcedat. Et equidem, niſi violentia textui inferatur, minimè ſcio, quomodo potuit Arrius ei reſpondere. Si enim præcedit omnia, planè præcedit cuncta creata. Non eſt igitur ipſa creata. Hactenus tertia Sapientiæ laus, ab eius æternitate.

Sacrobuſtus. Orontius. Gemma. Albategni. Iohānes Maria. Iohannes Lucidus.

Prior omnium creata eſt Sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Hæc eſt quarta Sapientiæ laus. ¶ At dicet Arrius, En fatetur Eccleſiaſticus, Sapientiam creatam eſſe: quomodo tu audes aſſerere eā eſſe creatorem? Ego precatum nimis cupio lectorem, vt ſit huius rei cenſor æquus. Author ſumpſit locum hunc ex Prouer. c. 8. vbi dicit Sapientia, Dominus poſſedit me initio viarū ſuarum. vbi Græcus interpres pro verbo poſſedit, vſus eſt verbo ἔκτισε. quo verbo, vtitur nunc Eccleſiaſticus Græcè translatus. 4

Prouerb. 8.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

70. Interpretes. forſan quia 70. Interpretes (quorum vnus dicitur ipſe fuiſſe) pro poſſedit, vtebantur verbo ἔκτισε. cùm tamen Hebræũ verbum ſit קנה quod apertè ſignificat poſſidere. igitur quam ſignificationem habet originarium verbum qanah, eam habet Græcũ Ectiſe: & Latinum, creauit. Ergo ſicut qanah ſignificat non creare, in ſuo rigore, ſed poſſidere: ita creata, non debet ſumi pro facta, ſed pro poſſeſſa. Eſt igitur quarta Sapientiæ laus, ipſam eſſe totam poſſeſſionem Dei. Digna illa quidem tanto poſſeſſore: dignus ille tanta poſſeſſione. Simul laus eſt, quòd Deus ab æterno eam poſſeſſionem habuit. Neque vnquam inops fuit, qui eam habebat hæreditatem. Solent enim Principes ſuis poſſeſſionibus eſſe felices. At erat Deus eâ ſapiẽtiâ felix. Quod vero ſubdit Author, *Intellectus prudentia ab auo.* Hunc habet ſenſum: Platonici (quos ſequutus eſt Auguſtinus) dicebant rationem noſtram, cùm contemplatur ſummâ, vocari rationem, & ſapientiam: dum verò curam habet de infimis, vocari prudentiam. Iam colligimus nos ex hoc Authoris textu, Sapientiam Diuinam non ſolùm ſuam diuinitatem aſpicere: ſed ad noſtram miſeriam ſuos oculos demittere, curamq; noſtri gerere: vt quæ non ſit Sapientia ſolùm, ſed ſit etiam prudentia. ¶Ex ſequentibus tamen, intellectus prudentiæ videtur ſumi, pro acumine prudentiæ. Infrà enim hoc cap. dicitur: Scientiam & intellectum prudentiæ Sapientia

Platonici. Auguſtinus.

Intellectus.

com-

compartietur. Id eſt, Sapientia dat ſcienti- am, & acumen prudentiæ. Ergo ſenſus eſt, Sapientia, ipſa eſt acumen prudentiæ. videlicet, quæ infinitas prudentiæ eſt. *prudentia.*

5 *Fons Sapientiæ verbum Dei in excelſis: & ingreſſus illius mandata æterna.* Dubia res eſt, quomodo Verbum Dei ſit fons Sapientiæ. Pater planè eſt fons Sapientiæ, & Verbi: Verbum non ita. Rabanus euadit nodum, dicens, Fontem Sapientiæ Euangelicæ fuiſſe Verbum Dei in carne ſuſcepta. Et, cùm ingreſſum eſt Verbum in orbem, ei dedit æterna mandata. Nam mandata Euangelij æternùm durabũt. Lyranus euadit dicens, ſenſum eſſe: Fons totius Sapientiæ creatæ eſt Verbum Dei. Quod ingrediens in montem Sinai, dedit Iudæis mandata Decalogi. Addamus nos verbulum. Senſus primus eſſe poteſt: Verbum Dei eſt fons, puteus, pelagus, mare Sapientiæ. Vt enim D. Auguſtinus Sermone de Samaritana dicit, Omnis puteus fons eſt. Ergo Verbum Dei, quod mare Sapientiæ eſt, fons itidem Sapientiæ erit. Ad hunc porrò puteũ patet ingreſſus per mandata diuina. Si vis ex hoc puteo aquam ſalientem in vitam æternam haurire, ſerua mandata. Secundò D. Gregor. Nazianzenus in Theologia dicit, diſtingui hæc tria, fluuius, fons, oculus fontis. Fluuius manat ex fonte: fons efficitur ex oculo. Ex oculo bullit aqua, quæ facit fontem: è fonte prodit aqua, quæ inde efficit riuũ. Egregiè igitur Verbum vocatur fons, ex oculo, id eſt,

Rabanus. *Lyranus.* *D. Auguſt.* *Iohan. 7.* *Gregorius Nazianz.*

ex principio Patris emanans, Et verè ex oculo, quia oculus Patris, apertus ad cognoſcendam Diuinitatem, principium eſt emanationis Filij. Tertiò, negari nõ poteſt quin Deus Pater ſit fons Sapientiæ actiuæ.i.fons, qui producit ſapiẽtiam, Pater eſt. At noſtro modo concipiendi & intelligendi, Verbum eſt fons Sapientię formaliter. Siquidem iudicio noſtro, tunc vocatur vir ſapiens, cùm ſapientiam produxit: ergo ita Pater vocabitur, iuxta noſtram intelligentiam, ſapiens plenè, cùm ſuum Verbum produxit.i. cùm ſapientiæ fontem effudit. Et hæc eſt quinta Sapientiæ laus, quòd ſit notitia, & Verbum mentis Diuinæ: quo Pater ſe & omnia cognoſcendo, ſe, & omnia dixit. Eructauit enim Pater Verbum bonum, &c. ¶ Conquereris, quòd non intelligas hanc Verbi Diuini generationem, audi quæ ſequuntur.

Pſal.44.

6 *Radix Sapientiæ cui reuelata eſt?* ſ. origo Sapientiæ, & modus, quo genita eſt, nemini eſt nota. Intellige, viribus naturæ. Nam ex gratiæ reuelatione, licet nulli ſit penitus cognita, ex parte tamen eſt nota fidelibus. Planè ſi Sapientia eſt incomprehenſibilis, eius radix talis erit. Tu nota, Pater, vt eſt Deus, à creatura mundi, per ea quæ videmus conſpicitur: at verò Deus, vt eſt radix Filium proferens, non cognoſcitur viribus naturæ. Et hæc eſt ſexta Sapientiæ laus, quòd eius principium ſit incomprehenſibile. Pulchrum verò eſt quod ſequitur.

Roma.1.

Aſtutias

Aſtutias illius quis cognouit? Vbi notandum, verbum Græcum, quod Latinus reddidit aſtutias, deriuatur à verbo Græco panurgos. Id verò nomen ſignificat verſatum in omni re. à pan, & ergos. Ergo ſenſus huius loci eſt: Quis nouit, quàm ſit Sapientia in omni re, & in omni opera verſata? Ita planè Sapiētia Diuina eſt pelagus ſciens omnes res: quia ex omnium rerum cognitione dimanat. Scit igitur omnia, verſata eſt in omnibus: nihil non penitus penetrat. *Diſciplina Sapientiæ cui reuelata eſt?* In hoc libro vocatur Diſciplina, ea inſtitutio vitæ, quâ Spiritus ſanctus inſtituit ſuos, vt ſpiritualiter, non ſecundùm carnem viuant. Iuxta illud: Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et illud, Spiritus ſanctus docebit vos omnia, & ſuggeret omnia, quæ ego præcipio vobis. Et item, Vnctio docebit vos de omnibus. Iam quis, niſi Spiritu reuelāte doctus, intelligat, quibus rationibus Sapientia, & Spiritus Dei animam moueant, inſtigent, & inſpirent ad mala cauenda: bona cogitanda, amanda, exequenda? Igitur viribus naturæ, nulli manifeſta eſt diſciplina Sapientiæ. Huic alludit quod ſequitur. *Multiplicationem ingreſſus eius quis intellexit?* id eſt, quis norit, quàm multipliciter, & quàm variè Sapientia in animam hominis ingrediatur. Nam in quoſdam ingreditur per ſe, ipſam pelliciens, & vocans: vt in Paulum. in quoſdam per angelica miniſteria: vt in Eliam. in

Diſciplina. *Rom.8.* *Pſal.93.* *Iohan.14.* *1.Iohan.2.* *Actor.9.* *3.Reg.19.*

Actor. 8. quoſdam, per hominum vocem: vt in Eunuchum Candacis. in quoſdam per hoſtes: vt in Iudæos. Vnius Auguſtini vocatio ſit exemplum ad intelligendum varias vias, per quas Dei Sapientia in animas ingrediatur.

7 *Vnus eſt Altiſſimus Creator omnium omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius, & dominans Deus. Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto: & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt.* Hæc eſt laus Sapientiæ ſeptima, ſextæ, & tertiæ ſupradictis annexa. Dictum eſt enim Sapiētiam, ſimul & eius originem eſſe omni creaturæ incomprehenſibilem: nunc dicitur, quòd ſolus Deus eam comprehenderit: vt qui eam produxerit in Spiritu ſancto, eam etiam numerarit, & menſus fuerit. ¶ Notabis primùm, Deum eſſe nimis metuendum: vt quem adorent Dominationes, tremant Poteſtates. Illi ſ. angeli, adeò potentes, vt ex potentia vocentur Poteſtates, illi inquam, coram Deo tremūt. Apoc. 5. Et ſeniores in Apocalypſi, qui ex familiaritate videbantur minùs deterrendi, illi procidunt coram facie ſua. Tantus eſt Diuinæ maieſtatis ſplendor. ¶ Notabis ſecundò, illud, Sedens ſuper thronum illius, non eſſe referendum ad Sapientiam, ſed ad Deum: non enim eſt ſenſus, Deus ſedet ſuper throno Sapientiæ: ſed ſuper throno ſuo. vt videnti literam Græcam patebit. Porrò ſi intelligere vis, qualis ſit thronus, ſuper quo

Dominus ſedeat, legas cap. 1. Ezechielis, vbi Ezech. 1.
graphicè, licet obſcurè, depingit angelorum (qui Throni vocãtur) numerum, qui ſedem Dei conficiat. Quod eſt à me alicubi explicatum. ¶ Notabis tertiò verbum, creauit eam in Spiritu ſancto, vbi pro creauit, interpres Græcus dixit ἔκτισε. id eſt, poſſedit. vt ſuprà dictum eſt annot. 4. Igitur ſenſus eſt, quòd Pater comparauit, acquiſiuit, poſſedit Filium in Spiritu ſancto. Quo loco id aduertendũm eſt, Hebræis dictio, in, ſignificat aliquando inſtrumentum faciendi: Vt, præualuit in funda, & lapide. Et, 1. Reg. 17.
qui fecit cælos in intellectu. Et, docebat eos Pſal. 135.
in doctrina ſua, &c. Aliquando ſignificat idem, quod, cum: vt, Apoſtoli, qui ante me Rom. 16.
fuerunt in Chriſto. Roma. 16. valet enim ac ſi dixiſſet, qui ante me fuerunt cum Chriſto. Et dicimus, eſt Deus in illo, id eſt, cum illo. Ergo erit ſenſus huius loci: Poſſedit Deus Sapiẽtiam, cum Spiritu ſancto, id eſt, ſimul vtrunque poſſedit. vt intelligatur ſimul fuiſſe ab æterno Spiritum ſanctũ, cum Filio & Patre. Secũdò Theologis confeſſum eſt, Patrem eſſe in Filio, & Filium in Patre. vt Chriſtus ait Iohan. 14. Vocant id Theo- Iohan. 14.
logi circuminceſſionem. quia enim vna eſt Patris Filijq́ natura, ideo alter in altero dicitur eſſe. Idem igitur nunc notatur. Ait enim: Pater poſſidet Filium, qui eſt in Spiritu ſancto. ſ. cum quo eſt illi vna natura. Vt enim Pater eſt in Filio: ita Filius eſt in Spiritu ſancto. Quòd ſi nimis vrgeas dictionem,

nem, in, dicam tertiò, innuiſſe Authorem hoc loco myſterium. ſ. Pater producturus Filium, cognouit ſe, Filium, & Spiritū ſanctum. ex qua cognitione pleniſſima Filium, ſeu Sapientiam produxit. Ergo Sapientiam genuit, & acquiſiuit in Spiritu ſancto. ſ. ex cognitione quâ cognouit Spiritū ſanctum. Nam vt melioris notæ Theologi dicunt, Filius gignitur non modò ex perſonarum Diuinarum agnitione: ſed etiam ex notitia omnium creaturarum. ¶ Notandum quartò quod ait, Vidit. ſ. Deus Pater Sapientiam. Quaſi diceret, aſpexit, circumſpexit, introſpexit eam: captus ſ. nimio eius decore. Et ſi noſtra felicitas eſt, vt cognoſcamus Filium, num phas erit dicere felicitatem Patris eſſe, ſuū videre Filium? illum talē conſpicere mundum? &c. ¶ Notandum quintò, duplicem eſſe quantitatem. ſ. diſcretam, quæ vocatur numerus: continuam, quæ vocatur moles. Cùm igitur ait Eccleſiaſticus, Pater dinumerauit, docuit Sapientiam eſſe numerum: non corporalem, ſed qui eminenter rerum infinitum contineat numerum. Cùm verò dicit, Pater dimenſus eſt Sapientiam, docuit Sapientiam habere molem (abſit verbo inuidia) infinitam. ſ. eſſentiam. Ergo his verbis innuit Eccleſiaſticus Deum Patrem tetendiſſe oculos ſuos, & ſua infinitate comprehendiſſe infinitas res, quas Sapientia continet: & infinitam eſſentiam, quam habet. Iuxta illud, Laudate eum ſecundùm multitu-

D. Thomas & alij.

Iohan. 17.

Pſal. vlt.

titudinem magnitudinis eius.

Et effudit eam ſuper omnia opera ſua. Certè 8
vt artifex effundit artem ſuam, in opus, quod ab arte producit. Facit enim pictor, & ſtatuarius imaginem ſimilem illi, quam intus in mente conceperat. Non planè eandem quam ille habet à ſe ſeparat, & operi præſtat: ſed ſimilem. Ita Pater effundit Sapientiam in omnes creaturas. Non eandem ſuam: ſed ſuæ ſimilem. O digniſſima res! Omnes creaturæ ſunt ſimiles Sapientiæ Diuinæ. Vt Sapiētia intra ſe habeat imagines, & ideas viuas rerum omnium, quæ ſunt extra productæ. Imò verò Sapientia quæ vna eſt, in ea vnitate habet omnia exemplaria rerum omnium. Ergo cælum hoc ſimile eſt quadātenus Sapientiæ, Sol, Luna, &c. Ergo, quod factum eſt, in ipſo vita erat. id Iohan. 1.
eſt, quicquid factum eſt, iam erat in Sapientia priùs: niſi quòd res facta in ſe, vita eſt morti commiſta: in Sapientia tamen, vita erat ſine mortis commiſtu. ¶ Speciatim tamen *Effudit eam ſuper omnem carnem.* Nam animalia quæ carnem habent, aut quod eſt ſimile carni, habent cognitionem, ſeu notitiam, quæ nonnihil eſt Sapientiæ. Ac ideo ſpeciatim ſunt ſimilia Sapientiæ. Primaria enim animalium ratio, eſt ſentiēdi. In quo ſunt ſimilia Sapientiæ primogenitæ. ¶ Multo verò ſpecialiùs Deus Sapientiam *Effudit & conceßit diligentibus ſe.* Cùm enim diligentes Deum ſint filij Dei per gratiā, quod eſt, Sapientia per naturam: neceſſariò ſpecialiter

liter datur Sapientia diligentibus. Vt quia Sapientia,eo Filius eſt,quia Sapientia genita eſt: ita & pij ſint filij, quia quodammodo ſunt Verbum Dei, & quodammodo Sapientia Dei. Paulus dicit: Eratis tenebræ, nunc lux. At lux Sapientia eſt. Meritò igitur infrà c.3.dicitur: Filij Sapientiæ, eccleſia iuſtorum. id eſt, iuſti & pij ſunt filij Sapientię.Si igitur filius eſt ſimilis Patri,num non conſequens eſt, vt filij Sapientiæ ſint quodãmodo Sapientia? ¶ Non eſt æquum in ſilentio ſepelire, quod dicit: Effudit Sapientiam ſuper opera & carnem, ſecũdùm datum, ſeu beneplacitum ſuum. O igitur agricolæ ne credite, opes veſtras penitus pendére ex ſudoribus veſtris. Deus dat rebus eſſe, & viuere ſecundùm donationem ſuam. Ideo dat aliquãdo multum,aliquando minus. Spiritus enim dat prout vult.

Ephe.5. Eccli 3. 1.Cor.12.

SECVNDA PARS.

De laudibus Timoris Domini.

9 TIMOR *Domini gloria & gloriatio.* Placet quod huius libri enarratores dicunt, hoc loco, de timore agi, quia timor initium eſt Sapientiæ. At intellige etiam tu, agi de timore,quia eſt perpetuus Sapientiæ comes. Eſt igitur laus timoris prima,ex duodecim ſequentibus, quòd timor eſt gloria. Planè regnum eſt gloria Regi: opes,opulento. Nónne igitur magis erit gloria timor,qui cauſa eſt regni cæleſtis? Qui timorem Dei habet (qualem dicemus) is rex futurus

turus eſt in cælo: & iam incipit eſſe rex in terra. Num non igitur is timor eſt gloria? Primogenitus regis, propterea iure gloriam habet: habet enim ius ad regnum. At profectò qui timorem hunc habet, maius habet ius ad cælum, quàm primogenitus ad regnum. Hic enim ex hominibus ius habet: ille ex Deo. Tum timor eſt *gloriatio*. Verbum hoc Græcis idem ſignificat, quod gloria. Eſt verò gloria celebris alicuius opinio. Iam igitur ſi grandis eruditio facit nominis celebritatem, & hominis famam, num non id magis facit timor? illa enim facit famam inter homines: hic inter angelos. Illa in terra: hic verò in cælo. Tertiò Timor eſt *lætitia*. Quia, vt nihil hominis animum magis debet contriſtare (intelligentibus loquor) quàm peccatū: ita nihil magis exhilarare, quàm carere peccato. At timor Eccli 1.
Dei expellit, nō admittit peccatum. Quartò eſt timor *Corona exultationis*. Corona datur triumpho: datur & regi. At timor Dei triumphat de tentationibus: tum facit, vt homo ſit intra ſe rex: futurus rex in vita futura. Ego ſcio, quàm ſit nobiliſſimum, regem aliquem eſſe in ſe: non captiuum, aut ſeruum. Et hæc prima laus timoris.

Timor Domini delectabit cor. ſcilicet, quia 10
per timorem euaſit peccatum: quod, vt dictum eſt, eſt veræ triſtitiæ cauſa. Et quia lætitia terrena, ſemper eſt euanida & temporaria, ideo non delectat in lōgitudinem dierum. Id quod timor Domini facit. Nam,

Timens

Timenti Dominũ bene erit in extremis. ſcilicet, in Morte, in Iudicio priuato, in Purgatorio, & in Iudicio poſtremo. ô quantum eſt, bene, & feliciter nobis aleam cadere, in illis extremis! Iam verò cùm omnium extremum viris pijs ſit cælum, ô quam ingens eſt felicitas, bene eſſe nobis in cælo! *In die defunctionis ſuæ benedicetur.* Locus hic innuit, ſenſum præcedentis textus eſſe hunc: Pijs continget bona felixq; ſenectus. Facit enim timor Dei quem viri habuimus, vt ſenes ſenectæ incommoda animoſè feramus. Sed de textu. Quale Iudicium extremum erit publicè, tale priuatum contingit occultè. Igitur ſi in generali Iudicio, pij ſunt benedi-
Matth. 25. cendi: audituri enim ſunt, Venite benedicti Patris mei: poſſidete regnum: etiam in priuato Iudicio mortis, auditurus eſt pius, Veni benedicte Patris, &c. De hac benedictione eſt hoc loco ſermo. Quanta porrò erit benedictio illa, quis poterit noſſe, niſi qui eam felix audit? Hæc ſecunda laus, & tertia.

11 *Dilectio Dei, honorabilis Sapientia.* Hæc clauſula de dilectione Dei, non eſt apud Gręcos: & videtur interiecta. Aut certè Author eam interiecit, videns dilectioni indiuiduum eſſe timorem. Porrò loquitur de dilectione creata: non verò de increata. Non enim Sapientia Dei ſolet eius dilectio vocari. Neque appropriatum Sapientiæ eſt, dilectio: ſed Spiritus ſancti. Tum ſermo eſt de dile-
2. Cor. 6. ctione, quam Paulus vocat charitatem non fictam.

fictam. Ea ſ. quæ omne propellit peccatum, quæ dilectio eſt ex toto,& ſuper omnia. Hãc Author vocat Sapientiam. Cur verò ita vocarit, nõ eſt dicere leue. Diximus tamen de hac re ſuprà annot. 1. & 8. Addam nunc verbum. Chriſtus ait: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te. Non accepit Chriſtus eo loco, cognitionem, pro notitia, quæ eſt actus ſolius intellectus: ſed pro notitia, ex dilectione procedente. Quam Paulus vocat Fidem per dilectionem operantem. Igitur notitia ex dilectione manans,& per dilectionem operans, ea eſt vita æterna. Hæc igitur eſt ſimul Sapientia,& dilectio. Et eſt veneranda Sapientia: quam D. Gregorius ſapidam ſcientiam nominat. Et hæc eſt, quæ eam habentes filios Dei, Deosq́ quodammodo facit. Vt ſicut Sapientia increata eſt Filius Dei, per naturam: ita pij ſapientiam hanc habentes, ſint filij per gratiam. Eum, qui hanc ſapientiã habet, vocat Paulus nouam creaturam, hominem nouum, hominem interiorem, &c. Sequitur. *Quibus apparuerit in viſu, diligunt eam in viſione, & in agnitione magnalium ſuorum.* Senſus eſt: Quibus Deus apparuerit, in aliqua ſpecie videndus, hi diligunt Sapientiam, & dilectionẽ: ſemper cùm viderint, aut nouerint Sapientiæ magnalia. Forſan nõ penetras. Exemplum reddet rem apertiorẽ. Abrahã, Iacob, Dauid viderunt Deum in aliqua ſpecie viſibili. Hi igitur ſimul ac videbant, & audiebant magnalia Dei, ſtatim accendebantur in amo-

Matth. 22.

Iohan. 17.

Galat. 5.

Gregorius.

Galat. 6.

Epheſ. 4.

2. Cor. 4.

rem & dilectionem Sapientiæ, quam ſcie-
bāt eſſe illorum magnalium operatricem.
Pſal.8. Videt Dauid cælos, ſtatim ait: Domine Do-
minus noſter, quàm admirabile eſt nomen
tuum! Videt hanc machinam mūdi, ſtatim
Pſal.91. ait: Delectaſti me Domine in factura tua.
Concilium Smyrnæ. Hilarius. ¶ Tu interim aduerte, ex Concilio Smyr-
næ, & ex Hilario, & alijs Sanctis alibi à me
citatis, Frequētiſſimum fuiſſe in teſtamen-
to veteri, Dei filium, eiusq́ Sapientiam ho-
minibus pijs in ſpecie viſibili apparere. Ex
quibus apparitionibus ſciebant, doceban-
turq́ magnalia, quæ temporibus illis con-
tingebant, à Sapientia beatiſſima procede-
re. Ergo pij illi qui Filium Dei, & Sapienti-
am in ſpecie aliqua viderant, videntes eius
magnalia, eam nimis diligebant. Sed rede-
at Author ad timorem.

12 *Initium Sapientia timor Domini.* Placuit do-
ctoribus noſtris, hoc loco mentionem eſſe
de timore ſeruili, qui pœnam à Deo timēs,
ceſſat à culpa. Hic timor licet non ſit Sapi-
entiæ comes, eſt tamen eius initiū. Quia eſt,
velut acus ingerens Sapientiæ filum. At ni-
mis credibile eſt Eccleſiaſticum, ſuum non
variaſſe ſermonem: ſed quòd, vt cœperat,
timorem filialem (qui ex reuerētia Dei ab-
horret à culpa) laudare, ita nūc proſequa-
tur. Tunc ſenſus eſt: Initium, caput, funda-
mentum, ſumma Sapientiæ. eſt timor ille.
Nam Hebræis initium eſt reſſit. Quod ca-
put, & ſummam ſignificat. Et planè reue-
rentia erga Deum, cuius cauſa culpam hor-
remus,

remus, ea eſt fundamentum & initium vitæ Chriſtianæ. Ea enim cauſatur ex notitia & dilectione Diuina. Eo enim reueremur Deum, quia agnoſcimus & diligimus eius maieſtatem: quam offendere pertimeſcimus. Sit ergo nobis firmum, hũc timorem, atque reuerentiam à noſtro Authore laudari. & hæc eſt quarta Timoris laus.

In vulua cum fidelibus concreatus eſt. Quinta 15
laus Timoris eſt, quòd ſit ſanctitatis indiuiduus comes. Ait igitur, Timor concreatur in vulua cum fidelibus, id eſt, ſimul ac fidelis creatur, creatur & timor. In eodem vtero gignuutur: ab eodem pariuntur: gemini ſunt fratres. Optas rem intimiùs penetrare. Audi Concilium Trident. ſeſs. 6. ibi ita docemur: Si Deus velit, ex peccatore iuſtum generare, in eius animam (velut in vuluam) ſemen verbi Diuini proijcit. Anima verò, ſemine ſuſcepto, credit, vera ſ. eſſe quæ audit. Tum maximè, pœnam mereri peccatorem: Deum non eſſe dignum, quem ita offendat. Timet ſtatim anima, Deumq́; veretur: proponens culpam deinde cauère. Fit tunc homo iuſtus, ſimul tamen fit in eo timor. Ergo fidelis ſeu iuſtus cum timore creatur. *Et cum fidelibus fœminis graditur.* Senſus eſt: Sanctæ fœminæ non gradiuntur ſine timore. Quem enim magis deceat ambulare cum timore, quàm fœminã? Quanto enim eſt illa ad peccandum fragilior, & ad perſtandum infirmior, tanto magis neceſſe eſt, timeat. *Et cum fidelibus agnoſcitur.* Ergo ti-

Concilium Trident.

go timor Dei, cũ fidelibus naſcitur in vulua: graditur in bonis operibus: agnoſcitur
Geneſ.22. in eorum vita. Agnoſcitur timor in Abra-
Geneſ.39. ham, cùm offert ſacrificio filiũ: in Ioſeph,
Heb.11. cùm repellit adulteram: in Moſe, cùm fu-
1.Reg.24. git Aegyptum: in Dauide, cùm bis parcit
& 26. Sauli.

14 *Timor Domini ſcientiæ religioſitas.* id eſt, ſi vis noſſe, quid ſit timor Dei, eſt quędam ſcientia religioſa. Hoc eſt, Eſt quædam religio, reuerentiaq; erga Deum, ex Dei notitia nata. Inuenies Theologiſſimum hominẽ, non perinde ſanctum: eſt planè in eo ſcientia: at non religioſa. Inuenies Mahumetanum, Iudæum, Gentilem plus nimis religioſum exteriùs. At non habet ſcientiam. In neutro timor Dei eſt. Sed in illo eſt, vbi eſt, cum vera notitia, deuota religio. Hinc iam rationem habes cur hic timor dicatur ſumma Sapientiæ: cur lætificet: cur ſit in nouiſſimo felix: cur denique ei quadrent laudes, quas ei tribuit Author. Inter quas hæc eſt ſexta.

15 *Timenti Deum bene erit in extremis: & in diebus conſolationis benedicetur.* Huius vitæ tempus non eſt conſolationis: ſed tentationis. Non eſt quietis: ſed pugnæ. In æternitate eſt nobis propoſita conſolatio. Ea planè, quæ vera conſolatio eſt. In æternitate igi-
Iob 7. tur benedicetur timens Deum. Vita hominis militia eſt ſuper terram. Probantur hîc
Eccli 2. homines, vt aurum in fornace. Offerendi ſunt Deo, velut holocauſtũ. Non igitur hîc

ſunt

ſunt dies conſolationis. Imò verò Chriſtus
dum viueret, horam paſſionis vocabat ho- *Iohan.11.*
ram ſuam.Erit igitur,& noſtra. Hæc igitur
ſit ſeptima Timoris laus, Timor benedice-
tur in æternitate.

Plenitudo Sapientiæ timere Deum. Priùs di- 16
xit, timorem eſſe initium, & caput Sapien-
tiæ: nunc dicit eſſe plenitudinē eius. De ea
Sapiētia loquitur,quæ eſt creata: quam di-
xit eſſe Dei dilectionē.At dilectio ſine timo-
re,plena non eſt,vacua eſt. Quæris quomo-
do Sapientia à timore impleatur? Reſpon-
det textus, *à fructibus eius.* Fructus verò Sapi-
entiæ ſunt ijdem ipſi, quos Paulus fructus *Galat.5.*
Spiritus vocat, ad Galat.5. Eſt enim Spiri-
tus agens pręcipuum.Charitas ſeu dilectio,
ſeu Sapientia creata,eſt agens miniſtrum,&
ſecundum. Qua ratione ijdem effectus, qui
tribuuntur Spiritui ſancto, ſunt tribuendi
Sapientiæ: nō planè minore ratione,quàm
Paulus eos tribuat Fidei, ad Hebr.11. Sed vt *Heb.11.*
exiſtimo,quæ Paulo eſt Fides per dilectio- *Galat.5.*
nem operans, eſt Eccleſiaſtico Sapientia
fructus producens.*Omnem domum illius imple-*
bit à generationibus: & receptacula à theſauris il-
lius. Domus Sapientiæ eſt corpus, non ſub-
ditum peccatis: ſed maximè eſt anima iu- *Sapien.1.*
ſti,quæ eſt ſedes Sapientiæ. Receptacula hu- *Sapien.7.*
ius domus ſunt, intellectus, memoria, vo-
luntas: & reliquæ potentiæ. Hanc igitur
domum,&eius cameras timor Domini im-
plet theſauris Sapientiæ, id eſt, fructibus
eius: ſeu bonis, ſanctiſq; operibus eius. Tu

verò etiam memineris, receptacula iuſtorum eſſe æterna tabernacula. Dicente Chri-
Luc.16. ſto, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt vos recipiant in æterna tabernacula. At timor Dei facit, vt Sapientia impleat hæc receptacula, ſanctis operationibus. Qui enim cæleſte tabernaculum meretur, illud ſuis meritis implet. Hæc octaua Timoris laus.

17 *Corona Sapientiæ timor Domini.* Si Sapientia vult de hoſtibus triumphare, & de victoria coronam reportare, timeat. Si vult in regno animæ regnare, & regni coronam habere, timeat. Si vult in cælo regnum, & tan-
Vt ſuprà dictum eſt. ti regni redimiri coronâ, timeat. Tu lector vide. Timor eſt initium Sapientiæ: eſt plenitudo Sapientiæ: eſt corona Sapientiæ. Vt ſit Sapientiæ principium, medium, & finis. Vt nunquam viro fideli non ſit timendus
Iob 31. Deus. ô pulchrè dictum à ſancto Iob, Vt tumentes ſuper me fluctus, Deum ſemper verebar. Quid enim proderit Sapientia, ſi timore depulſo, in peccatum labatur? Vide quid Salomoni Sapientia contulerit, poſtquam in idololatriam lapſus eſt. *Replens pacem & ſalutis fructum.* Apertiùs habet litera Græca dicens, germinans pacem. Et noſtra fuiſſet aperta, ſi dixiſſet, replens pace, & fructu ſalutis. Atqui, vt iacet, obſcura eſt. Sed nihilominus ſenſus erit: Timor Domini pacem implet. Nam pax ſine timore, plena non eſt. Ac item fructus ſalutis vacui ſunt
Eccli 41. ſine timore, Eſt pax diuiti in ſubſtantijs ſu-

is: at nō eſt illa ſine timore plena. Das eleemoſynam pauperi: das corpus ignibus, vt ardeat: ſine timore, fructus hi vani, & vacui ſunt. Si peccaſti lethaliter, à te abiecisti timorem, ſine quo vana ſunt opera tua. *Vidit & dinumerauit eam.* His verbis caret litera Græca. Sed ſenſus eſt: Timor videt Sapientiam, & eam dinumerat. Quia timor eſt qui euoluit ſinus animæ, ne quid in ea lateat culpę. Timor examinat, expēdit, perluſtrat animam totam, ne quid lateat vitij. Timor cogitat vias Sapientiæ, & conuertit animam in teſtimonia Dei. Nam timor fecit Paulum, vt conferret Euangelium cum Apoſtolis, ne in vacuum curreret. Deus dinumerat capillos capitis, vt eis pręmia det. (ſi ita loqui licet) timor etiam numerat, ne tanto præmio priuentur. Demum corona, velut videt totum caput quod cingit, & illud metitur. Ita etiam timor cingit veram Sapientiam. Quia quanta illa fuerit, tantus erit & timor. Quod eſt notandum. Hæc nona Timoris laus.

1.Cor.3. Pſal.118. Galat.2. Matth.6.

18 *Vtraque ſunt dona Dei.* Decima laus timoris eſt, donum Dei eſt, vt & Sapientia. Itaque non viribus naturæ, nec induſtriâ noſtra, ſine Dei dono comparatur. Tantus eſt Deus, vt amari & timeri non poſſit, vt debet, ſine eius donatione. Theologus bene ſcit, Deum poſſe amari, ac proinde timeri, amore, & timore naturali. At Deus, hoc & timore, & amore minimè contētus (vt qui maiora mereatur) requirit amorem, & ti-

morem tanto principe dignum. Quem dare vniuerſis vult,& optat. *Scientiam & intellectum prudentiæ Sapientia compartietur.* Quia dixerat Sapientiam eſſe donum Dei, ſubdit Sapientiam, cùm homini data fuerit, largiri ipſi homini ſcientiam, & intellectũ prudentiæ. Scientia ſumitur pro cognitione rerum naturalium. & annot. 4. ſuprà dixi, intellectum prudentiæ eſſe acumen, & lumen prudentiæ in rebus gerendis. Senſus igitur literæ noſtræ eſt: Sapientia dat, eam habenti, cognitionem rerum naturalium, & lumen gerendarum. Non intelligas, virum ſanctum ſcire Philoſophiam, & Mathematicas artes. Sed quòd viri ſancti gaudeant quadam cognitione rerum naturalium, ardenti, flammea. Cùm vident cælos, Solem, aſtra, mare, florentia prata, graues fructibus arbores, diuites tritico areas, &c. in harum rerum cognitione ſubtiles habẽt conſiderationes, acumen habent ingenij: vt mirentur, illi qui Philoſophi vocãtur, tantum in idiotis ingenium. Iam in rebus gerendis mirabiles illi ſunt. Vt enim formicę & apes, & ſimilia animantia diriguntur, in opere ſuo, ab intelligentia non errante: ita hi docibiles Dei, quos ſ. vnctio docet de omnibus, aguntur à Spiritu. Nónne igitur dices, eos prudentiæ acumen habere? Tu intellige, dum illi humiliter ſpiritui Diuino ſubduntur. Nam ſuperbia eſt huius rei peſtis. *& gloriam tenentium ſe exaltat.* id eſt, Sapientia illuſtrat eos, qui eam tenent, faciq;

Scientia.

Iohan. 6.
1. Iohan. 2.
Rom. 8.

citq; illos glorioſos,& celebres. Vide quàm ſit glorioſus Franciſcus. Num dedit illi gloriam genus? num opes? num eruditio? minimè. Dedit ei gloriam Sapientia, quam ei Deus dedit abundè. Quid dicam de Antonio, Hilarione, Macario, &c?

Radix Sapientiæ timere Deum. Dixerat ſuprà, timorem eſſe initium, mediū, & finem Sapientiæ, addit nunc eundem eſſe originem, radicem,& cauſam eius. Vt ſi Sapientia cares,& Sapientiam optes, Sapientiam à timore requiras. Lege Concilium Trident. ſeſſ.6.c.6. Ergo, vt agricola, qui arborē vult grandem habere, radicem vnicè colit, eam paſtinando, ablaqueando, ſtercorando, rigando: & ex radicis beneficio totius arboris felicitas oritur: ita qui Sapientiam vult augere, timorem, Sapientię radicē, excolat. *Concilium Trident.* *Et rami eius longæui.* id eſt, timor facit ramos Sapientiæ longæuos. Rami Sapientiæ ſunt virtutes infuſæ. Per quas Sapiētia ſuos fructus profert: vt arbor per ramos mala ſua producit. Theologicum enim eſt, charitas per alias virtutes ſuos elicit actus. Si propter Deū toleras labores, hæc tolerantia eſt fructus charitatis, per ramum patientiæ. Dicit igitur Author, ſi vis virtutes diu poſſidere, time. Adā, quia non timuit, citò charitatis ramos amiſit. *Geneſ.3.* *In theſauris Sapientiæ intellectus, & ſcientiæ religioſitas.* Res eſt Sapientia diues. Theſauros habet. Habet enim omnes virtutes, quæ ſunt eius theſauri. Vt enim vita naturalis habet grandem multi-

tudinem potentiarum, & cognoſcentium, & appetentium: ita & maiore ratione habet vita ſupernaturalis. Inter opes huius vitę, eſt ſcientia. vt annot.18. dicebamus. Eſt rurſum, ſcientiæ religioſitas. id eſt, ipſemet timor. vt annot.14. dixi. Dicet Theologus, quomodo Sapientia habet timorem ſub ſe, ſi timor eſt eius origo? Certè quia virtutes mutuò ſe iuuant. Charitas iuuat, & accendit fidem: Fides illuſtrat, & inflãmat charitatem: Spes prouocat charitatem: charitas incitat ſpem. &c. Ita Sapientiam extimulăt, & ſeruat timor: timorem illuminat & auget Sapientia. Hæc decima Timoris laus.

20 *Timor Domini expellit peccatum.* Ita planè expellit omne peccatum illa erga Deum reuerentia: vt ad Deum, vt ad dominum, vt ad patrem, vt ad amicum, vt ad virum, vt ad iudicem, vt ad digniſſimum omni reuerentia. Dixit Dauid: Viuit Dominus, propitius ſit mihi Dominus, vt non mittã manum meam in chriſtum Domini. Quanto minùs mitti debet in Chriſtum Dominum? Dixit Ioſeph: Ecce dominus meus ignorat, quid habeat in domo ſua: quomodo poſſum hoc malum facere? Quanto minùs adulterio violanda eſt anima, quæ ſponſa Dei eſt? En qua ratione timor Dei peccata depellat. ô valentiſſimas vires timoris! infernus, mũdus, caro nos ad peccata propellunt: Timor poteſt hãc hoſtiũ phalangẽ repellere. Num non hęc magna timoris laus?

1. Reg.24.

Geneſ.39.

Nam

Nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. 21
Dupliciter dicimur iuſtificari : Aut quia ex iniuſtis efficimur iuſti : Aut quia ex iuſtis progredimur,vt reddamur iuſtiores.Prior iuſtificatio, ſine timore eſſe non poteſt. vt docuit Concilium Trident.ſeſs.6.Præcedit enim pœnarum timor iuſtitię infuſionem. **Concilium Trident.** Poſterior iuſtificatio, nequit item eſſe ſine timore: ſiquidem (vt dictum eſt) timor eſt initium,plenitudo,& corona iuſtitię.Quomodo enim iuſtitia erga Deum, ſine reuerentia erga eum erit? *Iracundia enim animoſitatis illius, ſubuerſio eius eſt.* Ante hæc verba Græci codices habent, Vir iracundus non poterit iuſtificari. Cui verbo, verba textus rectiſſimè quadrant.Nihilominus pulchrũ habent verba propoſita ſenſum.Qui tentatur,& nimis afficitur peccato : vidẽs legem Dei ſibi obſiſtentem,ſecum,&contra legem Dei iraſcitur : & erga peccatũ affectio eum facit animoſum ad peccandum. Ergo iracundia animoſa eius qui peccat, eius ſubuerſio eſt. Planè quidem reuerentia & timor Dei animum ad peccandum eneruat. At carentia timoris animum ad peccãdum largitur. Non ergo, qui ſine timore eſt,iuſtus erit.In contrarium porrò *Vſque in tempus ſuſtinebit patiẽs: & poſtea redditio iucũditatis.* id eſt, Vir iuſtus tentatus, & afflictus, patiendo ſuſtinebit,vſquequò pertranſeat afflictio.Tũc erit redditio hilaritatis. Vt enim nocti ſuccedit dies, hyemi ver, tempeſtati tran-

tranquillitas : ita tentationi iucũditas. Igi-
Abac.2. tur tu qui tentaris, ſi moram fecerit Domi-
nus, expecta illum : Veniens veniet, nõ tar-
dabit. Ecce qui incredulus eſt, (ſiue iracun-
dus animoſè) non erit recta anima eius in
ſe. Abacuc 2. *Bonus ſenſus, vſque in tempus, abſ-
condet verba illius.* id eſt, Vir iuſtus, qui bono
ſenſu eſt, cùm tentatur, abſcondet in pecto-
re verba (quæ illi ſecretò Sapiẽtia inſpirat)
ne vincatur à tentatione. Abſcondet inquã,
Pſal.56. vſque in tẽpus quo tranſeat iniquitas. Tum
etiam, Bonus iuſti ſenſus abſcondit in pace
verba Sapientiæ, quæ illi proſint in tempo-
Eccli 2. re belli. Porrò Sapientiæ verba ſunt, Vt iu-
ſtus ſtet in iuſtitia ; & paret animam ad ten-
tationem. *Et labia multorum enarrabunt ſenſum*
Pſal.118. *illius.* Certè qui nouerunt iuſtũ conſeruaſſe
in corde eloquia Dei, ne peccaret illi, lau-
dant bonum eius ſenſum. Vt laudamus ſen-
Geneſ.18. ſum Loth, qui inter peccatores iuſtus erat.
Laudamus Dauidem, qui eo ſenſu prædi-
1.Reg.24. tus fuerit, vt non admoueret manum con-
tra Saulem. *In theſauris Sapientiæ ſignificatio
diſciplinæ.* Quoniam Author vſus fuerat ver-
bis obſcuris, & parabolicis, velut excuſat ſe
dicẽs, has parabolas, & ænigmata, quæ ſunt
ſignificationes ſignificantes, quomodo vi-
ta ſit inſtituenda, contineri in theſauris Sa-
pientiæ. Quem eſſe germanum literæ ſen-
ſum, Græca docent : ita enim habent, In
theſauris Sapientiæ, parabolæ ſcientiæ. Igi-
tur Sapientia eſt opulentiſſima. Quæ non
ſolùm in ſuis theſauris habet ſcientiam, &
intel-

intellectum, & religioſam ſcientiam: ſed habet etiam verba ænigmatica, in quibus ingenia multorum exerceantur. Propterea Sapiens Salomon ænigmata docuit, & parabolas. Propterea Author hic ex Sapientia has parabolas ſcripſit. Erat enim hic illorum temporum vſus, vt nimis ſe in parabolis exercerent. Ideo Regina Saba venit 3.Reg. 10.
tentare Salomonem in ęnigmatibus. 3. Reg. 10. Hæc vltima Diuini timoris laus.

TERTIA PARS.

Modus acquirendi Sapientiam.

FILI, *concupiſcens Sapientiam, conſerua iuſtitiam.* 22
Dictum mihi eſt initio cap. huius, Sapientiam tripliciter accipi: ſcilicet pro Sapientia increata, pro dilectione, pro eruditione. Modus acquirendi hanc tertiam, docetur fuſè infrà c.39. modus acquirendi *Eccli* 39.
ſecundam, & ſimul cum ea primam, hoc loco docetur. Si vis, inquit, Sapientiam, conſerua iuſtitiam. i. Si Sapientiæ laudibus accēſus, eam cupis habere, acquire Iuſtitiam, eamq; vt theſaurum ſerua. Et tunc ne crede te Sapiētiam tuis viribus peperiſſe: ſed *Dominus dabit eam tibi.* Intellige Diuinam dilectionem eſſe donū, quod Deus dat, nō quod è neruis tuis dependeat. Hęc igitur eſt Chriſtiana doctrina. Tu intende vires, quantum potes. Labora ſeruādo iuſtitiam. Quod vbi feceris, dicito: Seruus inutilis ſum. Expe- *Luc.*17.
cto, vt Dominus dono, & gratis det, quod opto. Vt ſit hic rerum ordo, Deus primùm

ſuo

ſuo auxilio mouet, atque iuuat nos. à nobis ita adiutis requiritur, vt conſeruemus iuſtitiam. Conſeruantibus iuſtitiam datur Sapientia.

23 *Sapientia enim & diſciplina, timor Domini.* Illa dictio, enim, cogit nos ad intelligendum verba hæc eſſe cauſam præcedentium. Quòd ſi ſunt cauſa, cogimur ita ea intelligere: Sapientiam dat Dominus ſeruantibus iuſtitiam: quia tam Sapientia, quàm diſciplina, quàm timor, ſunt dona Domini. Domini ſunt, non virium noſtrarum. Nec ſola hæc ſunt dona Domini: ſed etiam *Fides, & manſuetudo, quæ ſunt beneplacitum Dei* Fides eſt donum Dei (vt habet Paulus ad Epheſ. 2.) quæ eſt totius vitæ ſanctæ nouus ingreſſus. Et manſuetudo etiam donum Dei eſt. quæ eſt poſtremum donum hominum. Dicente pſalmo 89. Superuenit manſuetudo, ſ. ſenectæ, & corripiemur. Et item, In ſenecta vberi, & bene patiẽtes erunt. Igitur initium, & finis, & media vitæ ſanctæ dona Dei ſunt: ſuntq; εὐδοκία, & beneplacitum eius, quę dat cui, & quãdo ei placet. Ideo ſubdit, *& theſauros illius adimplebit.* id eſt, Deus eſt, qui dat dona illa: & qui theſauros hominis, Sapientiam concupiſcentis, adimplebit. Vide ſuprà annot. 16.

Epheſ. 2. *Pſal. 89.* *Pſal. 91.*

24 *Contumax non ſis, & incredibilis timori Dei.* Dixit ſuprà, Subuerſio hominis eſt eius iracundia, & animoſitas: quam infrà vocat apoſtaſiam: eandem nunc vocat contumaciam. quæ eſt repugnãtia animi, non ſe crę-

dentis,

dentis, nec tradentis Deo, nec timori eius.
Animus rurſum durus, reſiſtens, inobediens
is vocatur incredibilis, non credẽs Deo,
& ei ſuo malo contumax.

Neque acceſſeris ad eum duplici corde. Simplex 25
animus opponitur duplici. Porrò vir
ſimplex vbique laudatur in literis ſanctis.
Lege Iob 1. Pro ſimplici, Hebræi dicũt per- *Iob 1.*
fectum: vt ſimplicem eſſe, ſit perfectum eſ-
ſe. Igitur duplex vocatur Rabano, qui vult *Rabanus.*
gaudere cum ſeculo: & regnare cum Chri-
ſto. Qui Dei eſt per fidem: mundi per amo-
rem. Deo dedit intellectum: mundo affe-
ctum. Hi ſunt, quos Elias dicit claudicare 3.Reg.18.
in duas partes, colentes ſimul Deũ, & Baal.
Hi ſunt Samaritani, ſeruantes legem Dei, & 4.Reg.19.
ſeruientes idolis ſuis. At eſſe Samaritanum,
erat tunc iniuria ſumma. Hi ſunt hypocri-
tæ: oſtentantes ſe eſſe Chriſtianos exteriùs,
cùm longè ab ea vita abſint interiùs. Ideo
ſequitur. *Ne fueris hypocrita in cõſpectu hominũ.*
Græci dicunt: Ne fueris hypocrita, in ore
hominum. Planè ſi aliud habes intus, quàm
oſtendas foris, vocaberis hypocrita ab ho-
minibus. At quis non videt, te hypocritam
vocandum, ſi cùm Chriſtianum te verbis
fatearis, factis te Chriſtianum non eſſe vi-
demus. Planè ſi liberè loqui liceat, magnam
Chriſtianorum partem vocabimus hypo-
criticam: vt quam ſcimus aliud dicere ver-
bis, aliud factis confiteri. Si igitur vis Sapi-
entiam à Deo, contende hypocriſin coram
hominibus cauere; imò, id omnino opere

præ-

præſta, quod verbo profiteris. Idem ferè eſt quod ſubdit. *Ne ſcandalizeris in labijs tuis.* Matth. 21. Chriſtus dixit ſe eſſe lapidem, in quẽ multi impingunt, & cadunt. Chriſtianus enim, qui Chriſtum quem colit, offendit, in eum impingit, & cadit. Similiter igitur, qui fidem quam eius labia confitentur, quiq; legem, quam eius labia ſonant, violat, is impingit in fidem, & legem. Ergo offendit, & ſcandalizatur in lege, & in fide, quam eius labia, non animus loquitur. Caue igitur tu ne offendas, & impingas in labijs tuis.

26 *Attende in illis.* id eſt, attende nimis fidei labiorum tuorum: legiq; labiorũ tuorum. *Ne fortè cadas*, ſupple, eas violans. Si enim fidem hanc, legemq; violaueris, *adduces animæ tuæ* (id eſt, tibi) *dedecus* in die Iudicij, tam generalis, quàm particularis. Si quæris, quomodo tibi paras dedecus in die Iudicij? Certè quia *Tunc Deus reuelabit omnia abſconſa* Rom. 2. Daniel. 7. *tua.* Tunc enim libri aperientur, & intelligent omnes te, alium fuiſſe exteriùs, alium interiùs. Tunc patebunt omnia ſcelera tua in conſpectu totius mundi. *Et in medio illius ſynagogæ*, & conuentus vniuerſalis Deus *elidet te.* Proijciens in voraginem, tunc enim terra aperietur: & inde in infernum, vbi eliſus ardebis æternùm. Cur ita? Cur tanta miſero pœna? *Quia acceſſiſti ad Deum malignè: corde pleno dolo & fallacia.* Debueras accedere ad Deum ſimplici animo: at duplicem animum adduxiſti. Debueras accedere verè,

verè,& ſyncerè: acceſſiſti hypocriticè, fallendo hominum oculos, qui credebant te eſſe Chriſtianum intus,& extra. Ideo pœnam pateris ſempiternam. Veritas Deus verè coli vult, non falſò.

CAPVT II.

De primo Præcepto prioris Tabulæ.

FILI, *accedens ad ſeruitutem Dei.* 1.
id eſt, Si ex Dei inſpiratione, conuerſus à mundi vanitate, & à peccatorum ſordibus, vis Deo ſeruire, eiuſq; voluntati placere, plurima tibi ſeruanda ſunt. Primùm, *Sta in iuſtitia.* id eſt, firmus diuina ſerua mandata: vniuerſa fuge peccata. Odit *Pſal.5.*
enim Deus omnes, qui operantur iniquitatem. Pſal.5. Odit omnes obſeruantes vani- *Pſal.30.*
tatem. Pſal.30. Eſt autē hic mundus vanitas: imò vanitas vanitatum, ſeu vaniſſima *Eccles 1.*
vanitas. Eccles 1. Si ergo Chriſtus diligit iu- *Pſal.44.*
ſtitiam (vt Pſal. 44. dicitur) tu qui ad eum colendum accedis, dilige iuſtitiam: in ea ſta,& perſeuera. Quomodo enim in vna ſede morabitur ſumma iuſtitia, cum iniuſtitia? ¶ Secundò, *Sta in timore.* id eſt, ſta in reuerentia. Deum omni reuerentia digniſſimum, reuerere,& reuerentiſſimo, ac timenti animo adora. Petrus iuſtus erat, cùm dicebat, Si oportuerit me mori tecum, non te *Iohan.13.*
negabo. At carebat ea animi ſubmiſſione, quam timorem vocat Eccleſiaſticus, ideo

tam fœdè præcipitatus eſt. Vide annot. 20. capitis præcedentis. ¶ Tertiò, *Præpara animam tuam ad tentationem.* Præpara, per ora-
Matth. 26. tionem. iuxta illud: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Præpara, per fugam
Eccli 13. occaſionum. Nam qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Prępara, per firmitatem ani-
Pſal. 118. mi, contra peccata. Dicente Dauide, Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuę. Si in-
Geneſ. 22. cipis eſſe pius, Deus tentabit te. Vt tentauit
Iob 1. 2. Abraham, Iob, & Iudæos. Tentat enim Deus, vt ſe credat animæ ſanctæ. Quod dicemus infrà c. 4. Tentat diabolus. Tentat caro. Tentat mũdus. Tentant deniqueomnia,
Sap. 14. quæ facta ſunt, in muſcipulam pedibus inſipientium. vt Sap. 14. dicitur. Nam quia, qui Deo incipit ſeruire, celſior fit diabolo, carne, mundo, & rebus hiſçe creatis: hæc, celſitudinis huius inuida, & impatientia, armantur cõtra eam: ac ideo tentant. Præpara igitur te. ¶ Quartò, *Deprime cor tuum.* Ante conuerſionem tuam, anima tua erat corde elato: carebat illa iugo: carebat ſeſſore, & domitore. In conuerſione verò vult
Sap. 7. Deus ſedere in throno ſuo: vult ſedere ſu-
Matth. 21. per aſina, & pullo ſuo: vult aſcendere ſu-
Pſal. 17. per cherub ſuo: vult equitare ſuper pennas
Pſal. 102. vẽti, ſeu ſpiritus ſui. Deprime igitur te. Humilia te, Deum ſupra te recepturus: nullo modo ſuperbiã admiſeris. ¶ Quintò, *Suſtine.* id eſt, vbi Deũ ſuper te admiſeris, eũ, quamuis videatur grauis, ne excuſſeris: ſed ſuſti-
Pſal. 26. & 30. ne. Dictum eſt: Viriliter age, confortetur

cor tuum, & ſuſtine Dominum. Pondero-
ſus tibi videbitur nõ rarò. At ne excuſſeris
tam nobile pondus: dabit ipſe vires ad ſuſ-
tinendum, qui vult pondus in onere: dicét-
que, Sufficit tibi gratia mea. ¶ Sextò, *Incli-* 2.Cor.12.
na aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus. Deus
eſt Verbum. Verbum porrò non poteſt eſſe
mutum. Loquitur ergo tibi, tunc maximè
cùm tentationis preſſerit pondus: & cùm
eius grauitas ad ipſum excutiendũ te pro-
uocarit. Loquenti igitur aurem accommo-
da. Audi quid loquatur in te Deus. Loque- *Pſal.84.*
tur enim pacem in plebem ſuam. Hinc do-
cumentum colligamus. Cùm premimur,
Deus loquitur nobis. Loquitur verò verba
intellectus. id eſt, non corporalia: ſed aure
ſpiritus ſuſcipiẽda. Id quæritur, vt loquen-
ti obediamus. Quòd ſi dubitas, an quod au-
dis, verbum Dei ſit, id remedium habeto, ad
verba S. Scripturæ, vt ad Lydium lapidem,
examinato. ¶ Septimò, *Ne feſtines in tempus*
obductionis. Alij codices habent, Ne feſtines
in tempore obductionis. Porrò huic noſtro
Authori obductio ſignificat preſſurã, eam *Obductio.*
ſpeciatim, quæ ex tentatione venit: cùm o-
mnia videntur obducta, & tenebris conte-
cta: maximè verò ſignificat preſſuram in
tempore mortis. Tunc enim omnia viden-
tur contegi, obuolui, & obduci. Ergo ſi le-
gas, Ne feſtines in tempore obductionis,
ſenſus erit: Qui nouit arcem ſuam ab hoſti-
bus obſidendam, & prouidet ſibi ea, quę ne-
ceſſaria ſunt ad hoſtẽ ex obſidione ſubmo-

uendum,is hoſtem quietus expectat. At qui hoſtem excipit imparatus,is tempore obſidionis feſtinat, curſitat, huc atque illuc ſe vertit,vt hoſtis impetum repellat. Tu ergo fili, præpara te: ne tempore quo es ab hoſte obſidendus,& à tentatione obducendus, feſtines,& curſites. Imò verò eam quietus excipias. Alter ſenſus eſt: Ne feſtines ad fugam è cultu Dei,cùm à tentationibus obdu-

1.Pet.4. ceris. Iuxta verbum Petri 1. Can.c.4. Chariſſimi nolite peregrinari in feruore,qui ad tentationẽ vobis fit, quaſi noui aliquid vobis contingat. Si verò legas, Ne feſtines in tempus obductionis. ſenſus prior eſt: Qui tentatur, & quieſcit, vt audiat, quid in eo

Pſal.84. Dominus loquatur, is tardat, non feſtinat in tentationem. At feſtinat, qui in eam ſe ſtatim præcipitat. Sed tu fili, ne feſtines. Senſus alter eſt: Qui tempore tentationis in eam ſe conijcit,& ſceleri conſentit, is feſtinat in tempus mortis. Tum quia admiſit culpã morte,& inferni preſſurâ digniſſi-

Pſal.54. mam: Tum quia viri ſanguinum & doloſi non dimidiant dies ſuos. Si enim peccator diutius viuit, planè,vel expectatur ad veniam: vel ad multo maximã pœnã. ¶ Octauò, *Suſtine ſuſtentationes Dei.* id eſt, ſuſtine pon-

Deut.32. dera Dei. Deus aquila eſt: cùm igitur expãdit alas ſuas, & te, velut pullum, ad volandum aſſumit,facile tũc eſt volare. At quan-

Matth.21. do Deus ſuper te,velut ſuper iumento equitat,& tentationum pondere grauat, & non

Iob 1.2. contentus ouium morte,& boum,& camelorum,

lorum, & filiorum, addit vlcus peſſimum corpori toti, vxoris & amicorum ſannas: tunc quis tot Dei ſuſtentationes ſuſtineat? at tu vir pie, exemplo ſancti Iob, ſuſtine hęc onera Dei. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis. Eſt enim Dominus miſericors, & miſerator, Iacobi 5. ¶ Nonò, *Coniungere Deo.* Quis hîc non miretur hominem Deo poſſe coniungi? Hominē Deo copulari, & hominem, vnū cum Deo poſſe fieri? At profectò, qui adhæret Deo, vnus ſpiritus ęſt. O quàm bonū eſt mihi, adhęrere Deo! Porrò gluten quo Deo homo glutinatur, ſeu (vt Græca litera dicit) colla, gratia, & charitas eſt. Fit verò colla, ſeu gluten, ex extremis bouilli corij. Ita planè facta eſt gratia, & charitas de extremis. id eſt, de paſſione, & morte Chriſti, qui vitulus fuit nouellus, vngulas, & cornua producēs. Certè quia per Chriſti mortem, & gratia nobis parta eſt, & amor creſcit in nobis, quo ita patienti, ac ita de nobis bene merito, arctiſſimè copulemur. ¶ Decimò, *Suſtine.* Explicatur ex Græca lectione, quæ habet, Ne diſceſſeris. Ergo ſuſtinere eſt, non diſcedere. Quaſi dicat, Contigit hæc tibi felicitas, vt Deo coniungereris: ne igitur diſcedas ab eo. Vbi tam eſt mirandum, quòd homo velit diſcedere à Diuina coniunctione, quàm fuit mirādum, quòd Deus eam cum homine habere voluerit. Et ſicut benedicenda eſt charitas, quæ nos Deo coniungit: ita maledicendum crimen, quod nos ab eo

Iaco.5. *1.Cor.6.* *Pſal.72.* *Pſal.68.*

diſiungit. Tu ergo fili in tentatione ſuſtine, *Vt creſcat in nouiſſimo vita tua.* Quæris, quomodo creſcat vita in nouiſſimo? Tunc planè vita finitur, quomodo ergo creſcit? Certè quia vita animæ eſt charitas, eſt gratia, eſtq; ipſe Deus: vt Moſes aſſeuerauit. Ergo in nouiſſimo hæc creſcunt: Gratia & charitas in ſe: Deus verò in nobis. Creſcunt illa in ſe, quia gratia, & charitas in hac vitâ ſunt, vt lux matutina: in patria verò, vt lux meridiana. Creſcit porrò Deus in nobis. Quia multo maior nobis monſtrabitur in patria, quàm credebatur in via. Quàm igitur perſtandùm eſt in Diuina coniunctione, per quam fit, vt cùm temporalibus vita finitur, ſpiritualibus augetur: ac ita ineffabiliter creſcit! ¶ Vndecimò, *Omne quod applicitum tibi fuerit, accipe.* Quid enim tibi poteſt manus amans, & ſapiens imponere, quod non tibi conueniat? Pater tibi Deus eſt, ſapiens eſt, bonus eſt. Cur tibi dabit, niſi quod è re tua ſit? Et planè, vtcunque patiendum tibi eſt, quicquid impoſuerit ille. Neque enim excuties, quod tibi onus imponit. Lubens igitur patere, quod es paſſurus inuitus. Hac fortaſſe ratione, merebe-ris iugum tibi amoueri, quod impatientia meretur aggrauari. Quæ ſequũtur in litera, explicant hoc verbum, *In dolore, ſuſtine.* id eſt, Si imponitur tibi dolor, ne deſperes, neque nimiùm excutere contendas. Sanè, ſi in dolore, amittere patientiam, eſſet medela doloris, toleranda forſan eſſet amiſſio tolerantiæ.

Deut. 30.

tantiæ.

rantiæ. At cùm eius amiſſio dolorem potiùs exacuat, quàm ſedet, cur impatiens eris? Cùm verè dictum ſit, Omnibus malis remedium patientia eſt. Eodem modo intellige quod ſequitur, *In humilitate tua patientiã habe*, id eſt, cùm humiliaris, cùm amittis honorem, cùm proſcinderis probris & contumelijs, patientiam habe. Fatendum eſt, apud multos melius eſſe nomen bonũ, quàm diuitiæ multæ: ac ideo iacturam honoris grauius vulnus eſſe, quàm diuitiarum. Sed planè ferenda eſt vtraque iactura. Cur ita? Certè, *Quoniam in igne probatur aurum*. Purgat ignis ſcoriam auri: vas lucidum & pulcherrimum reddit, ac planè regia mẽſa dignum. Ita caminus humiliationis, purgat, illuſtrat, honeſtat, & Deo dignũ hominem reddit. Ergo, vt vas igne ſplẽdens debet gratias igni, quo reſplenduit: ita & pius, tentationi. Bonum igitur mihi, quia humiliaſti me. Sed quàm ſapienter dixit Author, homines receptibiles? Nam miſeros impios, qui digni non ſunt, qui recipiantur, ignis non purgat, aut illuſtrat: ſed accendit, & vrit. vtpote qui non ſunt vaſa aurea, aut argentea: ſed potiùs lignea aut paleata. ¶Duodecimò, *Crede Deo, & recuperabit te*. id eſt, crede promiſſis Dei, quibus promiſit opem afflictis. Ita enim dictum de eo eſt: Adiutor in opportunitatibus, in tribulatiõe. Et rurſum ipſe ait: Cum ipſo ſum in tribulatiõe, eripiam eũ, & glorificabo eum. Et item, Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & hono-

Prouer.22. *Pſal.118.* *2.Tim.2.* *Pſal.9.* *Pſal.90.* *Pſal.49.*

honorificabis me. Et hæc fidei perſuaſio, qua credis Deum tibi affuturum, velut Deum obligat, vt recuperet te: etiamſi perie-
Matth.8. ris. Ita enim Dominus ait: Vade, & ſicut
Matth.9. credidiſti, fiat tibi. Et frequenter, Fides tua te ſaluam fecit. At quia fides ſola ſi ſit, non deuincit Deum, vt faueat, ſi homo qui credit peccat, ideo ſtatim ſubditur. *Dirige viam*
Iſaia 40. *tuam, & ſpera in illum.* Quaſi diceret: Rectas fac ſemitas tuas: Eſto rectus corde: ne decli-
Deut.12. nes ad dexteram, aut ſiniſtam. Quod ſi feceris, tunc ſpera, & certus con fide, auxilium, & opem Dei tibi commodum affuturam. Alioqui, cur credas, Deum tibi affuturum, cùm tu illi non adſis? imò cùm tu tibi non adſis? Tandem concludit, in eo ipſo vnde cœperat. Primum enim quod exegit, fuit: Sta in timore: in hoc eodem totum abſoluit, dicens, *Serua timorem Dei, & in illo veteraſce.* Serua, inquit, illam piam erga Deum reuerentiam: illam filialem ſubiectionem: illam verecundam obediētiam. Rectè enim dictum eſt, de Chriſto, ac ſimiliter de quo-
Iſaia 11. uis homine pio: Replebit eum Spiritus timoris Domini: vel, vt litera Hebræa dicit, Odorari faciet in ſpiritu timoris. Vt enim viri delicati fragrantiam odoris ſuauiſſimi
Pſal.44. etiam à longè emitunt, (iuxta illud, Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis) ita viri pijſſimi pleni timore Domini, odorem
2.Cor.2. eius ex ſe fundunt. Ita enim Paulus, Chriſti bonus odor ſumus.

SECVN-

SECVNDA PARS.

Paræneſis ad pios, ne à iuſtitia deflectant.

MEtuentes Dominum, ſuſtinete miſericordiam eius: Ne deflectatis ab illo, ne cadatis. Id eſt, 2
ô vos qui ad Deum colendum acceſſiſtis, etiam ſi magna vis tentationum, & tribulationum vos obruat, nihilominus ſperate, miſericordiam Dei vobis affuturam. Ne precor deflectatis ab illo. Cur ita Eccleſiaſtice? Primùm, ne cadatis. ſ. in infernũ. Vt enim aperuit ſe terra, & viuos deuorauit Dathan & Abiron: ita cùm pius deflectit à Deo, aperit ſe infernus, & viuum deuorabit peccatorem. Secundò, *Credite illi*, inquit, *ne euacuetur merces veſtra*. id eſt, ne opera veſtra, atque merita, vana & vacua reddantur. Dictum quippe eſt, Si auertit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, nunquid viuet? omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. Ezech. 18. & miſerãdum omnino eſt, theſaurum operum tuorum, quem in ſinu Dei recondidiſti, vno tuo peccato, tibi perire. Tertiò inquit, ô pij ne deflectatis, *Vt in oblectationem veniat vobis miſericordia*. Dictum eſt: Secundùm multitudinẽ dolorũ meorũ in corde meo, cõſolationes tuæ lætificauerũt animã meam. Ergo qui in tribulatione deflectit, ſeipſum diuina conſolatione defraudat. Ne igitur deflectas, vt oblectationem Domini ſentias. Quartò, ô pij ne deflectatis à Deo: ſed potiùs eum *Diligite, vt illuminentur corda veſtra*. Id verò quid ſit, experientia fortaſſe tibi

Num. 16.

Ezech. 18.

Pſal. 93.

tibi non detexit : audi igitur Iſaiam c. 58.
Iſaia 58. Orietur,inquit,in tenebris lux tua : & tenebræ tuæ erunt, ſicut meridies : & requiem tibi dabit Dominus ſemper ; & implebit ſplendoribus animam tuam. At contrà ſi à Deo deflexeris,non tibi cor illuminabitur:
*Exod.*10. ſed irruet in te palpabiles tenebræ : vt olim in Aegypto, locus impiorum tenebris nigricabat, piorum verò luminibus ſplende-
Eccli 11. bat. Nam error & tenebræ peccatoribus cõcreatę ſunt. Quintò,pij ne deſciſcatis à Deo in tribulationibus veſtris, *Reſpicite præteritas retro nationes*, ſeu generationes, *Et ſcitote, quòd nullus in Domino ſperauerit, & fuerit confuſus*. Conijcite oculos in Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Iob, Dauid, Ezechiam. Confidebant in Domino,nec illos pudebat. Imò
*Pſal.*90. Dominus ait : Quia in me ſperauit, liberabo eum: quia cognouit nomen meum. Subiungit Eccleſiaſticus. *Quis permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum?* In quibus verbis,& proximè pręcedentibus,triplex genus hominum aduerte, qui nunquam à Deo deſpiciuntur. Primi,qui ſperant in Domino,in tribulatione ſua. Secundi,qui perſtant in mandatis eius. Tertij, qui inuocant Dominum : etiamſi in peccatis fuerint, modò recedant ab
2.*Tim.*2. iniquitate, qui inuocant nomen Domini. Ergo ſi iuſtus perſtas,non deſpicieris : ſi iniuſtus es,& ab iniuſtitia recedis,non recedet à te præſidium Diuinum. Cur ita? Certè,

Quo-

Quoniam pius & miſericors eſt Deus: & remittet in die tribulationis peccata, & protector eſt omnibus inquirentibus ſe in veritate. Ergo non ſolùm inuocans Deum: ſed etiam impius, ſi in veritate iuſtitiæ inuocarit, ſentiet Deum ſibi protectorē. Nam in eius tribulatione, peccata eius dimittit, & tribulationi accurrit. Odit enim peccatum: ideo illud citiſſimè delet. Diligit peccatorē peccata relinquentem, ideo in eius tribulatione citiſſimè ſuccurrit. Eſt demum naturâ bonus, vt non ſe contineat, quin in neceſſitate opes effundat ſuas. Quam rem ſi profundè conſideraueris, vix poteris non Diuinam benignitatem vehementiſſimè mirari. Dictum eſt de pijs, non declinantibus à iuſtitia.

Væ deflectentibus à ſanctitate.

Væ duplici corde, labijs ſceleſtis, manibus malefacientibus. 3 D. Auguſt. tract. 7. in Ioannē vult *D. Auguſtinus* duplici corde hominem eſſe, qui partem ſui facit Deo, partem diabolo. At in Pſal. 11. dicitur, Vana loquuti ſunt, vnuſquiſque ad *Pſal. 11.* proximum ſuum: labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt. Atqui, manifeſtum eſt, ſermonem fuiſſe Pſalmographo de mendacibus viris. Dixerat enim, Diminutæ ſunt veritates à filijs hominū. Igitur cor, & cor, *Duplex cor.* ſeu duplex cor, deſignat cor deceptorium, quod cùm aliud ſentiat eſſe verum, aliud vult dicere, vt decipiat. Vnde cor ſimplex, & perfectū opponitur duplici cordi. Cùm igitur cor ſimplex priùs dicatur de corde,

vera dicere volente, indeq; transferatur ad cor ſanctum, quod ſcilicet totum incumbit ſanctitati præſtandæ: ita& cor duplex prius dicitur de corde fallaci: mox de corde, quod ſe partim Deo, partim diabolo largitur. Huic ergo cordi intonat Eccleſiaſticus væ. Cùm enim Deus ſit ſimpliciſſima veritas, ſine vlla admiſſione mendacij, neceſſariò hoc cordis mendacium odit. ¶Quòd ſi ita Deus mendacium odit, quantopere labia ſceleſta abhorrebit? Sunt porrò labia
Pſal.11. ſceleſta illa, quæ dixerunt, Linguā noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? Pſal.11. Ergo labia ſceleſta ſunt, & quæ ſacrilegia & blaſphemias proferunt: & quæ ita ſe gerunt, ac ſi ſua eſſent, & Domino carerent. Heu magna horum copia eſt. Cùm autem lingua ad Dei laudes concinendas potiſſimùm inſtituta ſit, quàm horrebit Deus eam, quæ pro laudibus venena blaſphemiæ vomit? Demum, væ fulminatur manibus malefacientibus. Sanè quia malum incipitur in corde, progreditur in ore, perficitur in opere: Neceſſariò igitur erit væ, malè iam perfecto. Et perfectè odibit Dominus perfectam malitiam. Subdit Author.

4 *Et peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Dogma Theologicum eſt, Nos omnes eſſe
2.Cor.5. viatores. Dum enim ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. vt Paulus ait. Ideo enim Hebræi, dum per deſertum in
Exod.14. terram promiſſam contendebant, noſtri figuram

guram gerebant. Ergo ſi vnica via in cęlum contendimus, bene nobis eſt. Hæc eſt via Euangelij, via fidei, via iuſtitiæ. Sed ſi partim Deo, partim idolis ſeruimus, vt olim fecere Samaritani, terram ingredimur duabus vijs. Idipſum eſt, ſi partem Euangelij ſequimur, cum Eccleſia Romana, partem cum hæreticis. Transferri etiam hoc poteſt ad eum qui rectè credit, malè verò agit. Et is enim terram ingreditur duplici via. Sed propriè ſignificat, quos priore loco diximus. Contra quos Elias dixit: Quouſque claudicatis in duas partes? 4.Reg.17. 3.Reg.18.

5 *Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo: ideo non protegentur ab eo.* Triplici funiculo anima Deo colligatur. Per fidem, quæ nō permittit animam diſſolui in omnem ventum doctrinæ. Per ſpem, quæ non permittit eam diſſolui tempore tribulationis. Per charitatem, quæ nō permittit eam diſſipari in crimina vitæ. Qui hęc vincula diſrumpit, quíque hoc iugum proijcit, diſſolutum cor habet. Maximè primi, qui fidei vincula ſoluerunt. Ideo ſubdit, qui non credunt Deo. Hi verò ſunt, qui nō proteguntur à Deo. Quod nos experientia docet. Videmus ſiquidem hæreticos, adeò grauiſſimis erroribus obcæcari, adeò grauiſſimis ſceleribus maculari, vt ſtatim iudicemus, eos à Domino derelictos. Ita derelicti erant à Deo Samaritani, qui ætate noſtri Authoris erant flagitioſiſſimi. Quod ſuo loco ex Ioſepho dicemus. Epheſ.4. Pſal.2. Eccli 50.

Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam: qui dereli-

querunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Scribebat Author hęc, tempore grauiſſimarum tribulationum, quæ per Ptolemæum Soterem, ſeu Lagum, in miſeros Iudęos, nihil tale opinantes, irruerunt. Cùm enim ſceleſtus ille rex ſe ad ſacrificandum Ieroſolymis venire ſimularet, intra mœnia receptus, eos miſerè, & crudeliſſimè preſſit, & captiuos in Aegyptum abduxit. In tanta porrò calamitate, multi à patrio Deo, auitisq; legibus deſciuerunt, & in ritus alienigenos diuerterunt, patientiâ ſcilicet in anguſtijs amiſſa. His igitur intonat Author væ. Eadem porrò cauſa intonabitur nobis, ſi patientia reiecta, à vijs rectis iuſtitiæ, ad iniuſtitiam transfugerimus. ¶ *Quid facietis cùm inſpicere cœperit Dominus?* Ex fine huius capitis (videlicet ex verbis illis, patiẽtiam habebũt (ſ. pij) vſque ad inſpectionẽ illius) colligimus, Deũ tunc inſpecturum, cùm ad iudicandũ venerit. Nũc enim factus eſt Deus, velut homo non audiens, nec habens in
Pſal. 37. ore ſuo redargutiones. Eo dicente, Tacui,
Iſaie 42. ſemper ſilui: vt parturiẽs loquar. Ita enim ſe nunc gerit, ac ſi nihil malorũ noſtrorum audiret: ac ſimiliter ita ſe gerit, ac ſi noſtra non inſpiceret. Adeò enim iniqui in ſuis iniquitatibus viuunt & regnant, ac ſi à Deo non inſpicerentur. At in die Iudicij, atque
Sophon. 1. adeò in die mortis noſtræ, tunc ſcrutabitur Dominus Ieruſalem in lucernis. Tunc ac-
Pſal. 74. cipiet tempus, & iuſtitias iudicabit. Tunc
Pſal. 49. aduocabit cælos, & terram, diſcernere populum

pulum ſuum. Tunc ergo inſpiciet, quando 1.Cor.4.
illuminabit abſconſa tenebrarum. Quando
nox ſicut dies illuminabitur. Quid tunc fa- Pſal.138.
cient, qui reliquerunt vias rectas, & diuer-
terunt in prauas? Planè dicent montibus,
Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Iſaiæ 2.
Optabunt introire in ſpeluncas petrarum,
& in voragines terræ, à facie formidinis
Domini. Demum optabunt mortem, ſed Apoc.9.
illa fugiet ab eis.

TERTIA PARS.

Quomodo timendus eſt Deus.

QVI timent Dominum, non erunt incredibiles 7
verbo illius. Ne fallaris credens te Deum
timere, cùm non timeas tamen, en conditi-
ones timentium Deum. Prima, erunt cre-
dibiles, ſeu credentes verbis eius. Eſt enim
ille ſumma veritas, qui fallere non poſſit:
& ſumma bonitas, qui fallere non velit. Et
neſcio, qua ratione fiat, vt qui timent Do-
minum, eum æquè diligãt. At dilectio pro-
mouet fidem. Expertis loquor: & proinde
ſubdit Author. *Qui diligunt illum, conſeruabunt,*
vias illius. id eſt, toto pectore curabunt ſer-
uare Diuina mãdata. Notum enim eſt, cha- 1.Cor.13.
ritatem non agere perperam: imò nec co-
gitare malum. ¶ Secunda conditio eſt. *Qui* 8
timent Dominũ, inquirent, quæ beneplacita ſunt ei.
Dictu mirum eſt, quàm quærant timentes
Deum, quæ ſit eius voluntas bona, benepla- Rom.12.
cens & perfecta. Quàm iurent, & ſtatuant
cuſtodire iudicia iuſtitiæ Dei. Quàm dicãt, Pſal.118.

Mihi

Pſal.72. Mihi adhærere Deo bonum eſt. Et item, Vt iumentum factus ſum apud te: ſed ego ſemper tecum. Demum, quàm meditentur in
Pſal.1. lege Domini die ac nocte. ¶ Subdit, *Qui diligunt eum, replebuntur lege eius.* Planè quia filialis timor Domini eſt indiuiduus amoris comes, ideo cùm agitur de timore, agitur item & de amore. Iam duplex eſt huius loci ſenſus. Prior eſt: Qui diligunt Deum, replebuntur notitia & ſciētia legis. Nam qui
Pſal.118. diligunt Deum, ſuper omnes docentes ſe, & ſuper ſenes intelligunt, quia mandata cu-
Eodem. ſtodiunt. Dat enim eis Deus intellectum, & ideo ſcrutantur mirabilia de lege eius. Vt enim deſciſcere à Deo, cæcat oculos: ita in eo perſeuerare, illuminat eos. Dictum enim
Pſal.33. eſt, Accedite ad eum, & illuminamini. Alter ſenſus eſt, neſcio, an germanior: Qui diligunt Deum, implent ſe lege Dei. Nihil in ſe vacuum lege Dei, relinquunt. Oculos, manus, aures, memoriam, intellectum, voluntatem lege Dei replent: vt nihil in nobis ſit,
Exod.12. quod à lege ſit alienum. Vt enim Iudæi omnia liminaria ſanguine tingebant, ne perirent: ita pij cunctos animæ angulos lege
Ezech.9. Dei replent, ne non ſignati Tau diuino diſpereant. ¶ Tertia conditio. *Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua.* Hæc verba per ſequentia declarantur. *In conſpectu eius ſanctificabunt animas ſuas.* Sanctificare animam, eſt non admittere in eam etiam leuiora peccata. Quod idē eſt ac præparare Deo cor. Præparat ſiquidem hoſpiti domum, qui verrit eam,

ꝛam, qui aranearum telas aufert: qui ſedem
ꝛxornat: qui lectum mollit, &c. Hæc verò
ſiunt, cùm leuioribus peccatis reiectis, ope-
ꝛibus ſanctis anima viriliter inſiſtit. Sũt er-
go timentes Deum velut Nazaræi, qui vt Num. 6.
Deum attentiùs colerent, non modò fugie-
bant ebrietatẽ: ſed etiam acetum, vuas, &c.
¶ Quarta conditio eſt. *Qui timent Dominum,* 10
cuſtodiunt mandata eius: & patientiam habent
vſque ad inſpectionem eius. id eſt, Timentes Do-
minum procurant perſeuerare, vſque ad
mortem. Nam ſolus qui perſeuerarit, ſal- Matt. 10. 24.
uus erit. Diximus porrò in 6. annotat. quid
ſit inſpectio Dei. Eſt enim examen, quo in
tempore mortis interrogabit iuſtum, & im- Pſal. 10.
pium. Tu nunc expende ordinem pulcher-
rimum. Qui timent Dominum erunt credi-
biles. id eſt, credent verbis Dei. 2. Tum con-
ſeruabunt vias eius: ſeruabunt ſ. decalogũ.
3. inquirent, quomodo placebunt abundan-
tiùs Deo. 4. replebuntur lege eius, curãtes,
vt nihil in ſe ſit, quod non lege Dei regule-
tur. 5. ſanctificabunt animas, cauentes mi-
nutiora peccata. 6. Demum firmi curabũt,
vſque ad mortem, in hoc ſtatu permanere.
¶ Quinta conditio eſt. *Dicent, Si pœnitentiam* 11
non egerimus, incidemus in manus Domini: non in
manus hominum. Bone Deus, viri pij nõ mo-
dò cauent magna peccata, ſed etiam leuio-
ra: dicunt tamen, Si pœnitentiam non ege-
rimus. num qui caret peccato, eget pœni-
tentia? Agnoſce lector pij animi ingenium.

Gregorius. Ibi agnoſcit culpam, vt inquit Gregorius, vbi non eſt culpa. Et neſcias, qua ratione fiat, vt maximi peccatores ſua maxima peccata deuorent, & nihili pendant: Pij verò, minima peccata adeò exhorreant, & timeant. Vrges, ſi cauent peccata, quorum tandem eos pœnitet? Primùm quidem Dauidem audi, dicentem, Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Nam & Iob ſacrificium pro peccatis filiorum offerebat. Et Abimelech pro peccatis occultis puniebatur. Secundò, ſanctè Eccleſiaſticus præcepit, ne de peccato propitiato, pius ſit ſine metu: imò verò pœnitẽtiam eius agat. vt cuius Deo, non homini ſit ratio reddenda. Tertiò maximè dicendum, Pios etiam labi in peccata mortalia. Ea eſt mortalis naturæ ficulnea fragilitas. Labitur Dauid, Salomon, Ezechias, & potiſſimè Petrus: cùm eſſent hi tamen pientiſſimi viri. Hi igitur dicant, Si pœnitentiam horum, in quæ ex infirmitate decidimus, nõ egerimus, heu incidimus in manus Dei. Qui expreſſis verbis aſſeruit, ſi iuſtus diſcedat à iuſtitia, eius iuſtitias obliuioni tradendas. ¶ Huius loci translatio quædam alium ſenſum adfert. ſ. Pij humiliabunt animas ſuas dicentes, Incidamus potiùs in manus Dei, quàm hominum. Sed hic ſenſus tamen minimè quadrat: tum, quia non eſt hic loquẽdi in Scriptura vſus: tum, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. ¶ Porrò habet vir Theologus ex hoc loco magnum con-

Pſal. 18. *Iob 1.* *Geneſ. 20.* *Eccli 5.* *Iohan. 13.* *Ezech. 18.* *Heb. 10.*

tra hæreticos argumentum. Dicunt illi, non eſt neceſſarius lapſis dolor, aut alia pœnitentia, præter μετάνοιαν, ſeu reſipiſcentiam: quæ eſt, ceſſare à peccato. Profectò falluntur. Nam hoc loco timentes Deum, & eum diligentes, dicunt, Incidemus in manus Dei, niſi egerimus pœnitentiam. Ergo præter receſſum à lapſu, lapſis neceſſaria eſt pœnitentia. ſ. Contritio cordis, &c. ¶Quæris tamen, cur horrentius eſt incidere in manus Dei, quàm hominum? Reſpondet Chriſtus, dicens: Nolite timere eos qui occidũt corpus, & cùm occiderint, non habent præterea, quid faciant. Eum timete, qui cùm occiderit corpus, animam poteſt mittere in gehennam. Et planè maiores noſtri, feruentiſſimi ſ. martyres illi, gaudebant cùm in manus hominum incidebant. Subdit Eccleſiaſticus rem digniſſimam. Matth. 10.

12 *Secundùm enim magnitudinem ipſius, ſic miſericordia illius cum ipſo eſt.* Quid? nónne etiam cum Deo eſt iuſtitia, ſapientia, veritas &c? Quænam laus eſt miſericordiæ Dei, quòd cum Deo ſit? Planè non adeò magna, ſi miſericordiam in Dei viſceribus concluſam conſideres. Sed nimis magna, ſi eam, vt in nos effuſam, contempleris. Nam potentia Dei, aut ſapientia, nõ eſt in nos effuſa, quanta illa eſt. Eſt enim potentia & ſapientia infinita, at non eſt in infinitum effuſa: nihil enim infinitũ fecit. At miſericordia, quanta ipſa eſt, (ſecundùm ſ. magnitudinẽ Dei) in nos effuſa eſt. Deus infinitus, per infini-

tam miſericordiam,infinitum opus noſtræ
redemptionis effudit.Eſt enim Chriſtus in-
finitus, eius merita infinita, & quod nobis
dabit præmium infinitum. ¶ Tu lector at-
tentiſſimè cõſidera, quòd pij lapſi, vt egent
pœnitentia, (alioqui incident in manus
Dei) ita indigent magna miſericordiâ Dei,
ſ. multitudine miſerationum,& miſericor-
Pſal.50. diâ ſecundùm magnitudinem Dei. Nam vt
Luc.12. ſeruus ſciens voluntatem domini & non
faciens,vapulat multis : ita conuerſus à la-
pſibus,non niſi grandi Dei miſericordia in-
diget.

CAPVT III.

Inſtituit filios erga parentes : Quod eſt primum Præceptum Tabulæ poſterioris.

1 F*ILII Sapientiæ,eccleſia iuſtorum : & natio illorũ obedientia & dilectio.*
Senſus eſt : Filij Dei in quibus
Sapientia Dei habitat, quoſq;
Verbo ſuo,ſibi filios genuit,cõ-
ſtituunt eccleſiam iuſtorum.Iam horum fi-
lij, adeò ſunt obedientiſſimi, adeò diligen-
tiſſimi, vt eos obedientiam voces, & dile-
ctionem. Ergo filij iuſtorum obedire nimis
Matth.3. debent : diligere nimis debent. ¶ Obijcis tu
primùm : Nónne Eccleſia eſt area, in qua
Matth.13. ſimul ſunt paleæ,& grana ? Nónne eſt ſage-
na,concludẽs bonos piſces,& malos ? Quo-
modo igitur vocatur ſolùm Eccleſia iuſto-
rum ?

rum? Planè Eccleſia Dei vaſa habet ſimul 2.Tim.2.
aurea, & fictilia: at verò ij ſancti, quos peculiariter Sapientia adoptauit in filios, eccleſiam conſtituunt iuſtorum: in qua nulli miſcentur iniuſti. ¶ Obijcis item, quomodo filij iuſtorum ſunt obedientia & dilectio, ſi filius Dauidis eſt Abſalon: filius Ezechiæ Manaſſes: filius Ioſiæ eſt Sedechias? Reſpondetur: Hi non erant filij patrum, vt erant iuſti parentes. Erant filij carnis eorũ, non iuſtitiæ eorum. ¶ Vrges tertiò: Multi fuerunt filij, ſeu natio iuſtorum, non adeò obedientes, aut diligentes, vt eos voces obedientiam, & dilectionem. vt filij Iacob ex- Geneſ.34.
emplo eſſe poſſunt. Reſpondeo, textus noſter non eſt prophetia, prænuntians futurum, vt omnes filij iuſtorum ſint ipſa aut obedientia, aut dilectio: ſed eſt conſilium admonens, quales eos deceat eſſe, qui filij iuſtorum ſunt. Si enim ſolùm genuiſſe filium, eum obſtringit ad obediendum, & diligendum ſuum genitorem: quanto potiùs obligabit, & genuiſſe, & iuſtum eſſe? Meritò igitur Author ait: *Natio ſeu filij iuſtorum debet eſſe obedientia, & dilectio erga parentes ſuos.* Ergo

2 *Iudicium patris audite filij.* Id eſt, ô filij audite & obedite præcepto patris veſtri, *Et ſic facite, vt ſalui ſitis.* Habet hinc Theologus, poſſe patrem præcipere legem filio, quam, vt ſaluus ſit, debeat obſeruare: ſi filius non ſeruarit, ſaluus non erit. Cur igitur quidam

dam audent docere, non poſſe laicos ſuperiores, legem ferre inferioribus, quam ſeruare ſit neceſſe, vt ſalui ſint: violare verò faciat, ne ſalui ſint? ¶ Tu verò lector id intellige, Sicut Dei præcepta, non omnia obligant ad peccatum mortale: ſed quæ grauia ſunt: ita neque parentum præcepta adſtringent omnia ad mortale: ſed quę digna tanto pondere fuerint. ¶ Quòd ſi genitor carnis, ita lege ſua adſtringere poteſt: quanto vehementiùs Prælati, qui ſunt parentes
1.Cor.4. ſpiritus, qui nos per Euangelium genuerũt,
Rom.13. adſtringere poterunt? Omnis ergo anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Rom.13. Quęris cauſam, cur Deus ita parẽtibus ſubdiderit filios? Certè, *Quia Deus honorauit patrem in filijs: & iudicium matris exquirens firmauit in filios.* id eſt, quia Deus naturalem authoritatẽ, dignitatem, & imperium dedit patri in filium. Ac ideo ex ipſa natura, debet patri filius obedientiam. Ne verò credas ſoli patri filium debere obedientiam, addit Author de matre, dicens, Iudicium matris exquirens, &c. Senſus eſt: Deus exactiſſimus inquiſitor eorum, quæ cuique conueniunt, (hæc vocantur rei iudicia (is firmat matrem in filios. id eſt, firmum eſſe vult, quod mater filijs imperarit. ¶ Notabis primùm, Deum exactiſſimè requirere, ac velle ſeruari ſua cuique iura. Vt enim vult ſua
Pſal.118. mandata cuſtodiri nimis: ita iura cuiuſque,

que, quæ ſunt etiam Diuina mandata, vult exactè cuſtodiri. Vnde ſi beſtia manus in hominem iniecerit, iubet Dominus ſanguinam hominis de beſtiæ manibus requiri. vt habes Geneſ.9.& Exodi 21. ¶ Notabis item iudicium matris, & ius, eſſe authoritatem & imperium in filios. Licet enim illa ſub viri poteſtate ſit: at nihilominus filios ſub poteſtate matris eſſe, Author aſſeuerauit. ¶ Demum licet non valeat mater eâ, quâ pater prudentia, at Dominus vult firmum eſſe, quod illa filijs præcepit. Si modò res grauis ſit. vt de patre dictum nobis eſt. Geneſ.9. Exod.21. Geneſ.3.

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis. Græca litera, & Tigurina verſio, & ipſe contextus volunt eſſe legendũ, qui diligit patrem, exorabit pro peccatis. ſ. patris. Vt ſicut Iob orabat pro peccatis filiorum: ita filij orent pro peccatis parentum. Sed noſtra etiã verſio egregium ſenſum habet. ſ. Deus iuſſit, vt filij parentibus obedirent, ac ideo qui diligit Deum, cauebit ille quidem, ne peccatum in parentes admittat: quòd ſi pro humana fragilitate ea admiſerit, exorabit Deũ pro peccatis illis: *Et continebit ſe ab illis.* id eſt, dabit operam, ne iterum ea committat: *Et in oratione dierum exaudietur.* id eſt, orans ille veniam, multis diebus, eam tandem impetrabit. ¶ Aduerte primùm, Etiam pios viros labi in grauiora crimina. Ait enim, Qui diligit Deum, orabit pro peccatis, in quæ videlicet incidit. Et ne putes leuiculum fuiſſe peccatum, addit, In oratione dierum 3 Iob 1.

audietur. At ſi leue erratum fuiſſet, eius venia non requireret orationem dierũ. Vnica enim oratio Dominica apud nos, venialis peccati impetrat veniam. ¶ Aduerte ſecundò, in quacunque lege requiri ad veniam delicti orationem, quâ rogatur miſericordia Dei. ¶ Aduerte tertiò, qui orat Deum pro peccatorum venia, continere ſe debet ab eis. Quomodo enim impetret veniam, qui fixum & firmum propoſitum ac decretum non habet cauendi ab eis, & continendi? ¶ Aduerte quartò, quò grauius crimen eſt, hoc orationem exigere plurium dierum. Quo enim grauior morbus eſt, eo diuturniorem exigit medicinam. Intellige quantum ad pœnam.

4 *Et ſicut qui theſaurizat, ita qui honorificat matrem.* Qui theſaurum recondidit, habet, quo cuiuis ſuæ neceſſitati ſuccurrat. Ita qui honorificat matrem, theſaurum bonorum operum, in Dei ſinu recondit, vnde cuiuis eius neceſſitati Dominus occurrat. Vt enim

Matth.5. qui reliquit munus ſuum ad altare, vt iret reconciliatum fratrem ſuum, ipſummet munus habet, velut interceſſorẽ ad Deum: ita honores matri præſtiti, apud Deum intercedunt pro felicitate filiorum, qui eos honores præſtiterunt. Ergo ſi ſapis, vt magna contentione aurum theſaurizas, eâdem etiam tuæ matri debitos præſtabis honores. Sũt enim & hi verè theſaurus. Iam ſubdit ea commoda, quę filijs ſuccedent ex honore parentum.

Qui honorat patrem ſuũ, iucundabitur in filijs. 5
Ex D. Hieronymo, honor non ſolùm eſt aſ- D. Hieron.
ſurgere, caput detegere, verbis reuerẽtibus, & vultu ſupplici ſubiectionem demonſtrare: ſed eſt etiam ſubuenire, & neceſſitatibus maiorum miniſtrare. Hoc igitur modo filius patrem honorans iucunditatem ex ſuis filijs accipiet. Videlicet, quia filij ipſius erunt viri probi, ſani, habiles, animo valentes & corpore. ¶ Hoc tu loco ne intelligas obſecro, filium qui patrem honorarit, nulla triſtitia ex filijs ſuis afficiẽdum. Minimè id quidem. Afficitur triſtitia Abraham, ex Iſaac: Iſaac, ex Iacob: Iacob, ex filijs. Sed Geneſ. 22.
intellige, poſt triſtitias voluptatem, filium Geneſ. 27.
(qui patrem honorificauit) ex ſuis filijs accepturum. Vt tandem accepit lætitiam ex Geneſ. 34.
Iſaac, Abraham: ex Iacob, Iſaac: ex filijs, Iacob: ex Tobia iuniore, ſenior Tobias. Tob. vlt.
Non eſt eo ingenio hæc vita, vt cuiquam purum lętitię calicem porrigat bibendum. Sed eſt eo ingenio Deus, vt poſt epotam triſtitiam, pijs lætitiam bibendam largiatur.

In die orationis ſuæ exaudietur. Hoc eſt commodum alterum, parentes ſuos honorantium, Quòd in die orationis ſuæ exaudien- Iacob. 5.
tur. Planè quæuis oratio iuſti ex Dei gratia habet, vt exaudiatur. At multum accipit virium, vt impetret, multum accipit efficaciæ, vt exaudiatur, ex honore parentum. Vt etiam habet ex eleemoſyna, pauperibus communicata. Neſcio verò an id voluerit Author dicere, cùm ait, In die orationis.

Non dixit, in oratione dierũ: ſed eodẽ die, quo effuſa eſt, exaudietur. Ergo ſicut oratio ſubnixa duabus alis, ſ. ieiunio, & eleemoſyna, efficaciſſima eſt: ita erit, ſi honori parentibus præſtito, nitatur. ¶ Hinc collige. Non habet quæuis oratio, vt ſtatim, quæ petit, impetret. Habet tamen oratio eius, qui cõtinuò ſuum patrem honorat, vt quo die petit impetret: ſi non totum, certè partem. ¶ Collige item. Dominus dicit, qui petit accipit, qui quærit inuenit. Intellige, niſi aliunde obſtet aliquod impedimentum. Nam ſi tu non honoraſti patrem in ſua neceſſitate, nec te in tua Deus honorificabit. Nam eſt impedimentum, patrem non honoraſſe, ne & tua oratio à Deo honorificetur. Sicut eſt alterum impedimentum, pauperem petentem non adiuuiſſe, ne & tu petens adiuueris.

Math. 6.

7 *Qui honorat patrem, vita viuet longiore.* Hoc eſt tertium commodum, ex ipſo primo ſecundæ Tabulæ præcepto deductum. Nam dicitur, Honora patrem, vt ſis longæuus ſuper faciem terræ. Sanè viri ſanguinum & doloſi non dimidiant dies illos, quos natura præſtitit illis, ad vitam: ſed ante naturæ limitem, Deus eis vitæ præcidit fila: ne eorum vita alijs ſit nocumento: ita contrà, Deus porrigit vitam ijs, qui patrem honorant, vt vltra limitem, quem illis natura taxauit, ipſi vitam extendant.

Deut. 6.

Pſal. 54.

8 *Et qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Græca lectio habet, qui obedit Deo, refrigerabit ma-

matrem. vt nemo credat ſe Deo obedire, ſi matris obliuiſcatur. At litera noſtra multos patitur ſenſus. Primus eſt: Qui obedit patri, hac ipſa obedientia refrigerium præſtat matri. Vt cõtrà, qui refractarius eſt patri, grandi triſtitia afficit matrem. Secundus eſt: Ei qui patri ſuo obedit, felicia ſuccedent. Quo felici rerum ſucceſſu, matrem lætificabit. Quaſi ſit hoc quartum commodum eorum qui patri obediunt, quòd tam illis res ſuccedent proſperè, vt vix ſit, quod matrem, pro filijs ſolicitam, triſtitiâ premat. Tertius eſt: Qui patri obedit, conabitur matrem refrigerare. Nam eo matris refrigerio obedientiam parenti præſtabit. Quartus eſt: Refrigerabit matrem: id eſt, matrem in refrigerio ſepulchri tandẽ collocabit. Vt Tobias iunior, qui matrem è felici vita deduxit ad mortis quietem. *Tob. vlt.*

Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet his qui ſe genuerunt. Vir pius honorat parentes, in his, in quibus parentes Domino non aduerſantur. Nam ſi aduerſentur, qui non odit patrem, & matrem, non eſt Domino dignus. Vt non fuiſſent digni, qui, iubente Moſe, parentes idololatras non trucidaſſent. ¶ Sed non caret dubio, quod dicit, filius pius ſeruiet parentibus, quaſi dominis. Imò non ſeruiet, velut dominis ſeruus: ſed vt patribus filius. Eſt enim vile, ſeruire vt dominis: eſt ingenuum, ſeruire, vt parentibus. Huic nodo quædã editio ſolutionem indicat, dicens, Seruiet vt domi-

9 Matth. 10. Exod. 32.

dominis: vel ſeruiet vt dijs. Paulus verò nos altiùs docet, dum ſeruos inſtituens dicit: Non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes: ſed ſicut ſerui Chriſti. Et infrà, ſicut Domino: non ſicut hominibus. Igitur ſenſus Authoris eſt: Filius ſeruiet parentibus, velut in quibus Deus repræſentatur: velut in quibus Dei dominiũ reſplẽdet. Nam, vt ætas in ſenibus venerationi eſt, vtpote in qua Dei æternitas lucet: ita parentes ſint honori, vt in quibus Dei dominatio micat. Tertiò vult Author, vt filij cum patre familiaritas nõ eius minuat honorem: ſed eũ, excluſo timore ſeruili, vt dominum reuereatur. Addit. *In opere, ſermone, & omni patientia honora patrem: vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat.* Reuera ſenes ſunt moroſi, & præfracti. Licet priuilegio conceſſo, de ſenibus pijs dicatur, In ſenecta vberi, & bene patientes erunt. Cùm enim ſenecta morbus ſit naturalis, (vt Ariſtoteles dixit) ſenes eo morbo preſſi, difficiles ſunt, & intractabiles. Ideo Eccleſiaſticus iubet, vt filius in omni patientia parentes honoret. Vt filij patientia vincat ſenum difficultatem: vt patrum patientia ſuſtinuit filiorum paruulorum importunitatem. ¶ Porrò illud, Vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, ita intellige: Ordinaria rerũ diſpoſitione futurus eras pauper, infelix, infamis: aliquis te magnus in malum caſus manebat. At ſi patrẽ in omni patien-

Epheſ.6.

Pſal.91.

Ariſtoteles.

patientia honoraſti. Diuina benedictio te caſui obnoxium, è manibus infortunij liberabit. Sicut contraria ratione, ſi ordinaria rerum conſtitutione, longùm victurus eras, non dimidiabis dies tuos: ſi vir fuiſti ſanguinum, aut etiam doloſus. Id quod iam antea diximus. *Pſal. 54.* ¶ Dignum verò eſt annotatione, quod ſequitur: *& benedictio illius in nouiſſimo maneat.* Quod intelligi poteſt, vel quòd diuinus fauor, & adiutorium, vſque ad finem vitæ duret. Aut, quod germanius eſt, quòd Diuinus fauor, atque benedictio maneat, & ſeruetur in horam illam tanto periculo tremendam. ſ. ad horam mortis, & ſtrictiſſimi examinis: vbi æternitatis iacitur alea. ô quale, ô quantum beneficium tunc erit, benedici, & audire, Veni benedicte, in regnũ tibi paratum ab origine mundi? *Matth. 25.* Ergo ſicut tu in omni patientia ſuſtinuiſti difficultates ſenis patris tui: ita Deus ſuſtinebit in omni patientia, ſi quæ fuerint errata infirmæ animæ tuæ. Vt quâ menſura menſus es patri tuo, remetiatur tibi pater miſericors tuus. *Matth. 7.* Quia verò idem proportione quadam nouiſſimum eſt mortis & Iudicij, ideo benedictionem ſeruari ad tempus mortis, eſt ſeruari ad tempus quoque iudicij.

10 *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Non modò benedictio Dei felices filios facit: ſed etiã id præſtat benedictio patris. Eam enim Deus, vt inſtrumentum aſſumit ad beandos filios. Vt enim per Solem illuſtrat hunc mun-

mundum: ita per benedictionem patris firmat filios. ¶Conſultò dixit, firmat domos:
Geneſ.27. non vnicam domum. Nam licet Iſaac tantùm habeat vnam benedictionem, quâ firmauit & ſtabiliuit Iacob: at ſi etiam Eſau dignè patrem ſuum honoraſſet, benedictionem etiam pater haberet, quâ domum eius ſtabiliſſet. ¶Tu vide, quàm Deo placeat, quòd filius afficiat honore parentem, vt velit ſe adſtringere, ad firmandam domum & familiam eius filij, cui ſuus pater benedixerit. Non ergo ſolum filius à patre benedictus, ſed etiam eius poſteritas firmatur à Deo. ¶Habet vir curioſus cauſam, cur multorum hominum inſigniſſimorum familiæ, quæ videbantur cum æternitate manſuræ, breui corruerint: videlicet, quia non ſunt à parentibus benedictæ, vt verbum ſequens docet, cùm ait, *Maledictio matris eradicat fundamenta.* Aliorum verò familiæ (quæ minùs duraturæ videbantur) temporis caſibus ſeſe ſubducunt, vtpote benedictæ.

11 *Ne glorieris in contumelia patris tui.* Vix credas vllum eſſe filium tam deplorati ingenij, qui de patris contumelia glorietur. At
2.Reg.15. profectò gloriabundum Abſalonem conſidera, cùm patrem Dauidem regno pellebat. Huic dicit Eccleſiaſticus, ne in patris exauthoratione lætetur. Neque rurſum pauci ſunt filij, qui litibus, & malis artibus ſuos parentes facultatibus expolient, & de parentum nuditate glorientur. His etiam dicit, Ne glorieris in parentum contumelia.

Nam

Nam licet eos exhæredaſſe, tibi gloria videatur: eſt tamen apud homines ignominia, & apud Deũ cauſa perditionis. Perijt enim ea ratione infelix Dauidis filius. 2. Reg. 16. 12.

Fili ſuſcipe ſenectam patris tui: non contriſtes eum in vita illius, &c. Suſcipe, id eſt, Foue, faue, neque ſenem triſtitia afficias. Planè vel ſola canities ſenum venerãda eſt, vt in qua æternitas Diuina reſplendet: quanto potiùs veneranda erit patris tui canities, in qua & æternitas Dei, & eius generatio lucet. Subdit textus. *Si defecerit ſenſu, veniam da.* Anima noſtra vtitur membris noſtris, velut inſtrumentis, ad exercenda opera ſua. Cùm ergo membra corporis ſenio labefactentur, & velut putreſcant, neceſſe eſt tunc hominem defici ſenſu. Ideo cæci ſumus ſenes: ſurdi: & minùs iudicio valemus. Sed dãda nobis venia eſt, vt qui neſcimus quod facimus. Nam Paulus dicit, ſe inueniſſe miſericordiam, quia ignorans fecerit. Planè, vt malitia veniam non meretur, ita ignorantia meretur. Ideo inquit: *Ne ſpernas eum in virtute tua.* Id eſt, cùm tu viribus valeas corporis & animæ, ne ſpernas parentem illis deſtitutum. Et ſimiliter, ſi habes virtutem opum, (has enim Hebræi etiam virtutem ſeu potentiam nominant) ijs verò careat ſenex pater tuus, tuo parenti, è facultatibus tuis ſtude largiri. *Nam hæc eleemoſyna nunquã erit Deo in obliuionẽ.* Colligere hinc id licet, Licet nullius boni operis Deus obli-

Luc. 23. 1. Tim. 1.

uiſca-

uiſcatur: inter bona tamen opera, quædam ſunt, quæ magis viuunt in Diuina memoria, vt eſt parenti iam defecto ſuccurriſſe. Aſſimilatur ſiquidem pietati Diuinæ, pietas in parentem, maximè viribus deſtitutum. Vt enim Deus gaudet rebus deſperatis accurrere: ita gaudet, cùm filius parenti velut deſperato ſuccurrit.

13 *Nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum.* Illud, nam, emphaſin habet, ac ſi diceret, Quæuis eleemoſyna in parentẽ erit in memoria, at eleemoſyna pro peccato matris data, multas habet promiſſiones. Prima, quòd *Tibi reſtituetur* Secunda, quòd *ædificabitur tibi in iuſtitia.* Tertia, quòd *in die tribulationis* efficiet, vt Deus ſit *memor tui.* Quarta, quòd *ſoluet peccata.* ¶ Primã promiſſionem ita intellige. Admiſit culpam mater tua: tu pro eius expiatione munus Deo, vel ſacrificium offers. Quale in Leuitico iubetur offerri. Id bonum, quod obtuliſti, non amiſiſti: nam Deus reſtituet illud tibi. Tam eſt Deo gratum, quòd filius curet matrẽ à culpa liberare. ¶ Secundam ex contrarijs penetrabis. Iſaiæ 22. dicitur: Væ qui ædificat domum ſuam in iniuſtitia. Et Micheæ 3. Væ qui ædificatis Sion in ſanguinibus. Idem ferè Abacuc 2. Ergo qui domum ex rapinis ædificat, in iniuſtitia ædificat. Contrà qui dando pro matre eleemoſynam ædificat, in iuſtitia ædificat. Et ideo ſicut lapis ex rapinis, in domo ædificatus, clamat contra raptorem, vt Abacuc 2. dicitur: ita lapis cum elee-

Leuit. 1. 2.
Iſaiæ 22.
Mich. 3.
Abac. 2.
Eodem.

eleemoſyna ædificatus, clamat ad Deum, bona rogans ædificatori. Si placet, ſecundò (ex Paulo 1.ad Cor.3.) ita intellige: Qui ſan- 1.Cor.3.
ctè operatur, ædificat aurum & argentum. Ac ita, qui ſacrificiũ offert pro matre, non paleas, non vana ædificat: ſed ædificat in ſanctitate & iuſtitia, domum, non manu fa- 2.Cor.5.
ctam in cælis. ¶ Tertium licet intelligere ex dictis hoc cap. annot. 5. Sicut munus oblatum, & relictum ante altare, rogat De- Matth.5.
um pro eo, qui reliquit, vt abiret ad reconciliandum ſibi fratrem: ita munus datum pro expiando matris ſcelere, vellicat Dei memoriam, rogatq́ eius benignitatem, vt beneficijs afficiat filium offerentem. ¶ Ex quarto id colligere licet, Eleèmoſyna pro peccato matris oblata, efficaciam habet ad diſſoluenda filij peccata. Delet enim peccatum eius, quantum ad pœnam: & veluti rogat Deum, vt deleat item quantum ad culpam. Vt ſicut filius curauit delere matris crimen: ita Deus curet delere filij peccatum.

Quàm malæ famæ eſt qui derelinquit patrem: 14
& maledictus à Deo qui exaſperat matrem. Hæc verba ſunt corolarium, & velut explicatio proximè dictorum. Dixerat, ſuſcipiendum patrem iam ſenem & defectum, ſubdit: ô quam infamis eſt, qui ita non fecerit! Cùm tamen nomen bonum melius ſit, quàm di- Prouer.22.
uitiæ multæ. Dixerat item, matris culpas, per filiorum munera, debere expiari: ſubdit generaliter, maledictum eſſe filium, qui

matrem non ita iuuat,ſed exaſperat. Quod tu intellige,ſi filius exaſperat matrem piam ac iuſtam. Alioqui,Qui non odit patrem & matrem, non eſt meus diſcipulus. Sunt etiam matres quædam adeò præfractæ,& moroſæ, vt quauis eas ratione tractes, ſemper exaſperes. Non igitur in hac re erit timenda maledictio. Timeat ergo, qui iniuſtè in re graui irritat matrem.

Matth.10.

SECVNDA PARS.

Inſtituit maiores.

15 FILI, *in manſuetudine opera tua perfice: & ſuper hominum gloriam diligeris.* His verbis videtur Author rectores populi admonere: ſunt enim hi velut plebium parentes. Admonet igitur primùm, Ne eos impetus raptet, & ira: vt res properantiùs agant: ſed contrà ita eos frenet manſuetudo, vt conſultè ac moderatè gubernent. Sic enim fiet, vt homines ſubiecti eos ſuper hominũ gloriam ament & diligant. Vrbanis viris, nihil magis amandum videtur,quàm honor, & gloria. Nam hæc ſolent dici à Philoſophis præmium virtutis. At magis diligendus eſt rector conſultus,quàm hominum gloria. Hæc enim bonum priuatũ eſt,quod ſolùm prodeſt habenti. At moderatus rector,bonũ commune eſt,quod toti Reipub. prodeſt.Et equidẽ experientia docet,quàm ſit generoſum, rectorem in manſuetudine, ſui miniſterij opera perficere. Vt enim nihil eſt importunius improbitate eorum, qui guber-

gubernantur: ita nihil eſt in hiſce rebus, excelſius, quàm in tanta importunitate, manſuetos eſſe, eos qui gubernãt. Vt in hoc argumento maximum ſit encomium Moſi, qui iudicans innumerabilem illum populum, eſſet manſuetiſſimus tamen. ¶ Admonet eos ſecundò Author: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.* Dices præceptum hoc celſitudini iudicum non congruere. Nam æquum eſt, vt quem magnum Deus fecit, ipſe ſe minimè demittat. Qua igitur cauſa, ſe humiliabit? Priorem cauſam exhibet litera Græca, quâ Latina caret. Ait enim, Humilibus Deus reuelat myſtéria. ô rationem digniſſimam! Offerunt ſe Iudicibus innumeræ cauſæ: de quibus, niſi de tranſuerſo, nulla iura loquuntur. Et ſi loquantur, nulla eſt memoria tam felix, quæ ſingulis cauſis, ſua ſingula ſtatim adhibeat iura. Requirit ergo iudex ſpeciale Dei lumen, ſpecialem inſtigationem: vt in nouis euentibus ſanctè gubernet. Hanc inſtigationem, & hoc lumen Deus humilibus largitur: tumentibus negat. Nam illud verum eſt, Per me Reges regnant, &c. Vis igitur, ô Iudex, noſſe myſteria, & abſtruſa quæ tibi iura non manifeſtant? Humilis eſto. quia excelſus Dominus: & humilia reſpicit. Vt eſt ipſe veritas, veritatem amat humilitatis: falſitatem odit ſuperbiæ. ¶ Alteram cauſam exhibet litera Latina. *Quia magna potentia, Dei ſolius.* Quaſi dicat: ô rector, videris tibi potens: & vide-

Num.12.

Prouer.8.

Pſal.112.

Iohan.14.

videbitur hæc potentia,tua? At falleris.Potentia eſt Dei ſolius. Qui ſi vult,te poſſe,poteris. Si velit, te nihil poſſe, etiam ſi ſit tua potentiaſumma,nihil poteris.Aufert enim
Pſal.75. ille ſpiritũ principum. Terribilis eſt apud Reges terræ. Quod cùm multi Reges teſtari
Dan.4. poſſint,teſtatur magnopere tamen Nabuchodonoſor, fœnum ſicut bos comedens. Ergo, ne & te ſuperbum à tua Deus magnitudine deijciat,tu teipſum humilia.¶ Tertiam demum cauſam addit litera noſtra: *Ab humilibus honoratur*. Videtur Regi,Principi,& rectori,pauperes & deiectos nihil Deum honorare. Et cenſebũt Principes,quòd diuites & magnates hi ſint, qui ſuis hecatombis Deum maximè venerẽtur. Vt olim
3.Reg.8. fecit Salomon, fecit Ezechias, & Ioſias. At
2.Paral.30. verò contrarium eſt. Superbia eſt quæ di-
Yſaiæ 14. cit, In cælum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: & ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Su-
Geneſ.3. perbia & magnitudo credit, nos fore ſicut deos,ſcientes bonum,& malum. Magnitu-
Geneſ.11. do dicit, Aedificemus turrim, & ciuitatem cuius culmen pertingat ad cælũ,& celebremus nomen noſtrum. Denique magnitu-
Pſal.13. do dicit in corde ſuo, Non eſt Deus. Vides, quàm Deus honoretur à magnis? At humilis, cui Deus aperuit oculos, vt Deũ cognoſcat & ſe,is verè Deum honorat. Quod experti dicant.Certè glorioſa Virgo erat verè
Luc.2. humilis,magnificat tamen eius anima Dominum.Et Chriſtus,vt verus humilis,dicere po-

re potuit ad Patrem: Ego te clarificaui ſu- *Iohan.12.*
per terram. Tu igitur ſi tenebras tuas, ſi nihil tuum videris, Dei lucem, Dei infinitatem profundiſſimè honorabis.

TERTIA PARS.

Generatim omnes inſtruit.

16 A*Ltiora te ne quæſieris. Fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus, hæc cogita ſemper: & in pluribus operibus Dei ne fueris curioſus.* Difficile planè præceptum. Videtur enim damnare Aſtrologos, qui ita de cælo & ſtellis deq; eorum Concentricis, Eccentricis, & Epicyclis diſcernunt, ac ſi ipſi ſuis oculis vidiſſent, & digitis menſuraſſent. Videbitur etiam damnare Philoſophos, nuſquam non abditiſſima naturæ rimantes. Imò videbitur Theologos damnare, qui diſputant, non ſolùm de his, quæ ſunt altiora hominibus: ſed etiam Angelis. An non ſunt talia, quæ illi de prædeſtinatione & reprobatione: de vnitate Trinitatis: de relationibus, deq; proceſſionibus diſputant Diuinis? Diu fateor me torſit hic nodus. Viſus ſum mihi tamen, inueniſſe ſolutionem in Paulo, qui dicit: Dico omnibus, qui ſunt *Rom.12.*
inter vos, Non plus ſapere, quàm oporteat ſapere: ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Quod explicat ex functionibus membrorum corporis, quorum quodque ſuũ actum habet. Planè ſi vnum membrum vellet ſibi, quæ ſunt alterius membri, arrogare, iam

altiora ſe quæreret: ſin verò ſuas actiones exactiſſimè perſequi cupiat, non altiora ſe omnino requireret. Si auris quærat videre, altiora ſe quærit: non quærit tamen, ſi curet exactiſſimè audire. Ita planè Apoſtoli, Euangeliſtæ, Doctores, Paſtores Eccleſiæ, ſi exactiſſimè velint de rebus fidei cognoſcere, non altiora ſe quærunt. Licet enim myſteria fidei altiora ſint, quàm lumen naturale: ſunt tamen proportionabilia lumini gratiæ, & donis Dei. Ac ideo licet myſteria gratiæ altiora ſint nobis, vt ſumus res naturales: ſunt tamen nobis commenſurata ſuo modo, vt ſumus ordinis Diuini, illuſtrati lumine fidei, &c. Ergo vt nō

Actor.10. altiora ſe quærit Petrus, dum hæſitat intra ſe, quæ eſſet viſio, quam vidiſſet: ita altiora ſe quæret vir plebeius, & idiota, ſi res fidei vellet dijudicare. Non altiora ſe quęret Chriſtianus radicatus & fundatus, ſi velit

Ephes.3. comprehendere, cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum: & quæ ſit charitas Chriſti, ſupereminens ſcientiæ. Quæret tamen altiora, ſi id velit comprehendere, qui radicatus & fundatus non eſt. Ergo qui functionem accepit à Deo, ad hæc perquirenda, ſi perquirat, altiora minimè perquirit. Qui huic perquiſitioni à Deo idoneus factus non eſt, audiat, Altiora te ne quæſieris. Idem audiat, qui lumine ſolius rationis humanæ, velit diuina metiri. Non eſt enim æquale lumen humanũ rebus Diuinis, quibus æquale eſt

le eſt lumen gratiæ, ſi non actu, certè virtute. vt docuit D. Thomas, & docent arborum ſemina, quę in virtute arboribus ſunt ęqualia. Porrò Philoſophica, & Aſtrologica, non ſunt humana ratione ſublimiora. Non igitur eſt ſermo de eis. ¶ Non minùs difficilis operæ eſt, quod addit: *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Quis poterit perpetuò, & cõtinenter Dei pręcepta cogitare? num Angeli eſſe poſſumus? num humana cogitare ceſſabimus? Sunt hæ querelæ minùs amantium. Nam qui amat, in lege Domini meditatur die, ac nocte. Et ait, Lex tua meditatio mea eſt. Et, Quomodo dilexi legem tuã Domine? tota die meditatio mea eſt. &c. Tam enim digna eſt lex Domini, vt exigat oculos noſtros in ſe continenter intentos: tam etiam eſt magnum præmiũ, quod eam ſeruantibus promittitur: tam eſt magna pœna, quæ eam violantes manet. Neque porrò ſi aliud cogitaueris, ſtatim peccas. Nam eam cogitare ſemper, conſilium eſt, nõ præceptum. Congruet verò maximè, ſi ita contractiùs intelligatur: Quæ in functione & munere tuo ſunt tibi præcepta, hæc cogita ſemper. Nam ſi cogitaris, non aperies ianuam curioſitati. ¶ Illud verò, in pluribus operibus eius ne fueris curioſus, apertè, non tollit humilem inquiſitionem, ſed curioſam. Ipſe ſiquidem textus ſe explicat, ſubdens: *Non eſt tibi neceſſe, quæ ſunt abſconſa videre oculis tuis.* Imò contrà neceſſe eſt captiuare intellectum noſtrum in obſequium fidei.

D. Thomas.

Pſal. 1.

Pſal. 118.

Eodem.

Ergo ſecreta cęleſtia velle euidenter,& iuxta humanam rationem experientia metiri, id iam eſt, quod Deus voluit latére, & quod noluit te in lucem producere. At verò, quæ ex verbis ſacræ Scripturæ colligere ſolet Theologia noſtra, ſiue de Deo, ſiue de Angelis, planè noluit Deus eſſe abſcondita. Ac ideo licebit ea ſcrutari. Vnde gradum habemus ad ſequentia intelligenda. *In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter: & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus* Ea vocari videntur ſuperuacua, quæ Deus in literis ſacris voluit eſſe ſecreta. Nã quæ in eis ipſe reuelauit, vt minimè ſuperuacua, ita maximè rimanda eſſe conceſſit. Et ea perſcrutari, non modò non prohibuit, imò propoſito ſummo præmio præcepit. Ait enim Sapientia, Qui me elucidant, vitam æternam habebũt. Alioqui quorſum diceret ſanctus Rex, Da mihi intellectum, & ſcrutabor mirabilia de lege tua? Iam verò neque tollit Author curioſitatem in ſciendis humanis hiſtorijs, in perſcrutandis naturæ myſterijs, in enucleandis Medicorum ſecretis, modò illa nimia non ſit. Ait enim, In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter. Scrutari igitur poteris, modò ne nimis multum. Tum ait, in pluribus operibus eius. Ergo in quibuſdam operibus licebit eſſe curioſum. Certè in illis, vnde gloria Deo, aut commodũ nobis proceſſerit. Pulchrum verò eſt, quod addit: *Plurima ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Ita planè Teſtamen-

Eccli 24.

Pſal. 118.

ſtamentum vetus multa docuit, quæ vires naturæ docere non potuerunt. Non enim voluntate hnmana, ſed Spiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt ſancti Dei homines. Et quia Deus plura tunc non oſtendit, contenti oſtenſis Iudæi eſſe debuerant. At quanto plura, & maiora nobis Chriſtianis per Euãgelium, & Canonicas epiſtolas demonſtrata ſunt? Quæ, inquit Paulus, reuelauit Deus per Spiritũ ſuum. Contenti igitur ſimus tantis Sacramentis. Et in eis eruendis verſemur diu, atq; noctu. Eſt enim inciuile, auertere oculos ab his quæ Deus nobis vult reuelare: & conuertere ad ea quæ voluit occultare. Et certè ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria: & eueniet ei quod ſequitur. *Multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum: & in vanitate detinuit ſenſus illorum.* Id eſt, multi errores, multæ hæreſes exordium ſumpſerũt ex hac nimia curioſitate. Lege Pſal. 72. Ieremi. 12. Videbis, etiam viros pios ferè è ſancta religione dimoueri, dum curioſè nimis inueſtigare conantur, cur pacem habeant peccatores? Cur impij regnent? pij proſtrati iaceant? Cur viles prędeſtinentur ad gloriam? grandes reprobẽtur ad pœnam? Cur miſer duret annos multos in ſumma miſeria? felix ſubitò rapiatur ab ea? & alia innumera. Tu conſultiſſimè vocabulum poſitum attende. Supplantauit, inquit, ſuſpicio illorum. id eſt, ſuſpicio, quam tu tibi concipis: non fides, quam literæ ſacræ te docent. Dicunt pij homines, acti ſuſpicione

2. Pet. 1.
1. Cor. 2.
Prouer. 25.
Pſal. 72.
Iere. 12.

Pſal.72. humana, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Vides hos à ſuſpicione humana ſupplantari, non à perſuaſione legis Diuinæ. Ergo qui curioſus eſſe volet, perſuaſiones è literis ſacris ſumat: ita non ſupplantabitur. Supplantabitur verò, ſi humanis ſuſpicionibus velit metiri rerũ euẽtus.

QVARTA PARS.
Cor inſtituit.

17 Cor durum. Rom.1. COR *durum malè habebit in nouiſſimo.* Cor durum eſt, quod erga Deum, & homines tenerum non eſt. Vocatur à Paulo ad Roma.1. cor ſine affectione, fœdere, miſericordia. Exod.5.6.7. Tale fuit cor Pharaonis, quod neque verbis Dei, nec miſeris lachrymis Iudæorum emollitum eſt. Tale cor malè habebit in nouiſſimo. ô horrendum prognoſticum! Qui ſcit ſe corde eſſe duro, credat ſe malè habiturum in nouiſſimo. Nec enim æquum eſt, vt Deum ſentiat blandum in morte, qui erga Deum & homines fuit durus in vita.

18 *Et qui amat periculum, in illo peribit.* Preſſiùs hóc intelliges, ſi de corde duro intelligere velis, in hunc ſenſum: Cor durum amans periculum damnationis æternæ, in ea damnatione peribit. Eſt enim cordis duritia, aperta ad damnationem via: ſicut benignitas, charitas, teneritudo, eſt aperta ad felicitatem ſemita. ¶ Generaliùs intelligitur, de eo qui peccatum mortale amat. Eſt enim mortale crimen, inferni periculum. Ergo

qui

qui iniquitatem amat, damnabitur. Quantum ſ. eſt ex ipſa iniquitate, niſi Deus miſericordi manu iniquitatem repellat. ¶ Contractiùs ſolet hoc verbum intelligi, de his qui amant res licitas, quę ad illicitas tamen pelliciunt. vt qui gaudet fœminarum familiaritate, iniquorum conſortio, &c. At qui ex neceſſitate, vel charitate ſe in periculum conijcit, is non amat periculum. Ac ideo non ſolet in illo perire. Vt S. Vitalis, qui noctu cum meretricibus commorabatur: vt eas à fornicatione dimoueret.

Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus. 19
Dixerat de corde duro, nunc de tenero, ſed volente Deo ſimul & peccato ſeruire. At nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Deo *Matth.6.* ſ. & mammonæ, Deo & Baali. Clamat enim contra hos Elias: Vſquequò claudicatis in *3.Reg.18.* duas partes? Bona mater integrum, non diuiſum vult filium: licet quę ſe matrem fin- *3.Reg.3.* gebat, diuidi filium optaret. Ita Deus, integrum cor, non diuiſum vult. Ita dicente Moſe: Dominus ſolus dux eorum fuit, ne- *Deut.32.* que erat cum eis Deus alienus. Ergo non licet tibi Dagonem habere cum arca. Non li- *1.Reg.5.* cet terram duplici ſemine ſeminare. Non *Leuit.19.* licet veſtem lana & lino contexere. Non licet arare in boue & aſino. Vide ſup. c. 1. an- *Deut.22.* not. 24. & cap. 2. annot. 4. Quod autem ait, non habebit ſucceſſus, ita intellige: Tu volebas frui bonis bonæ, & malæ viæ, At neque his fruêris, nec illis. Nam fruentem te bonis, quæ in mala via eſſe videntur, auocat

cat bona via: & dulcedini tuæ in malo,bo-
na via felleum amarorẽ inſpergit. Ita con-
trà,fruentem bonis viæ bonæ, via mala re-
uocat: & dulcedine bonæ viæ frui, vt de-
cet,nõ ſinit. Hoc declarat ampliùs Author,
per verba ſequentia. *Et praui cor in illis ſcan-*
dalizabitur. Id eſt, ingrediens ſimul viã bo-
nitatis, & malitiæ, ſcandalizatur & offen-
ditur ex vtraque. Nam gaudens in bona,
torquetur ex mala. Contrà gaudentem in
mala,bona contriſtat.Ergo eſto calidus,aut
Apoc.3. frigidus: quia verò tepidus es,incipies euo-
mi ab ore Domini.

20 *Cor nequam grauabitur in doloribus: & pecca-*
tor adijciet ad peccãdum. Id eſt,vir malus non
reuocat ſe à peccato: imò verò addit pec-
catum peccato. Neque propterea tamen
addit lætitiam lætitiæ: imò addit dolo-
Eccli 23. rem dolori. Vt illud, Vir multum iurans
replebitur iniquitate,(en culpa) & à domo
eius non recedet plaga. En pœna.Ergo ſi vis
gaudia cumulare,non id aſſequeris peccan-
do: ſed ſanctè viuendo. Hoc ipſum repetit
Author: *Synagoga ſuperborum non eſt ſanitas.*
Quia in corde adijciunt peccata, in corpo-
re dolores. In corde replentur iniquitate,
in corpore plagis.Ergo ſi videris ſanum ſu-
perbum,ingredere eius cor. Iam ibi dolo-
ris carnificinam videbis.Quod ſubditur eſt
difficile: *Frutex enim peccati eradicabitur in il-*
lis: & non intelligetur. Frutex peccati eſt li-
bertas arbitrij. hinc enim peccatũ oritur.
Tolle

Tolle libertatẽ, ſtatim abſtuliſti peccatum. Hæc libertas peccatoribus eradicatur in inferno. Vbi non eſt opus, nec ratio. Carent *Eccles 9.* damnati libertate, quâ etiam dum viuunt carere incipiunt. Non quòd vnquam plenè careant illâ: ſed quòd eam in vincula, pluſquam ferrea, coniecerint. Rectè igitur Synagoga ſuperborum, quæ in hoc ſeculo noluit ſanari, imò peccata peccatis adiecit, in inferno non poterit ſanari: vt quæ caritura eſt arbitrij libertate, quæ ad ſanitatem recipiendam eſt neceſſaria. Quod adiecit, *Non intelligetur*, ſic intellige: Vir pius intel- *Pſal. 40.* ligit ſupèr egenũ & pauperem, Quærit enim eum, vt ab egeſtate, quæ eum premit, eripiat. Et Dominus miſericors, tunc intelligit ſuper peccatores, quando eos vult à peccatis eripere. Tunc enim de cælo in terram a- *Pſal. 101.* ſpicit, vt audiat gemitus compeditorum, & ſoluat filios interemptorum. At quando non vult peccatorem à peccato liberare, dicitur nõ intelligere, nec curare peccatorem. Hoc docet Author, cùm ait quòd arbitrium eradicabitur, & non intelligetur, neque curabitur. Ad hunc fere modum intelligitur illud de impio, Quæretur peccatũ eius, *Pſal. 9.* & non inuenietur. quia ſ. Dominus non plenè quæſiuit: vt qui ſanare nolebat. Hactenus de corde malo. Nunc ei opponitur bonum.

Cor Sapientis intelligetur in Sapientia. 2. Et 21 *auris bona audiet cum omni concupiſcentia ſapientiam. 3. Sapiens cor, & intelligibile abſtinebit ſe à*

pecca-

peccatis. 4. Et in operibus iuſtitiæ ſucceſſus habebit. Dixerat de corde malo, quod non intelligitur, nec curatur à Deo. Dicit nunc contrà eſſe, de corde ſancto, quod à Deo intelligitur, curatur, proſpicitur. Habet enim Deus ſpecialem piorum prouidentiam. Dixerat, cor durum (ſ. quod Deum non audit) malè habiturum in nouiſſimo: dicit nunc contrà eſſe de corde ſapientis, quod attentiſſimè verba Dei audiat. Sunt enim dulciora ſuper mel & fauum. Audiam enim quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebē ſuam. Dixerat, malum cor adijcere peccata peccatis: dicit cōtrà, Sapientem ſe abſtinere à peccatis. Vocatur porrò Sapiens, intelligibilis. Vt, quem Deus intelligit, & nouit: nouit enim qui ſunt eius. Vt, ſuper quem Deus intelligat, & vigilet. Non enim dormitabit, qui cuſtodit Iſraël. Vt, quem Angeli norint & diligant. Vt, qui ſeipſum intelligat. Impius enim, vt qui in tenebris eſt, non videt ſe. Pius illuſtratus lumine Dei, intelligibilis ſibi factus eſt. Demum dixerat, impium in duplici via ſua non habere ſucceſſus: at pius in operibus iuſtitiæ ſucceſſum habet, & lætitiæ, & gratiæ, & gloriæ.

Pſal. 18. *Pſal. 84.* *Intelligibilis.* *2. Tim. 2.*

QVINTA PARS.

De Eleemoſyna, quæ pars ad cap. ſequens ſpectat.

22 IGNEM *ardentem extinguit aqua: & eleemoſyna reſiſtit peccatis: Et Deus proſpector eſt eius,*

eius, qui reddit gratiam: meminit in poſterum: Et in tempore caſus ſui inueniet firmamentum. Docet nos quatuor effectus Eleemoſynæ. Primus eſt: Eleemoſyna reſiſtit, ne, qui eam dat, in peccatum cadat. Ferrum candens ſuo te tactu cōburere volebat. Obijce tu illi aquam, non aduret. Ita peccatum, facibus cupiditatis accenſum, comburere tuam animam ambit. Vis non peccare? vis ne noceat? Obijce illi eleemoſynam. Dabit tibi in eo periculo Deus auxilium: ſicut tu proximo, in ſuo dediſti fauorem. Alter eſt: Deus protector eſt viri benigni. Vt enim eſt ille benigniſſimus: ita benigniſſimis oculis, ſuæ benignitatis participem contuetur. Tertius eſt: Meminit Deus in poſterum. Non ſolùm Deus amanter reſpicit eleemoſynarū largitorem: ſed meminit eius: vt cùm illi neceſſe fuerit, gratiā reddat pro gratia. Quartus eſt: Si vnquam eleemoſynarium cadere in pecctum contingat, in ipſo caſu, inueniet miſericordiam, quam fecit, cui nitatur, & in qua firmetur, vt ſurgat. Quia eleemoſyna, miſero data, rogat pro datore Deum, vt eum ab ea miſeria liberet, qui miſeros ab eorum miſeria liberare ſolebat. Dictum mihi de hac re eſt in illud Matth. Beati miſericordes. *Matth.5.* Dixi etiam hoc cap. annot. 5. & 13. Tu perſpice, quàm ſibi literæ ſacræ conueniant. Audiſti quæ dicat Author de Eleemoſyna? Planè conſentiūt verbis Domini docentis, cauſam damnationis malorum eſſe, non dediſſe eleemoſynam: ſicut *Matth.25.*

gloriſi-

glorificationis bonorum, eam in hac vita dediſſe. Matth.25.

CAPVT IIII.

PRIMA PARS.

Perſtat in laudibus Eleemoſynæ.

F*ILI, Eleemoſynam pauperis ne defraudes : & oculos tuos ne tranſuertas à paupere.* Id eſt, Fili, ne priues pauperem eleemoſynâ, quam petit. Quod Dominus
Matth.5. dicit, Date, & dabitur vobis. Et item, Omni
Luc.6. petenti te tribue. Et vtriuſque eadem explicatio eſt. Si enim pauper reuera ille eſt, & tu non dans fraudem illi facis, reuera dare teneris. Secus eſt, ſi te etiam inopia cogit, vt dando, tibi, aut tuis fraudem feceris. non enim tunc dare conſtringeris. Illud verò, ne tranſuertas, Græcis eſt, Ne protrahas oculos indigentes. quod fit, cùm nimis eos cogimus ſperare, aut deſperare. Sed litera noſtra id vult, vt ſi videro pauperẽ, figam oculos in eum : vt eâ fiducia à me petat. Si enim viderit me à ſe oculos auertere, incipiet diffidere mihi, ac ita nõ petet, & in miſeria ſua perſeuerabit. *Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperẽ in inopia ſua.*
Pſal.144. Inquit Pſalmus, Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illis. Dei eſt, animas omnium, dum eſuriũt, implere benedictione. Eſto & tu, in hac parte, Deus :

neque

neque deſpicias eſurientem. Non exaſperare, eſt, nullo verbo aſperiore vti. Ne igitur exaſperes pauperẽ: neque percutias quem Deus percuſſit. Non apponas dolorem ſupra dolorem. Sufficit enim diei malitia ſua. *Pſal. 68.* *Matth. 6.* *Cor inopis ne afflixeris: & non protrahas datum anguſtianti.* Id eſt, nec opere, neque verbo duriore, neque eleemoſynæ dilatione cor inopis afflixeris. Licet enim illum deiecerit Dominus, amat eum tamen, & eius iniurias vindicaturus reſeruat. Dictum enim eſt, Tibi derelictus eſt pauper. Illud porrò, *Pſal. 9.* datũ anguſtiãti, eum habet ſenſum: ne protrahas munus, quod anguſtiato & afflicto daturus es. Ne differas eleemoſynam viro, ſuas anguſtias, & quibus premitur, afflictiones dolenter proferenti. Vult Dominus bonum opus à te bene fieri. (ait enim, Eſtote *Matth. 5.* perfecti, vt Pater veſter perfectus eſt.) Atqui, bonum opus non bene fit, ſi tardè, & non ſuo tempore fit. *Rogationem contribulati ne abijcias: & ne auertas faciem tuam ab egeno.* Ne ſ. Deus faciem ſuam à te, & aures ſuas à rogatione tua, auertat. *Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram: & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Fatendum eſt, pleroſque pauperum, eſſe inciuiles, & importuniſſimos, & qui à manſuetiſſimis etiam iram extorqueant. At nihilominus iubet Deus, ne propter iram, quam pauper

commeruit,tu ab eo faciem auertas.ſ.ne illi occaſio fueris, vt tibi maledicat, & diras imprecetur. Audiet enim eũ Dominus.Cur audiet? Certè quia fecit illum.quia eius habet curam. quia derelictus eſt illi. Neque verò eum tibi ſubiecit, vt iniuria afficeres: ſed,vt auxilio ſubleuares. ¶Tu verò Theologe ne ita crudè rem hanc acceperis. Non enim audit Deus quanuis pauperis imprecationem. Sed ſi iuſtus pauper in re graui iuſtè petit: & tu iniuſtè negas, audiet tunc Deus cruentam imprecationem, & iuſtè te damnabit iniuſtum.Secus erit,ſi bona quauis ratione negabis. ¶ Nota. Vt eſt ſpiritus benedictionis,quo afflatus, qui benedicit, benedictionem profert efficacem, & quæ eueniet benedicto: ita eſt ſpiritus maledictionis,quo qui afflatur,maledictionẽ pronuntiat,quę eueniet maledicto.Exemplum prioris habes, Iſaac benedicentem filio Iacob: ſecundi, Eliſæum pueris maledicentem. De hac maledictione pauperis,ab huiuſmodi ſpiritu profecta, intellige locum Authoris.

Pſal.9. *Geneſ.27.* *4.Reg.2.*

2 *Congregationi pauperum affabilem te facito: & presbytero humilia animam tuam: & magnato humilia caput tuum.* Perſuadeo mihi,temporibus illis, collegia fuiſſe pauperũ, qui publicè alebantur. Huic cœtui iubet affabiles nos eſſe. Et quia inter pauperes, inuenias pleroſque ſenes, & canos: inuenias etiam viros nobiles, & magnatos, id eſt, qui vel magnati fuerunt, vel à magnatis originem

habent;

habent: iubet Author, vt cano pauperi, (id enim ſignificat presbytero, ſ. ſeni) ſimiliter & pauperi nobili ſuũ exhibeas honorem. Quem, quia pauper, non amiſit: imò, quia ſenex, pauper, & nobilis, ſi pius eſt (vt magis à Deo dilectus) cumulauit. In ſenecta reſplendet æternitas Patris: in nobilitate, ingenuitas Filij. Hæc igitur à te magis honorentur, quàm diuitiæ, quæ, vt plurimum, eſſe ſolent iniuſtæ.

Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam: redde debitum tuũ: & reſponde illi in manſuetudine. 3
Graue conſilium videbitur, quòd ſine triſtitia audiamus tot clamores pauperum: & in manſuetudine illis ſuccurramus. Sed ſi intelligas, in perſona pauperis Chriſtum eſſe, cui das, (Ait enim, Mihi feciſtis, cùm minimo feciſtis) & ſi intelligas dando numũ, te acquirere cælum: & dando pauperi, perſonam te gerere Dei, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione: nónne ſine triſtitia dabis? Quot rationes euincunt, vt des proximo tuo, id eſt, carni tuæ: tot euincunt, vt des illi ſine triſtitia. *Matth.27.* *Pſal.144.* *Iſaiæ 58.*

¶ Illud verbum eſt difficile: Redde debitum tuum. Ergo eleemoſyna non tam eſt libera, quàm debita. Et pauper petit, non omnino tuum: ſed quadam ratione ſuum. Et cùm das, non tam putes te dediſſe ex gratia, quàm ſoluiſſe ex debito. Non quòd ex iuſtitia, bona diuitis ſint pauperis: nec enim ſi diues priùs illa neget, poſtea reddere tenebitur. At bona diuitis, ſunt pauperum ex

charitate. quia violat charitatem,& peccat mortaliter, diues qui pauperi non ſuccurrit. Intellige, ſi diues habeat ſuperflua naturæ, & neget extremè indigenti: & ſi habeat ſuperflua ſtatus,& graui inopiæ non occurrat. Vide hanc rem apud Summiſtas. Tu verò diues, cùm onuſtiſſimus diuitijs fueris, exiſtima, non ſolùm te onuſtiſſimum eſſe debitis, quæ Deo debeas,& quorum rationem Deo redditurus ſis: ſed onuſtiſſimum etiam eſſe debitis, quæ proximo debeas: & quæ illi, cùm commodum fuerit, daturus ſis.

4 *Libera eũ qui iniuriã patitur, de manu ſuperbi.* Referri poſſunt hæc ad Principem & Iudicem, quibus ex officio incumbit, liberare oppreſſos de manu ſuperborum. Tenentur enim liberare ciues in ciuitate, ruſticos in agris, viatores in itineribus ab omni vi, & inſultibus iniquorum. quę ſi non fecerint, tenebuntur damnum oppreſſis reſarcire. Secundò referri queũt ad priuatos, qui proximum tenebuntur ab iniuria liberare, ex charitate, licet non ex officio: ſi id modò ſine ſuo damno poſſint. Ita liberauit Abraham Loth conſobrinum: liberauit Moſes ab Aegyptio Iudęum. Idem pręcipitur Prouerb. 24. & Pſal. 8. Ratio verò eſt, quia ſumus vnius corporis membra. At mẽbrum membro oppreſſo fauet ſpontè. *Non acidè feras in anima tua.* Litera Græca ita diſpungit: Non acidè feras in anima tua in iudicando. Quo Iudex admonetur, ne acidus,& aſper

Geneſ. 14. Exod. 2. Prouer. 24. Pſal. 8.

aſper ſit, cùm iudicat. Litera noſtra ſublimiorem ſenſum habet. ſ. opprimitur quiſquam à potẽte ſuperbo : ô quàm eſt acidum &amarum te illi ſuperbo obijcere,quo eius iniuriam repellas. At nõ ſit id tibi acidum. Officium geris Dei. Perſonam potentis minimè recipias. Præmio Deus afficiet eam ab iniuria liberationem.

In iudicando eſto pupillis miſericors, vt pater : 5
& pro viro, matri illorum. Et eris tu, velut filius Altiſſimi, obediens : & miſerebitur tui, magis quàm mater. Abſit,Deum velle,vt Iudex velut pater pupillorum,aut mater viduarum,contra ius, eorum cauſæ faueat. Abſit. id enim lege à Moſe cauebatur, cùm dixit : Non miſereberis pauperis in iudicio. *Exod.23.* Vult igitur Deus, vt omni ratione Iudex ſeruet ius pupilli,& viduæ. Lege Prophetas minores, imò & maiores, & Pſalmos, & inuenies, quàm iudices Iudæi iniquè & tyrãnicè pupillorum,&viduarum cauſas curarint. *Iſaiæ 10. Iere.5. Malach.3.* Admonentur igitur, vt ius eorũ ab eis,pro dignitate benignè tractetur. ¶Notabis porrò, paternus affectus, & maternus maior multò eſt in Deo, quàm ſit in patre, aut matre, vulgaribus. Cùm enim Deus eum affectum rebus creatis communicarit, maiorem ſibi reſeruauit, vt nos maiore proſequeretur. Nulla enim creatura tanti affectus (abſit vocabulo calumnia) capax eſt, quantũ ipſe habet, qui infinita habet,cuncta quæ habet. ¶Notabis item, quàm compendiaria ratione Principes & Iudices Deum ſibi poſſent

 habere

habere deuinctum, vt patrem, & matrem: ſ.ius ſeruando pupillis, & viduis.

SECVNDA PARS.

Sapientiæ encomium.

Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat. Colligamus hinc multa. 1. Si Sapientia filijs vitam inſpirat: ergo Sapientia filios habet. Non igitur eſt accidens, aut res inanimata. hæc enim filios habere nequeunt. 2. Ergo Sapientia habet vitam, quam ſ. filijs poſſit inſpirare. Verè eſt fons vitæ. 3. Ergo Sapientia filijs dat vitam inſpirando. Nónne igitur ſtatim tibi dilucet, Sapientiam eſſe Deum? Solus enim Deus eſt, qui vitam det inſpirando. Ita enim Geneſ. 2. dicitur: In teſtaceum Adæ corpus Deus inſpirauit ſpiraculum vitæ: ac propterea fuit factus homo in animam viuentem. At Chriſtus vera Dei Patris Sapiẽtia inſufflauit in Apoſtolos Spiritum ſanctum. Ioan. 20. Nónne igitur facti fuerunt Apoſtoli in ſpiritum viuificãtem? id eſt, viuentes vita ſpirituali, atque ſanctiſſima. 4. Ergo ſi filijs vitam inſpirat, antequam eis vita inſpiretur, nónne mortui erant illi? Sicut erant mortui ij, quos halitu, & calore ſuo Elias, & Eliſæus vitæ reddiderunt. Et oſſa illa, quæ apud Ezechielẽ, ſpiritu viuificantur. 5. Ergo filij Sapientiæ per filiationem vitã accipiunt. Vt enim quia filij, ideo hæredes: ita quia filij, ideo viuunt, ſeu vitã accipiunt. 6. Et cùm Dei Sapientia vnica ſit, nec duas habeat vitas; quâ

Pſal. 35. Geneſ. 2. Iohan. 20. 1. Cor. 15. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Ezech. 37. Rom. 8.

quâ vita ipſa viuit, eandem filijs per inſpirationem communicat. Niſi quòd vita eſt in ipſo per naturam: filijs communicatur per gratiam. 7. Denique inſpiratio ore fit inſpirantis. Igitur Sapientia ore ſuo vitam filijs inſpirat. Vt ſicut ipſa ab ore Patris Sapientiam dicentis, & gignentis, viua prodijt: (Eccli 24. Ego ex ore Altiſſimi prodij) *Eccli 24.* ita filij Sapientię, ab eius ore, in filios inſufflante, viui producantur. Ergo peccator mortuus eſt. Dicit ore ſuo Sapientia, vt viuat. Prodit, qui fuerat peccator, viuus, fili- *Iohan. 11.* us Sapientiæ, viuens ſpiraculo gratiæ Dei, viuens tandem vita Diuina. *Et ſuſcipit ex-* 7 *quirentes ſe.* Si ſuſcipit, ergo maior eſt, quàm illi, à quibus exquiritur. Ergo ſinum habet, in quo illos excipiat. Ergo habebit alimenta, quibus, quos excepit, alere poſſit. Alioquin, quomodo excipiet? nunquid, vt fame preſſi moriantur? Vbera igitur habet, quibus inebriet quærentes eam. O quãtum porrò debeant excepti excipienti! ô quàm pacifici in eo ſinu conſiſtere debẽt! ô quàm erunt felices, ſi nunquam inde diſceſſerint!

¶ Porrò Sapientiam dupliciter quærimus. Priùs quidem, cùm nõdum eam habemus, vt habeamus. Ita quærit peccator, cùm cupit eſſe iuſtus. Secundò verò, cùm iam eam habemus, vt magis habeamus. Ita quærit iuſtus, vt magis iuſtificetur. Vtroq; modo *Apoc. 22.* quærentes excipit Sapientia. ô eius amoris infinitatem! *Et præibit in via iuſtitiæ.* Vt olim 8 præibat Iudæis per deſertum, in nubis co- *Exod. 13.*

lumna, ne in via ignota, & tot periculis plena, in ea pericula inciderent: ita in via iuſtitiæ præit pijs Sapientia, ne in maiora multò pericula cadant. At non præit in via iniquitatis. Viam hanc Sapientia neſcit: in ea dux eſſe non poteſt. Mentiri veritas non poteſt. In via iniquitatis Sapientia gradi nequit. Ergo, qui operantur iniquitatem,
Pſal.118. in vijs eius non ambulauerunt. Iam dixit
Ierem.17. Ieremias, Non confundar, te paſtorem ſequens. Nec igitur confundetur, qui Sapientiam ductricem ſequetur. Securus vadit, qui poſt talem ducē vadit. Imò verò, quia Sapientia vadit ad eum qui miſit illā: (Exi-
Iohan.17. uit enim à Patre, & venit in mundū, ac ideo neceſſe eſt, vt relinquens mundum, veniat ad Patrem) planè qui Sapientiam præeuntem ſequitur, vadit, quò illa vadit. Vt verè
Eodem. dictum ſit: Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

9 *Et qui illam diligit, diligit vitam.* O felicem illum, qui in Chriſtum, Dei Sapientiam, affectum ſuum propendere ſentit! Hic enim diligens Sapientiam, vitam diligit. Vt enim Chriſtus, quia eſt Sapientia, eſt veritas: ita
Pſal.37. quia eſt fons vitæ, erit vita. Ergo filij ho-
Pſal.4. minum cur diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Si diligitis peccatum, verè puram diligitis mortem. Si diligitis mūdum, diligitis vanitatem, & miſtam cum multa morte exiguam vitam. Diligite Sapientiam, & puram, & ſine labe vitam diligetis. Ergo ſola Sapientia digna veſtra dilectione eſt.

eſt. Ad amatores ſeculi ſermo noſter eſt.
Qui vigilauerint ad illam, complectentur placorem 10
eius. Iſaias inquit: Anima mea deſiderauit *Iſaiæ 26.*
te in nocte: ſed & ſpiritu meo, in præcor-
dijs meis, manè vigilabo ad te. Facit ergo
vigiliã amor. Si amor Chriſti te accende-
rit, excitaberis è ſomno, nihil aliud quàm
Chriſtum & cogitans, & amans, Tunc ſen-
ties placorem, ſeu placidiſſimam eſſe Sapi-
entiam. Senties Sapientiæ iucunditatem, &
iubilationem. At beatus populus, qui ſcit *Pſal. 88.*
iubilationem. Eſt tunc anima, velut hortus *Iſaiæ 58.*
irriguus. Introducitur tunc anima in cel- *Cant. 1.*
lam vinariam, & ordinatur in ea charitas.
Demum guſtat tunc, quàm ſuauis eſt Domi-
nus, & incipit prælibare, qualis eſt æterni-
tas, quam Deus tam magnificis verbis no-
bis pollicetur.

Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: & 11
quò introibit benedicet Deus. Id eſt, qui eam te-
nuerint per charitatem, & intimam dilecti-
onem, non per mortem Sapientiæ, ſed per
mortem ſuam, hæreditabunt, non hanc vi-
tam: cuius maxima pars eſt mors, non vi-
ta: ſed illam vitam, quæ vita Dei eſt. & ne
tu maiorem huius vitæ laudem requiras,
dicit Dominus: Adhuc modicum, & mun- *Iohan. 14.*
dus me iam non videt: vos autem videtis
me. Quia ego viuo, & vos viuetis. Domine,
vnde nam collectio valet? quia ego viuo, &
vos viuetis? Certè quia, quâ vita ego viuo,
eadem, per gratiam meam, vos viuetis. Tu
verò pie lector intellige, carnem, mundum,

& totum infernum, viribus extentis contendere, vt à te hæc Sapientia fugiat. At ô te felicem, ſi contra huiuſmodi vires, Sapientiam tenaciter prehenſam tenueris. Huius enim laboris tui, vitæ æternitas erit hæreditas, & præmium. ¶ Porrò illo verbo, *quò introibit &c.* alluſit ad hiſtoriam Obededon, in cuius domum arca Dei introiuit. Ac ideo & hominem, & eius familiam Dominus benedixit. Quantò igitur vehementiùs Dominus benedicet animam, in quam Diuina Sapientia introibit? Si curioſiùs deſideras noſſe, quo modo benedicet Deus animæ, in quam introijt Sapientia, lege Pſal. vbi dicitur: Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Modò Pſalmi illius benedictiones ſpiritu, non carne intelligas.

2.Reg.6.

Pſal. 127.

12 *Qui ſeruiunt ei, obſequentes erunt ſancto: Et eos qui diligunt illam, diligit Deus.* Sancto, id eſt, ſanctitati. Nemo putet, ſe diligere Sapientiam, aut ei inſeruire, ſi ſanctitati non obſequatur. Vt enim iuxta Paulum, Recedat ab iniquitate, qui inuocat nomen Domini: ita recedat ab iniquitate, qui ſeruit Sapientiæ. Cur ita? quia Sapientia ſanctitas eſt. Igitur, vt qui ſe totum tradit Sapientiæ, credere debet, ſe tradidiſſe ſanctitati: ita qui partem ſui dedit iniquitati, credat ſe totum Sapientiæ abſtuliſſe. Tu iam lector intelligis, cur Angelus Mariæ dixit, Quod enim ex te naſcetur ſanctum. ſ. quia, vt verè ex Virgine Sapientia Dei nata eſt: ita & ſanctitas Dei nata eſt. Omnino ſiquidem neceſſariũ eſt,

2.Tim.2.

Luc.1.

vt

vt Sapientia infinita ſit Sanctitas infinita. Sapiẽti dixiſſe ſat erit. ¶ Egregiè verò illud, *Qui diligunt illam, diligit Deus*. Ac ſi diceret: Ne id credas, Si te totum cultui, & dilectioni Sapiẽtiæ dedicaueris, ideo Deus offendetur, quaſi iratus, quòd eum non colas, Sapientiã colens. Minimè. Imò contrà, quia Sapientia ex ore Dei prodijt, Deus eſt. ſ. filius Eccli 24.
Dei, natus ex Deo. At neceſſariò Deus Pater diliget eum, qui eius filium vniciſſimè dilexerit. Ergo ſi Chriſtianus nihil aliud, niſi Chriſtum, in memoria gerat, non ideo Pater, velut Chriſti gloriæ inuidus, Chriſtianum odio proſequetur: ſed contrà velut eius gloriæ cupidus, diliget eum, qui Chriſtum ardentiùs amat.

Qui audit illam, iudicabit gentes. Dupliciter 13
Sapientia auditur. Priori modo, cùm præſens nõ videtur, ſed eius vox auditur. Quomodo Sapientiam audiuit Samuel, non vi- 1. Reg. 3.
dens loquentem. Audiuit & Salomon. Audiuit & Paulus, & qui cum ipſo erant. Al- Actor. 9.
tero modo, cùm præſens in aliqua ſpecie viſibili cõſpicitur, & ſimul vox auditur. Hoc modo audit Abraham, Iſaac, Iacob, Moſes. Exod. 2. 3.
Qui vtroque modo Sapientiam audierit, iudex gentium eſſe poteſt. Nam ideo Moſes & Samuel iudicauerunt, quia Sapientiam loquentem audiebant. Ideo & Apoſtoli iu- Matth. 19.
dices ſunt orbis conſtituti, quia Sapientiam in carne loquentem audire meruerunt. Quin & Paulus dicit, Neſcitis quòd Sancti 1. Cor. 6.
de hoc mundo iudicabunt? Neſcitis quòd

Ange-

Angelos iudicabimus, quantò magis ſecu-
Matth.19. laria? Et Dominus dicit, Sedebitis & vos
ſuper ſedes duodecim, iudicátes duodecim
Matth.12. tribus Iſrael. & item Apoſtolici viri impi-
os iudicabunt. Demum, qui Sapientiam
1.Cor.2. audit, ſpiritualis eſt. Animalis enim homo
non percipit, quæ ſunt Dei. Atqui, ſpiritua-
lis iudicat omnia. *Et qui intuetur illam, per-
manet confidens.* Cui Sapientia, ex ſuo ſpecia-
li fauore præſentiam ſuam, in ſpecie viſibi-
li contuendam exhibuerit, is permanet re-
bus inferioribus maior. Permanet confi-
dens, quòd nihil eum ab ea Sapientiæ cha-
Rom.8. ritatè ſeparabit. Permanet confidens, quòd
qui tantum gratiæ donum ei præſtitit, reli-
qua minimè ſit negaturus. Qui enim confi-
Pſal.124. dunt in Domino, ſicut mons Sion nō com-
mouebuntur in æternum. neque vultus eo-
1.Reg.1. rum, cum Anna Samuelis, vltrà in diuerſa
mutabuntur. Porrò Iudæi, qui in priore
Domini aduentu, & impij, qui in poſterio-
re, Sapientiam in carne videbunt, non eam
ex ſpeciali gratiæ fauore intuebuntur.

15 *Si crediderit ei, hæreditabit illam: & erunt in confirmatione creaturæ illorum. Quoniam in tentatione ambulat cum eo.* Senſus eſt: Si tu vir pie credideris Sapientiæ, eris eius hæres. Illa enim nunquam non te docet, admonet,
Iohan.14. & ſuggerit omnem veritatem. Si ergo veritatem admonenti credis, declinabis à malo, quod illa diſſuadet: inclinabis in bonū, quod illa ſuadet. Vbi te ipſa adeò obedientem videt, cùm te mori continget, eius hæ-

res

res eris. ô infinitarum diuitiarum inenarrabilis hæreditas! ¶ Porrò illud, *Erunt in confirmatione creaturæ illorū*, arbitror ita à viro Theologo explicandum. Vt anima rationalis in corpore: ita gratia & virtutes infuſæ non gignuntur, ſed creantur in anima. Vt enim nulla potentia naturæ inducere poteſt animam in corpus: ita nec gratiam, & virtutes infuſas in anima. Ergo gratia & virtutes infuſæ ſunt creaturæ piorum. Hæ creaturæ in igne tentationis non comburuntur, quia non ſunt fœnum, ſtipula, aut paleæ. quin potiùs confirmantur, quia ſunt argentum & aurum. Carnalis vir, vt qui palea eſt, cùm venit ignis tribulationis, deficit, non firmatur. Spiritualis, quia velut aurum in fornace probatur, confirmatur, non euaneſcit. ¶ Quæris diſcriminis cauſam. Eam Author ſubdit: Quia cum pio Deus ambulat in tẽtatione. Cuius flammam in auram conuertit. vt olim fecit, quando cum pueris in igne Babylonis ambulabat. Arbitror enim Authorẽ hanc hiſtoriam in hiſce ſuis verbis refricaſſe. Tu verò tibi videare, Dauidem audire dicentem, Non timebo mala, quia tu mecum es. Et Dominum dicentem, Virtus in infirmitate perficitur. Quia ſufficit, quæ tibi adeſt, gratia mea. Et interim agnoſce, cui debeas in tentatione prouentum, Non enim viribus tuis id debere te credas: ſed Sapientiæ, quæ tecum ambulat in tentatione. Alioqui vide Iudam perpetuò, & Petrum ad modi-

1. Cor. 3.
Matth. 3.
Dan. 3.
Psal. 22.
2. Cor. 12.
1. Cor. 10.
Matth. 26.
Actor. 1.

modicum derelictos.

16 *Et in primis eligit eum. Timorem, & metum, & probationem inducet ſuper illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ: donec tentet eum in cogitationibus ſuis, & credat animæ illius.* Litera Græca ita legit; In primis timorem & metum, &c. id eſt: Primum, quod Sapientia facit, eſt, inducere timorem, metum, &c. At litera Latina eruditiſſimè docet progreſſum iuſtificationis impij. ¶ Primùm enim eligit eum Deus. Dicēte Domino: Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos. ¶ Secundò, poſt electionem, non in cellaria eum introducit: ſed metu, timore, & probatione eum examinat. Deus bone, quàm exagitantur incipientes timore gehennæ, peccatorum, ſcrupulorum, dæmonum, carnis, & mundi! Norunt quæ dico ipſi incipientes, & eorum confeſſores. Demum tāquam aurum in fornace probauit electos Dominus. Audis ne eorum probationes? ¶ Tertiò, eos cruciat in tribulatione doctrinæ ſuæ. Vbi enim ceſſant, imò etiam vbi nō ceſſant foris timores, & metus, cruciat Deus, iam pios, lege ſua, Euangelio ſuo. ô quam cruciatur libidinoſus, continenter à ſua carne exagitatus in libidinem, continenter etiam à lege Dei in caſtitatem reuocatus. Quàm cruciatur auaru s, à lege Dei, numos ab eo, velut oculos extorquente. Quàm cruciatur à lege Dei, quæ inimicum diligi iubet, is qui inimicum meritò in mille fruſta conciderer. Sic de ſimilibus. Hunc cruciatum Dominus

Iohan. 15.
Cant. 1.
Eccli 2.
2. Cor. 12.

minus nominauit,negare ſe, & tollere cru- Luc.9.
cem ſuper ſe. Paulus & Petrus nominabāt, Rom.8.
mortificare ſe,& mori in Chriſto. Tu per- 1.Pet.3.
ſpice, an hæc poſſint cruciare. ¶ Quartò, tamdiu electum tentat,donec credat ſe illi, id eſt, donec vas firmum & idoneum inueniat, cui ſe infundat. Sapientia liquor eſt infiniti pretij. mille modis probatur vas (cui eſt infundēda) an frangi poſſit.Si enim tam fragile eſt, non ſe illi Sapientia cōmittit.Vbi ſcitò,Deum optimè noſſe,quid no-
ſtrā fragilitas poſſit. Ipſe enim cognouit fi- Pſal.102.
gmentum noſtrum. Ipſe etiam dat in ten- 1.Cor.10.
tatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. Neque enim vas tentationis ictum ſuſtinebit,ſi ipſa Sapientia vas non firmarit. Di-
cente Paulo, Omnia poſſum in eo qui me Philip.4.
confortat. Quem ſi abſtuleris, quid poſſit Paulus,docuit Iudas,docuit & Petrus. Ipſe igitur qui cruciat,dat in cruciatu fauorem, ne cruciatus abſumatur ab igne. At nihilominus ita ſuos cruciat & tentat electos,ac ſi homo eſſet,qui tentationibus probat,quos in amicos recipere vult, & quorum ſe vult amicitiæ credere. Ne videlicet dæmones,& impij habeant quod calumnientur, dicentes, Deum ſine delectu & probatione ſuos
ſibi amicos aſciſcere. Quod ei diabolus ob- Iob 1.
iecit, cùm petiuit ſanctum Iob, & expetiuit Apoſtolos, vt ſicut triticum cribraret.
¶ Nota verbum, tentet in cogitationibus Luc.22.
ſuis, id eſt, in cogitationibus, non hominis, qui tentatur ; ſed Sapientiæ, quæ tentat. At eſt illa vt pater & mater noſtra. iam

vides, quid ſit ab eius tentatione ſperãdum. ¶ Nota rurſum, quis ſit tentationum Diuinarum finis. Certè, ſe Sapientiam animæ probatæ credere, infundere, committere. Vt in ea velut in domo habitet: velut in tẽplo colatur: velut in ſede quieſcat: velut
Sap.7. in arca inter cherubinos ſedeat: velut in-
Cant.2. ter vbera Sponſæ commoretur. Reliqua dicat aliquis Bernardus. Quàm verò his contraria diabolus tentando procurat? ¶ Nota tertiò: Perſeuerantia in tentationibus facit, vt homo magis idoneus Sapientiæ fiat. Facit habitum, ac firmitatem in ſanctimonia, ne ſanctus facilè à propoſito deſiſtat. Facit peritiam, & vſum in pugna, ac vincere docet. Ideo Sapientia ſe credit merenti, exercitato, & firmo, & victorijs ſplendido.

17 *Et firmabit illum: Et iter ducet directum ad illum: & denudabit abſcondita ſua illi: & theſaurizabit ſuper illũ ſcientiam, & intellectũ iuſtitiæ.* Cùm Sapientia ſe animæ iuſti crediderit, multos in ea effectus facit. Vt eſt illa, & infinitè potens, & infinitè larga atque benefica. Quinque ex eis enumerat Author hoc loco. Primus eſt, firmat animam. ſ. in gratia. Ioannem, Apoſtolos, & alios fortaſſe Sanctos in gratia confirmauit, ne mortaliter poſſent peccare. Aut certè firmat animas, ne, & ſi peccare poſſint, peccare velint. vt pleroſque nouimus. Secundus eſt, iter rectum ad animam adducere: eam ſ. viſitando non per creaturas, nõ per imagines, non per

per Angelos: ſed per ſemetipſum, animam ſplendoribus implens: & dicens, Ego qui *Iſaiæ 58.*
loquebar, ecce adſum. Et Anima dicit: Læ- *Cant.2.*
ua eius ſub capite meo: & dextera illius amplexabitur me. Sed hęc ſentire alicuius Pauli eſt. Tertius effectus eſt: Animæ tali reuelantur abſconſa Dei. Id tibi dicit Dauid, cùm ait: Incerta, & occulta Sapientiæ tuæ *Pſal.50.*
manifeſtaſti mihi. Et Paulus, dicens, Ne ma- *2.Cor.12.*
gnitudo reuelationum extollat me. Et Ioannes in Apocalypſi. Et Petrus in Ioppe. *Actor.10.*
Quartus effectus: Theſaurizat Sapientia ſcientiam in anima ſancta, id eſt, notitiam rerum naturalium. Quod explicatum mihi eſt ſuprà c.1. annot. 18. Quintus effectus eſt: Sapientia recondit theſaurum intellectus iuſtitiæ in anima iuſta. Impleuerunt Philoſophi libros de humana iuſtitia. Eſt porrò multò ſublimior iuſtitia diuina ſupernaturalis & Chriſtiana. Hanc humanæ vires neſciunt: ſola Sapientia reuelat animæ ſanctæ. Hæc eſt Iudæis ſcandalum, Gen- *1.Cor.1.*
tibus ſtultitia: ſed vocatis Iudæis, & Græcis eſt virtus Dei, &c. Ergo iuſtitiam Chriſtianam plurimi pij habent. Non verò omnes habent eius intellectum & eruditionem: ſed hi, quos Deus ſpirituales magiſtros in Eccleſia conſtituit. De quibus Pau- *1.Cor.2.*
lus, Spiritualis omnia dijudicat. En quæ dona det Sapientia ſuis.

18 *Si autem oberrarit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici ſui.* Adeò eſt Sapientia pura, vt nullum crimen ſecum admittat,

etiam in ea anima, quam vehementiſſimè amat, quamq́ maximis bonis ditauit. Statim enim, qui malè agit, oditur, derelinquitur. Etiam Angelus in cælo: Adam in paradiſo: Iudas in Chriſti collegio. Statim traditur in manus diaboli. Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati; quod magno ſuo malo nos docuit Iudas. Agnoſcis igitur Sapientiæ puritatem. Agnoſce etiam & peccati fœditatem, quæ Sapientiam compellit ad tradendum ſæuiſſimo hoſti, dilectiſſimum filium.

Iſaiæ 14.
Iohan. 8.

TERTIA PARS.

Linguam inſtituit.

19 FILI, *conſerua tempus, & declina à malo. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Temporibus Authoris Iudæi tormentis & afflictionibus reuocabantur à patria lege. Quam qui palàm confitebatur, certam ſibi mortem conſciſcebat. vt in cap. huius libri vltimo videre eſt. Docet igitur Author, eſſe tempus cùm quis tacere debeat, ſ. cùm ſilentium non cedit in damnum gloriæ diuinæ. Tunc enim tacendo declinamus à malo, tū pœnæ, tum culpæ: nec enim tunc tacendo peccamus, nec in tyrannorum manus incidimus. At cùm ſilentium in damnum fidei ceſſerit, tunc etiam cum periculo animæ (id eſt, vitæ) non confundamur dicere verum. Licet

enim quædam verecundia adducat peccatum,(vt teſtis Lucretia fuit) hæc tamen verecundia, qua preſſi, veritatem fatemur, gloriam & gratiam Dei adducit confitenti. Exiſtimo hũc eſſe literæ ſenſum genuinum.

¶ Notabis primò illud, conſerua tempus. id eſt,vtere opportunitate,& occaſione. Ideo enim literæ ſacræ dicunt, Omnia tempus habent. *Eccles 3.* Et humaniores Occaſionẽ pingunt, cæſarie capillata, occipite nudo. Vt niſi cæſariem à facie arripueris, ab occipite arripere nequeas. ¶ Altior fortaſſe ſenſus eſt: Vt noueris vitæ præſentis tempore vti. Ne,dum eius damna vitare ſtudes, in æternæ vitæ damna cadas. ¶ Tertius & altior ſenſus eſt: Impijs vita fugit, tempus vadit, *Sap. 5.* velut vapor, vmbra, fumus, nubes,&c. At *Iacob. 4.* pij iubentur tenere,& ſeruare tempus:quod prǽſtant,cùm in tempore,ǽternitatis opera faciunt. Et licet temporalia ſint,quæ nunc gerunt: tenent ea,in æternum ſecum in cælo duratura.Merita enim noſtra,& coronæ æternùm nobiſcũ durabunt. Dicente Chriſto: Theſaurizate vobis theſauros in cælo,&c. *Matth. 6.* ¶ Notabis ſecundò illud,Pro anima tua.Cuius prior ſenſus eſt: Ne tanti ǽſtimes animam tuam, vt ne illam contriſtes, Deum (ſi ita phas eſt loqui) contriſtes. Nam Paulus rectè ait, Non facio animam meam *Actor. 10.* pretioſiorem quàm me. Et pulchrè Dauid: Anima mea in manibus meis ſemper: ſed *Pſal. 118.* legem tuam non ſum oblitus. id eſt, licet ſemper in animæ periculo verſer, malo pe-

ricula tamen, quàm legem tuam obliuiſci. Poſterior ſenſus eſt: Ne tam vili animam tuam æſtimes, vt potiùs illius damnum, quàm aliarum rerum iacturam admittas.
Matth.16. Tritum enim illud eſt: Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, &c. ¶ Notabis demum, verum eſſe illud Pau-
Rom.10. li, Oris confeſſio fit ad ſalutem. Si enim ex verecundia ſileat os, illa confuſio adducit peccatum, & proinde mortem. Vt contrà, confeſſio adducit, & gratiam, & gloriam. Eſt igitur error hæreticorum docentium, in tormentis ſatis eſſe, corde credere Chriſtum, licet ore negetur.

Neque accipias faciem contra faciem tuam: nec aduerſus animam tuam mendacium. id eſt, Neminem pluſquam te æſtimes, vt illius cauſa pecces. Nemo te ſit tibi pretioſior. Ideo ſubiungit, nec aduerſus animam tuam mendacium. id eſt, ſi mendaciũ eſt mortale peccatum, ſ. contra animam tuam, nullius hominis gratiâ mẽtiare, id eſt, propter nullius amorem, aut timorem. Si tam pretioſa eſt anima tua, vt propter eam, Deus funderet ſuam: cur tu non in eodem pretio eam æſtimes? Eundem ſenſum habent ſequentia. *Ne reuerearis proximum tuum, in caſu ſuo.* id eſt, nihil timeas proximũ minantem tibi caſus, & ruinas. Vt propter eius minas *Retineas verbum, in tempore ſalutis.* Sanè
2.Cor.6. tempus hoc, pijs eſt tempus acceptabile, & dies ſalutis. In hoc igitur ſi Tyrannus minatur mortem loquenti, ne pius verbum retine-

retineat. Dicente Domino: Nolite timere eos qui occidunt corpus: & Eleazaro Machabæo ita fortiter contemnēte tyrannos. Matth.10. 2.Mach.6.

¶ Aliū ſenſum habere dicta verba poſſunt. ſ. Si videris proximum cecidiſſe, nihil verreare. Accede, ne retineas eo tempore verbum. (vt amici Iob fecerūt) Erit enim verbum, eo tempore conſolatorium. Iob 2.

Non abſcondas Sapientiam in decore ſuo: In lingua enim Sapientia dignoſcitur: & ſenſus, & ſcientia, & doctrina in verbo ſenſati: & firmamentum in operibus iuſtitiæ Hoc vltimum verbum mouet me, vt credam Authorem perſiſtere in eo quod cœpit, ſ. admonere, quid coram perſecutoribus agere debeamus. Ait igitur: Cùm tyrannus perſequitur, & tunc decorum erit Sapientiam prædicare, ne tu eam abſconde. In lingua enim tua, pulcherrima illa videbitur. Vt in multis martyribus, ſpeciatim in Iuſtino viſa eſt. Si Petrus, ſi Ioannes, ſi Paulus coram Iudæis perſequentibus tacuiſſent, multum decoris Euangelio, & ſanctæ doctrinæ deperiſſet. At cùm loquebantur, in eorum lingua Euangelica Sapientia fulſit. Sicut fulget ſenſus, ſcientia, & doctrina in lingua viri prudentis. Senſus ſolet accipi pro notitia rerum exteriorum, quas ſenſibus corporalibus percipimus. Inde ſolet transferri ad interiora: vt ſenſus dicatur viuida perceptio, & velut tactus quidam, & experiētia rerum ſpiritualium. Scientia, vt ſuprà ſępe dixi, ſumitur pro notitia rerum naturalium. Doctrina eſt eru- Iuſtinus. Actor.7. Senſus. Scientia. Doctrina.

ditio in docente. Ergo nec ſenſus, nec ſcientia, nec doctrina agnoſcuntur, niſi ex verbis. Sunt enim verba vehiculum mentis. Eſt oratio interpres animi. Eſt lux, quâ interiora videntur, &c. Iam, vt per verbum agnoſcitur magiſtri doctrina: ita firmamētum, ſeu firmitas, & conſtantia animi agnoſcitur in operibus iuſtitiæ. Si enim tempore perſecutionis operaris iuſtitiam, minimè ab ea deflectens, firmum te eſſe demonſtras. Vis hæc omnia velut in ſpeculo videre? Chriſti vitam coram oculis ſtatue, videbis
Pſal. 39. eum dicentem: Non abſcondi iuſtitiam tuam, & veritatem tuam, à concilio multo. Quàm verò magni conſtitit hanc Sapienti-
Eodem. am non abſcondiſſe, audi ſequentia: Tu autem Domine ne longè facias miſerationes tuas à me. Quoniam circundederūt me mala, quorum non eſt numerus, &c. Ergo in lingua Chriſti dignoſcitur Sapientia, ſenſus, ſcientia, & doctrina, & in eius operibus firmitas animi.

22 *Non contradicas verbo veritatis vllo modo: & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Veritati agnitæ (in re graui) cōtradicere, quoddam genus eſſe peccati in Spiritū ſanctum,
D. Auguſtinus D. Auguſt. & eius ſectatores aſſeruerunt. Cauendum igitur à tam nephario peccato. Licet leue ſit, in re leuicula veritati contradicere. Quòd ſi contingat, per ineruditionem mentiri, pudeat eius te. Eſt enim tam diui-
Iohan. 14. na res veritas, vt ſit ipſe Deus. Eſt tam fœda
Iohan. 8. res mendacium, vt ſit pater mendacij diabolus,

bolus. Eſt ergo turpiſſimum, & pudendiſſimum è caſtris veritatis in caſtra mendacij defeciſſe: maximè viro Chriſtiano, cuius tota ſalus in veritate ſita eſt. *Non confundaris confiteri peccata tua: & ne ſubijcias te omni homini pro peccato.* Id eſt, Si peccaſti, tuum peccatum ingenuè fatere. Si non peccaſti, & omnes homines te ad aliquod peccatum alliciunt, tu nulli eorum te ſubieceris, vt pecces. Priorem partem intellige, cùm Superior confeſſionem exigit peccati. Vel cùm Diuina miſericordia ita impetranda eſt. Quod ferè in prius membrum recidit. Hoc præceptum recuſabat Adam, cùm abſcondebat ſe, & culpā in Heuam reijciebat. Recuſabat & Acham, cùm furtum ex anathemate diſſimulabat. Recuſabat & Ionathas, poſtquam mellis fauum guſtauit. Saul item recuſauit, cùm poſt triumphum ex Amalech, ſacerdotale officium ſibi vſurpauit. Tu verò ſi miſericordiam Domini tibi vis propitiam, cum Dauide dicito: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Sed interim intellige, præceptum eſſe obligans ad mortale, peccatū quod feciſti fateri, quando Deus, vel alius ſuperior id iure præcipit. Et tunc erit cōſilium, peccatum fateri, cùm nihil aliud inde timebitur, quàm pudor, & verecundia facti. Hanc verecundiam Author aufert dicens, Ne confundaris. Homo enim es, & humani à te nihil alienum puta. Sed ſi ex tua confeſſione aliud malum tibi, aut tuis venit: reuelandum, aut confi-

Geneſ. 3. *Ioſue 7.* *1. Reg. 14.* *1. Reg. 15.* *Pſal. 50.*

Non eſt ſermo de confeſſione ſacramentali.

tendum peccatum non eſt. Nec enim licet Epiſcopo ſua crimina ſecreta denudare. Vergit id enim in ſuæ plebis diſpendium. Vide quid Summiſtæ de infamia ſui diſputent. ¶ Illud verò, Ne ſubijcias te omni homini pro peccato. ſimile illi eſt, Fili, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas. Nam beatus eſt, qui in conſilio peccatorum non ſtetit. Et conſultiſſimè dixit, omni homini. Licet enim multis hominibus ſubiecti ſimus: nulli tamen ad peccandum ſubijcimur. Omnis poteſtas ius ad iubendum habet: ſed ad ædificandum, non ad deſtruendum. Ergo ſi Rex, aut Papa (ſi ita loqui licet) peccare præcipiant, audiendi non ſunt: ſed cum Apoſtolis dicamus, Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate.

Prouer.1. *Pſal.1.* *Rom.13.* *Actor.4.*

23 *Noli reſiſtere contra faciem potentis: nec coneris contra ictum fluuij.* Voluntati Regis, & populi non eſt reſiſtendum. Fruſtra enim niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ eſt, ait Hieronymus ex Saluſtio. Exiſtimo ictum fluuij eſſe ardens populi votum: contra quod non eſſe conandum docuit Samuel, cùm populo, Regem petenti iniuſtiſſimè, conſultè ceſſit. Sed quia aliquando Regi & populo obſiſtendum eſt, id quando eſſe debeat, inferiùs noſter Author docet. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua: & vſque ad mortem certa pro iuſtitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Id eſt, Si ſilentium tuum in iuſti-

Hieronymus. *1.Reg.8.*

tiæ

tiæ periculum aut damnum cedit, tunc in agoniam mortis te conijce. Certa contra totum orbem pro pietate. Non ſolus certabis: non ſolus agonem ſuſtinebis. Deus ſtat pro te. O quàm grande admiſit flagitium Aaron, vitulum, ad populi votũ, conflans! ô quàm inexpiabile crimen fuit Pilati, ad populi voces, Chriſtum cruci affigens. Si vterque populũ cohibuiſſet, Dei fauorem planè ſenſiſſet. Ergo cùm peccatum non eſt, quod Princeps, aut populus petit, cedẽdum eſt eis. Sed ſi peccatum eſt, agonizandum eſt contra eos. Intellige, ſi reſiſtere tibi ex officio incumbit. Alioqui non adeò obligaris Principi reſiſtere, maximè ſi ſpes non eſt, ex reſiſtentia, remedium affuturum. *Exod.32.* *Iohan.19.*

24 *Noli citatus eſſe in lingua tua: & inutilis, & remiſſus in operibus tuis.* id eſt, Noli promittere facilè, & præſtare difficilè. Vbi maturè deliberaſti, quid promittas, fideliter præſta promiſſa. Nam Petrus adeò ad promittendum facilis, fuit ad non præſtandum facilior. Et olim Iudæi tam faciles ad promittendam Deo obedientiam, difficilimè, aut nunquam eam præſtiterunt. *Iohan.13.* *Exod.24.*

25 *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.* id eſt, moderare linguam, etiã erga domeſticos, nullum eorum afficiens contumelia: quantò minùs, furibundis plagis. Ergo, homo es, id eſt, conſilij, & rationis miniſterio vtens. Si verbis, aut verberibus illi eguerint, verbis, & verberibus, velut homo, non velut fera

Eccli 33. Epheſ.6. Coloſ.3. vtere. Fuſam de ſeruo tractando doctrinam habet Author infrà cap.33. Et Paulus Epheſ. 6. Coloſſ.3. 1.Timo.6. ad Titum 2. & Petrus 1.Can.c.2. Mihi verò id experiẽtia compertum eſt, verba, & plagas ſine rationis iudicio, rarò ad meliorem frugem, vt plurimum ad peiorem mentem ſeruos prouocare. Pulchrè verò litera Græca dicit: Noli eſſe ſicut Leo in domo tua, inſani modo percutiens domeſticos. Quo verbo explicantur illa duo, Euertens, & Opprimens. Verba ſequentia ad capit. ſequens ſpectant.

1 *NON ſit porrecta manus tua ad accipiendũ, & ad dandum collecta.* Deum imitari decet. At Pſal.144. ille aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Dat omnibus affluenter, Iacob.1. & nõ improperat. Et equidem iucundum eſt contemplari, quàm ille continenter, tam multis, tam multa largiatur. Quòd ſi Chriſtianis proponitur Chriſtus ſectandus, Deus bone, quàm ſibi nihil reſeruauit, quàm ſe & ſua omnia dedit! Cuius verbum Actor.20. eſt, Beatius eſt dare, quàm accipere. Rectè 2.Cor.12. Paulus: Filij non theſaurizant parentibus, ſed parentes filijs. Eſt verò Chriſtus pater noſter. Eſt itẽ nobis præcepta maximè cha-1.Cor.13. ritas, quæ non quærit, quæ ſua ſunt: quæ amicis communia omnia facit. Demum, qui ad accipiendum eſt promptus, ad dandum collectus, is auarus eſt. Contra quem omnes literæ & ſacrę & prophanæ grauiſſimè clamant.

CAPVT

CAPVT V.

PRIMA PARS.

Inſtituit nos erga diuitias.

NOLI *attendere ad poſſeßiones iniquas.* id eſt, Noli eas concupiſcere. Et ſi eas habes,neque intuitu eas dignare.indignæ ſunt quæ videantur. Iubet Dominus ne aſpiciamus vinum, in ſplẽdore ſuo: nec meretricẽ blandientẽ, in pulchritudine ſua. Hæc enim conſpecta pelliciunt, & velut magnes,etiam ferreum attrahunt pectus. Idem neſcio an potentiùs efficit auri fuluus ille color. Igitur ne ad ipſum attendas. Baſiliſcus eſt ille, quem attendis, aureus ſplendor. Niſi quòd ille occidit corpus: hic animam. Ergo ſicut qui in veſte ſua viperam inuenit,non moratur,eam aſpiciendo: ſed quàm citiſſimè poteſt,eam excutit, & fugit: ita qui in arca habet aurum iniuſtum, quantocyùs poteſt, aurum exterminet,& fugiat. *Et ne dixeris; Eſt mihi ſufficiens vita. nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis.* Referri hoc poteſt ad præcedentia, hoc modo; Si tibi ſunt poſſeſſiones, iniuſta ratione quæſitæ, ne dicas, Eſt mihi in poſſeſſionibus his ſufficiens vita. Bene illæ ſufficient ad vitam: num perinde ſufficient ad mortem? Vbi vindicta ſumetur de iniuſtitia tua. Vbi omnia tibi erunt obducta, & concluſa: ne alienum domino ſuo reddere poſſis.

Prouer.23.

poſſis. Quid ſit tempus obductionis, dictum
Eccli 2. mihi eſt ſuprà cap. 2. annot. 1. Quàm verò nihil tunc diuitiæ iniquæ proderunt, non eſt opus explicare. Siquidem non modò non proderunt: ſed vehementiſſimè nocebunt.
¶ Secundò referri poſſunt verba hęc, ad eos etiam, qui poſſeſſiones iuſtè acquiſitas habent.
Luc. 12. His enim dicitur: Ne dicatis, Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos. Requieſce, comede, bibe, epulare. Nam dicet vobis Deus: Stulti, hac nocte repetent à vobis animas. Quæ congregaſtis, cuius erunt? Ergo ſi diuitiæ affluant, nolite cor
Pſal. 61. apponere. Si quęris cauſam, elegantem reddit Author: Quia diuitiæ nihil prodeſſe poſſunt in tempore mortis. Cur ergo ames, quod in momentum iuuare, in ęternitatem nihil prodeſſe poterit? Conijce igitur oculos in æternitatem, & inuenies, opes non tibi ſufficere. Multò elegantiorem dedit Do-
Luc. 12. minus rationem. Cur ſ.credas tibi ſufficere ad vitam, quod Deum prouocat, vt tibi auferat vitam? Quia enim in poſſeſſionibus credis te ſufficientem vitam habere, prouoças Deum, vt auferat tibi vitam: vt intelligas eam non à poſſeſſionibus, ſed à Domino dependére.

3 *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui. Et ne dixeris, Quomodo potui? Quis me ſubijciet propter facta mea? Deus enim vindicans, vindicabit* Id eſt, etiam ſi ſit tibi facultas ad malè faciendum, ne malè facias tamen. Illud, Quomodo hoc potui? videtur eſſe reſpon-

ſponſio ad obiectionem. Eſt bonus conſiliarius Regi dicens, ne facinus perpetret, nec enim ius aut æquum facere ſinunt, ſine Dei ira, & vindicta. Reſpondet Rex, Quomodo potui facinus aliud huic ſimile, ſine Diuina vindicta? vt tunc potui, etiam modò. Quis enim me poterit propter iſta punire? Deum immortalem, & quò ſolet hominum impietas peruenire? ſ. vt dicat, Quis me ſubijciet? Sennacherib dicebat, Quis eſt Deus Ieruſalem, qui poſſit eam eruere de vnguibus meis? Nabuchodonoſor nō credebat eſſe Deum, qui eius regnum ab eo poſſet eripere, & cui vellet, concedere. Rex Tyri dicebat, Deus ego ſum. Adeò fatale eſt hominibus bellum Diuinitati mouere, ex quo diabolus dixit, Eritis ſicut dij. Ergo nunc reges intelligite. Seruite Domino in timore. Ne quando iraſcatur Dominus: & pereatis de via iuſta. Cùm exarſerit in breui ira eius, beati, (non qui dicunt, Quis me ſubijciet? ſed) qui confidunt in eo. Potiſſimè verò in hoc peccatum vindicta Dei exardeſcet: vt quod propriè in eius Diuinitatem admiſſum eſt. Verba quæ in textu ſequuntur, ſunt velut dictorum explicatio. *Ne dixeris, Peccaui: & quid mihi accidit triſte? Altiſsimus enim eſt patiens redditor.* Id eſt, Etiam ſi poſt peccatum, eius non ſenſeris pœnam, cauendum ab eo tamen eſt: quia Deus licet ſit tardus ad irā, atqui tandem pœnam culpę maritat. Equidem nullo magis exemplo Dei maximus oſtenditur animus, quàm quòd tam innumeris

4. Reg. 18.
Dan. 4.
Ezech. 28.
Geneſ. 3.
Pſal. 2.
Ibid.

meris

meris orbis criminibus prouocatus, non excandeſcat ſtatim ad iram. Siquidem miſerationes eius ſuper omnia opera eius. At verò vt eſt miſericors: ita eſt etiam iuſtus. Iuſtitia igitur neceſſariò eum adiget, vt non patiatur culpã ſine ſocia viuere pœna. Imò vt dixit ille, pœnæ magnitudine eius tarditatem compenſat.

Pſal.144. *Valerius.*

4 *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu: neque adÿcias peccatũ ſuper peccatum.* Iudæi qui peccabant, habebant oblationes, & ſacrificia, per quæ credebant ea ſibi peccata dimitti. Habemus hæc Leuitici 4.5.6. Ait nunc Author, Etiam ſi peccatum tuum ſit per ſacrificium dimiſſum, ne adijcias peccatum peccato tamen. Quod nũc etiam dicitur Chriſtianis. Credimus planè per Sacramentum confeſſionis nobis noſtra crimina relaxari. At nec propterea ſunt addenda peccata peccatis. Licet enim ex Sacramẽtorum noſtrorum virtute, & ex fide, quæ in veteribus Sacramentis operabatur, ſoleant peccata remitti: ſolent tamen non remitti, ſi nos ad ea accedamus, non vt decet diſpoſiti. Et vt accedamus, quàm maximè diſpoſiti, quid num non eſt ſcelus abuti ad peccandum, eo remedio, quod ad non peccandum eſt nobis indultum? non dedit nobis Deus Sacramenta, vt peccaremus: ſed ne in peccato viueremus. ¶Innuit tamen textus aliud, videlicet, Bene peccatum remitti poteſt quantum ad culpam, nondum eius pœna dimiſſa. Ergo licet tibi peccatum, propter

Leuit.4.5.6.

Sacra-

Sacramẽtum ſit propitiatum, & dimiſſum, noli eſſe ſine pœnę metu. quòd ſi addis peccatum, expectato maiorem pro ingratitudine pœnam. Vt exemplum habemus ſeruum, cui pœna, etiam dimiſſa, propter ingratitudinem redijt. *Matth.18.*

Ne dicas, Miſeratio Domini magna eſt: multitudinis peccatorũm meorum miſerebitur. Miſericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Miſeratio Domini magna eſt, non vt adijcias peccata: ſed vt remittenda credas, ſi ampliùs ea non cõmittere decernas. Immane flagitium eſt, miſericordiam Dei lænam facere diaboli: & quòd per miſericordiam, per quam Deo coniungi debueras, diabolo coniungare. Ergo miſericordiam, quam Deus in aſylum peccatoribus propoſuerat, (in templum ſ. Dei, vbi eſſet Deus propitiandus) tu feciſti velut lupanar diaboli, vbi diabolo feſta celebrentur. Ergo ne in miſericordia ad peccandum confidas. nam miſericordia, & ira ab illo citò proximant. Id eſt, Vt videmus per miſericordiam Dei Magdalenam, Latronem, Paulum, citò cõuerſos: vt in quos miſericordia Dei citò proximauerat: Ita videmus Luciferum è cælo, Adam è paradiſo, Cain è bonorum conſortio citò deiectos: vt in quos ira Dei citò deſæuijt. Quid memorem Cham, Eſau, Saul, Baltaſarem, & plurimos alios, qui exemplum iræ Diuinæ nobis eſſe debebunt? ¶Illud, citò proximant, intellige varijs modis. Primùm, Cùm 5 *Luc.7.* *Luc.23.* *Actor.9.* *Dan.5.*

pec-

peccatoribus ira venit, quanuis tardiſſimè veniat, citò veniſſe videtur. Adeò enim demerſi ſunt in delicijs ſuis, vt breue videatur, quod longum eſt. Ita enim cùm nimis delectamur, aliquid vidēdo, audiendo, guſtando, breuis omnis mora videtur. Secundò: Breuis eſt vita noſtra. In tam breui ſpatio, nihil eſt tardum. Ideo miſeri dicunt, Nos nati, ſtatim deſiuimus eſſe. Lege quæ viri pij, & quæ iniqui dicant de vitæ noſtræ breuitate, Sapient. 5. Tertiò: Omne peccatum ex natura ſua citam pœnam requirit. Si citò non illa venit, id eſt miſericordia Dei. Sed aliquando permittit Deus pœnam iure ſequire: tunc cita venit. ¶ Verba illa, In peccatores reſpicit ira eius, ſignificantiora ſunt Græcis. Ita enim habent, In peccatoribus requieſcit ira eius. Planè ira Dei in iuſtos aliquando venit, ſ. cùm quid culpæ committunt, & dolent: ſed non in eis Dei ira quieſcit. Sed in peccatoribus ira Dei figit ſedem. Porrò litera noſtra hoc innuit: Vt Leo fameſcens, in obiectum ſibi cadauer reſpicit, in illud cupiens inſilire: ita ira Dei in ſcelera noſtra coniectos oculos habet, geſtiens in illa deſilire: & deſiliens, cùm per miſericordiam Dei, non ſibi facultas denegatur.

Sap. 2.

Sap. 5.

9 *Non tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ diſperdet te.* Hoc quidē conſilium eſt. Sed nullum eo ſalubrius. Planè humanum eſt, labi: at diabolicum eſt perſeue-

ſeuerare. Et ſtultiſſimum eſt, cum periculo gehēnæ velle perſeuerare. ¶Nota verbum, ſubitò veniet ira illius. quaſi dicat, Si in peccato volueris durare, ea voluntas prouocat, & irritat Deum, vt maturiùs, quàm peccatum primum merebatur, ira Dei contra te veniat. Decernebas in tuo peccato manere: decernit Deus à guſtu, & delicijs peccati te ſubmouere. Ergo vt viri ſanguinum, & doloſi, non dimidiant dies ſuos: ita qui in peccatis perſiſtere volunt, citam Dei ſentient iram. ¶ Nota ſecundò, in tempore vindictę, id eſt, in tempore mortis. O vicem miſeri conuerſam, & euerſam! Putabas te in tempore mortis pœnitentiam habiturum, lachrymis veniam impetraturum. At non id inuenies. Non enim tempore mortis, & vindictæ ſaluabit Deus te: ſed diſperdet Deus te. Voluntas ſiquidem perſeuerandi non promeruit, vt tempore mortis ſentires Deum miſerentem: ſed potiùs diſperdentem. Colligamus hinc duo. prius eſt: Voluntas in peccato manendi, iræ Dei calcaria addit, vt citiùs veniat in peccatorem. Alterum eſt: Meretur illa, vt in tempore mortis, non miſericordia Dei ſentiatur, ſed vaſtatio & deſtructio. *Pſal.54.*

Noli anxius eſſe in diuitijs iniuſtis. non enim 7
proderunt tibi in die obductionis, & vindictæ id eſt, noli anxiè quærere diuitias iniuſtâ ratione. Dixit iniuſtas, quia Iudæi, pro præmio iuſtitiæ ſuæ diuitias à Domino conſequebantur. Labores ſ. manuum ſuarum man- *Iſaiæ 1.* *Pſal.127.*

ducabant,& bona terræ comedebant. Non igitur prohibebantur diuitias iuſtas quærere: ſed iniuſtas. Nam iniuſtæ,inquit,nihil proderunt. Etiam ſi ex eis eleemoſynas
Eccli 10. contuleris. & Deo gratia.quòd cùm pecunijs,& diuitijs obediant omnia,dum viuimus, at ſi iniuſtæ ſunt, nihil illæ temporo mortis proſunt. Dictum eſt de hac re initio cap.huius.

¶ Moderatur linguam.

8 *Non ventiles te in omnem ventum: & non eas in omnem viam: ſic enim peccator probatur in duplici lingua.* id eſt,Si in via Dei ſtas,ne tentationum venti te ab ea dimoueant. Quod
Ephef.4. Paulus dixit,Ne circunferamur omni vento doctrinæ. Ne cymbam animæ tuæ venti,quò volunt,rapiant.
Matth.3. Ne fueris palea, aut
Pſal.1. puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.
Iob 13. Ne fueris folium, quod à vento, ex arbore rapitur. ¶ Quod autem addit, non eas in omnem viam, eundem ſenſum habet. Si in via Dei progrederis, ne aliam viam ingre-
Eccli 3. diare. Id dictum ſuprà eſt, Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus. & item,
Eccli 2. Væ peccatori terram ingredienti duabus
Ephef.4. vijs. Vnus eſt Deus, vna fides, vnum baptiſma. Igitur vna (ſ. iuſtitia) in cælum abeundi via. ¶ Illud verò, peccator probatur in duplici lingua, planum fit,ex illo quod
Eccli 2. ſuprà dictum eſt, Væ duplici corde. Nam duplex cor, duplicē etiam affert linguam. Ratio, & oratio ſunt ſibi iunctæ. Eſtq; lingua vehiculum cordis.Ergo ex duplici cor-

de duplex in homine lingua, duplex etiam via. Dixi hæc fuſiùs ſuprà c.3. annot.19. Verba quæ Author ſubdit, gloſa ſunt præcedentium. Eccli 3.

9 *Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui, & ſcientia: & proſequatur te verbum pacis & iuſtitiæ.* Dixerat, Non te ventiles in omnem ventum. Gloſa, ſed eſto firmus in via Domini. Optimũ eſt enim gratiâ ſtabilire cor. Si quæris, quomodo eris firmus in via Domini? Reſponſio eſt: Eſto firmus in veritate ſenſus tui, & ſcientia. Dictum eſt, Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt. Dictum etiam eſt, Animam pij Deus implet ſplendoribus. & item, Præceptum Domini lucidũ, illuminans oculos. & item, Lex eſt lux. Hanc lucem, ſeu veritatẽ in anima lucentem, pius animus acutè, percipit. & hæc eſt veritas ſenſus animæ ſanctæ, quã ſ. radio diuinæ lucis illuſtrante percepit. Iam verò ſuprà dictum eſt, Huic Authori ſcientiam dici quandam notitiam deuotam rerum naturæ, quam Deus pijs animis infundit. Ergo ſi in hac ſcientia, & veritate Diuinæ legis perſtiteris, in via Domini firmus eris. Demum ſi quæris, quomodo cauebis duplicem linguã? reſpondet: Si proſequatur te verbum pacis, & iuſtitiæ. Videor mihi audire & pſalmum, & Petrum dicentem: Prohibe linguam tuam à malo: labia tua ne loquantur dolum: inquire pacem, & perſequere eam. Planè, ſi aſſueſcat lingua tua, ne iniuſtè loquatur de proxi-

Heb.13. Iſaie 9. Iſaie 58. Pſal.18. Pſal.33. 1.Pet.3.

mo,& pacē cum omnibus quærat, hæc non duplex erit, ſed ſimplex. ô pulcherrimam linguam pacis! id eſt, quæ irritata, pacem curat, non odium. Sed vbi hāc inueniemus?
Prouer. vlt. procùl, & de vltimis finibus pretium eius.
¶ Conſultiſſimè porrò paci iuſtitiam adiunxit. quia mala pax eſt, quæ iuſta non eſt. Et Superior pacis verbum debet fugere, ſi ei eſt iniuſtitia coniuncta. Hāc enim cauſa
1.Reg 2. Heli cum filijs pacem ſeruans, cum filijs fuit tam acerbè punitus.
10 *Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas. Et cum Sapientia profer reſponſum verum: ſi eſt tibi intellectus, reſponde proximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum: ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris.* id eſt, Non feſtinanter, ſed quietè audi verbum Dei: vt illud penetres & intelligas. Vbi penetraueris, licebit iam tibi per eam ſapientiam, interroganti, verum præbere reſponſum. Si nondum penetraſti, digito compeſce labellum. Ne ſi ineptè reſponderis, te pudeat inepti reſponſi. O ſi verbū hoc in aulis omnium Principum intonaret. Viri principes, viri gubernatores plebium, qui reſponſa in negocijs publicis datis, antequā detis, verbum Dei quietiſſimè audite, profundiùs intelligite. Vbi id feceritis, reſponſa, imò oracula proferte. Nihil enim ferè eſt, quod per legem Dei decerni non poſſit. Curta eſſet legis Diuinæ ſupellex, ſi omnibus cauſis decernendis non ſufficeret. Si nondum eſt vo-
bis

bis legis Dei intellectus, manum ori admo-
uete. Ne præter diuinam voluntatem ine-
ptè reſpondentes, neceſſe ſit vos veſtri pu-
dere. Nunquam illud è memoria veſtra, vt
præclariſſimè dictum, debuiſſet excidere.
Quærant alij à pythonibus : at populus à *Iſaiæ 8.*
Deo ſuo requirat viſionem, pro viuis, ac
mortuis. Imò ad legem magis & ad teſti-
monium. Vbi nota, Pro omni cauſa viuo-
rum & mortuorum Dei viſionem conſu-
lendam: imò magis conſulendam legem &
teſtimonium. quaſi dicat, Pro omnibus illa
ſufficit. Nemo hîc putet me damnare aut
canones, aut leges. Illi enim ex lege Diuina:
hæ ex naturæ lumine ferè ortum habent.
¶ Porrò illud verbum, *Ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris.* grauitatē, & pon-
dus ſuum habebit, ſi referatur ad tempus
mortis eorum, qui iniqua reſponſa dede-
runt. Tunc enim pluet Deus ſuper peccato- *Pſal. 9.*
res laqueos, & funibus peccatorū ſuorum *Prouer. 5.*
comprehendetur peccator. *Honor & gloria in ſermone ſenſati : lingua verò imprudentis, ſubuerſio eſt ipſius.* Verba hæc ſunt prædictorum
appendix. & ſignificant, Sicut eſt honor &
gloria prudenti viro, qui reſponſa digna
dat interroganti : ita ſubuerſio erit, ſi im-
prudenter reſponderit. Si enim cæcus cæ- *Matth. 15.*
cum ducat, ambo in foueam cadunt. Miſer
Amalechites, cui reſponſum ſuum impru- *2. Reg. 1.*
dens attulit mortem præſentem. Roboam *3. Reg. 12.*
ſubuertitur ob reſponſum, populo impru-
dentiùs datum. Contrà, quantum honoris,

& gloriæ ſibi Chuſai conciliauit ob pru-
2,Reg.17. dentiſſimum reſponſum, quod dedit Abſaloni, pro patre Dauide? ¶ Poteſt prius mẽbrum aliũ ſenſum habere, ſ. Si tibi vis comparare honorem & gloriam in cauſa tua, committe eam viro ſenſato. Per eius ſermonem phas erit tibi eam comparare.

11 *Non appelleris ſuſurro in vita tua: & linguâ tuâ ne capiaris, & confundaris.* id eſt, Per totam vitam tuam, id tibi eſt magnopere cauendum, ne cui occaſionem præbeas, te vocandi ſuſurronem, aut detractorem. Fama aliena ſit tibi ſacroſancta. Multò grauius eſt læ-
Prouer.22. dere famam, quàm opes. Eſt enim melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Si ergo lædere famam non mẽtiendo, adeò graue eſt: quid erit, eam lædere mentiendo? Id dicit: Caue ne appelleris ſuſurro, & mendacij conuincaris, capiaris, & pudore afficiaris. & licet veritatem te dixiſſe comprobes, nónne erubeſces, quòd boni ac etiam mali te timeant, & fugiant, vt qui rem tantam, vt eſt fama, audeas continenter denigrare? Verba ſequentia ſunt præcedentium corollarium. *Super furem eſt confuſio, & pœnitentia, & deuotatio peſſima ſuper bilinguem: ſuſurratori autem odium, inimicitia, & contumelia.* id eſt, Fur in furto deprehenſus ea ratione patitur, quòd incidit in verecundiam, & ſimul in pœnam. Nam olim in lege, furi imponebatur, vt ſolueret quadruplũ: vt Exo-
2,Reg,12. di 22, habetur: & Nathan audit à Dauide. 2,Reg. Aliquando ſoluebat ſeptuplum: vt

in Prouerbijs dicitur. quo ſoluto, fur liber *Prouer. 6.*
abibat. At bilinguis inuretur peſſima infamia. Peſſimè ille apud omnes audiet: peſſima nota notabitur. Hæc eſt denotatio peſſima. Suſurratorem verò, vltra hanc infamiam, proſequimur odio interiore, inimicitijs apertis: imò & contumelijs, quę in eius faciem iacimus. Si enim video meã famam ab eo denigrari, prouocor, vt contumelijs illum afficiam. Nota, Bilinguis eſt, qui ali- *Bilinguis.*
ud dicit cùm eſt coram te, aliud, quando eſt
ſine te. Suſurrator, qui famas aliorum de- *Suſurrator.*
nigrat. Prioris eſt peſſima nota, quòd mendax habeatur: quòd nullatenus ſit ei fidendum: quòd nullus eius amicus eſſe debeat: quòd omnes eum diris proſcindant, ac ei malè precentur. Id ſignificat, ſi pro denotatio, legas, deuotatio. Vota enim plebis ſunt in malum hominis bilinguis. ô miſerum bilinguem, cui omnes malè precantur. Poſterioris verò, veluti publici hoſtis pœna eſt, vt omnes eum odio & contumelijs proſequantur.

Iuſtifica puſillum & magnum ſimiliter. Ver- 12
bum hoc capax eſt multorũ ſenſuum. Primus eſt: In iudicio ſeruato ius, & magno, ſimiliter & paruo. Si te magni authoritas mouet, vt ius eius attentè perpendas: idem fac ſimiliter paruo. Secundus eſt: Bene loquere de paruo & magno. Nullum lingua tua iniuſtum eſſe dicat. Tertius eſt ad literam Græcam: Iuſtifica opera tua, ſiue parua, ſiue magna. Nihil nec ma-

gnum, nec paruũ imperitè aut iniuſtè peregeris.

CAPVT VI.
PRIMA PARS.
De colenda amicitia.

1 NOLI *fieri pro amico, inimicus proximo. Improperium enim & contumeliam malus hæreditabit: & omnis peccator inuidus & bilinguis.* Id eſt, conſtanter amicitias ſeruato: tuoq; amico, ne inimicus efficiare. Qui enim (ſupple, iniuſtè) amicitiã deſerit, malus eſt. Malus verò hæreditabit contumeliam. Eſt enim non exigua contumelia, quòd fido amico infidus inimicus eſſe volueris. Sed quia, vt plurimum, diſſoluuntur amicitiæ ob linguam tertiam inuidi, aut bilinguis, ideo ſubdit, Idem improperiũ, & contumeliam, quam amicitiæ deſertor hæreditabit, hæreditabit etiam inuidus ille atque bilinguis. ¶Nota primùm, inter bona hominum exteriora bonum amicũ, principem locum tenere. Eſt enim donum Dei, *Eccli 25.* vt infrà docebitur. Ergo qui amico bono fit inimicus, duplicem notam contrahit. Nam quia bono inimicus fit, malus etiam fit: non enim bonum bono inimicum eſt, & quia amico inimicus fit, dignus improperio fit. Quis enim nõ mihi improperet, quòd amico immerenti inimicus ego ſim? ¶Nota ſecundò,

cundò, ſi eſſe inimicum cuius proximo eſt dignum inferno, eſſe inimicũ amico, num non erit grandi inferni pœna digniſſimum? Cùm autem in inferno, omne genus tormẽtorum inueniatur, inuenitur etiã ignominioſiſſimum improperium, quo dæmones hominibus grauiſſimè improperãt. Hoc tormentum hæreditabit, qui inimicus fit amico. ¶ Notabis tertiò: Bilinguis, & inuidus (vt cauſę odij ac inimicitię) eadem pœna punientur in inferno, quâ punitur, qui amico fit inimicus. Pœna ſ. improperij, & contumeliæ, nũc dictæ. Quantò enim mortalibus bonum amicitiæ ſublimius eſt, tantò grauius crimen, & grauiori pœna dignũ eſt, illi bono nocere. ¶ Nota quartò: Si tantum flagitium eſt, amico inimicum fieri ſine cauſa: quantò grauius erit Deo, & Chriſto eius, tantopere nobis amico, tam ſine cauſa fieri inimicum? rectè illud: Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ cæli deſolamini vehemẽter. Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquarum. &c. & item, Quid inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis, quòd lõgè receſſerint à me? Sed num impunè? minimè. Nam hæreditabunt illud improperium. ſ. Ite maledicti in ignem æternum. Qua contumelia, quid grauius excogitari poterit? Ierem. 2. Eodem. Matth. 25.

2 *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus. Ne fortè elidatur virtus tua, per ſtultitiam: & folia tua comedat: & fructus tuos perdat: & relinquaris velut lignum aridum in eremo. Anima*

enim nequam diſperdet qui ſe habet, & in gaudium inimicis dat illum: & deducet in ſortē impiorū.
Tractat de ſuperbia animi, hæc enim ſolet amicitias diſſoluere. Si enim ſim tibi par, tu verò per ſuperbiam credis te eſſe maiorem, quo modo mihi fidus amicus eris? firmiſſima enim eſt inter pares amicitia. Iam verò inter animalia familiaria, vix vllum eſt, quod ex cornibus ita audeat, ex viribus ita confidat, ex animo ita ſuperbiat, vt taurus.
Aelianus. Si mihi diffidis, lege AElianum ad finem libri tertij. Admonemur igitur nunc, ne animo extollamur, viribus, opibus, aut erudi-
Sublatio animi. tioni fidentes: vt ſolet fidere taurus. ¶ Tu nunc lector nimis attende. Hanc extollentiam animi Author vocat ſtultitiam. Nec enim de alia ſtultitia mentionem hactenus fecerat. Et reuera, vt humilitas eſt ſanitas animi, ita ſuperbia eſt eius inſania. Nā ſubdere te Deo, tibi diffidere, illi ſoli confidere, veritas eſt, ſanitas eſt. De Deo nihil curare, tuis neruis confidere, inde te extollere, inſania falſa eſt, vana ſtultitia eſt. Rectè illud:
Psal. 30. Diligite Dominum omnes Sancti eius, quoniam veritatem (ſ. humilitatis) requiret Deus: & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. ¶ Neque verò ſolùm id malum habet extollentia, quòd ſtultitia ſit. Habet & mala ſequentia, primum elidit virtutem
Potentia. tuam. vt quia potentia tua, diuitiæ, nobilitas, eruditio fuit tibi gradus ad ſuperbiendum: eadem ſuperbia fit gradus, & efficacia, vt ea tibi potentia deſtruatur. Vt prima
ſenti-

ſentiat pœnam, quæ prima fuerat occaſio culpæ. Secundò folia tua comedet. Sũt folia, hominum ornamenta, quibus ornãtur, velut arbores folijs. Sunt verò hominum ornamenta, honor, gloria, amici, verba, apparatus, ſplendor domeſticus, &c. Horum omnium tinea eſt ſuperbia: quæ hominis folia, velut vermis hederam Ionę exedit, & deuorat. *Ionæ vlt.* Tertiò ſuperbia fructus hominis perdit. Fructus hominis pij ſunt opera ſancta, quæ ſunt merita cæli: hæc ſuperbo pereunt, quia nihil illi proſunt. Dogma enim Theologicum eſt, Bona opera per mortale crimen homini mortificari. Quartò ſuperbia relinquit hominem velut lignũ aridum in eremo. Aridum ſ. vt nulli rei, niſi igni, idoneum ſit. In eremo verò (vbi nullius agricolæ culturâ eius languor curetur) ſignificat Dei efficaci auxilio deſtitui: vt Iudæorum domus abeunte Chriſto, deſerta remanſit. ¶ Videtur mihi Author hiſce verbis alluſiſſe ad hiſtoriam Nabuchodonoſoris, ſuo regno & potentiæ fidentis. At ea ſtultitia eum adeò miſerum, & brutũ fecit, vt herbam velut bos comederet. Ea ſtultitia potentiam eius eliſit. Ablato enim viri iudicio, velut inſana beſtia, in agrum reiectus eſt. Ea ſtultitia, eius folia, & ramos deiecit: quia ſplendorem regium illi abſtulit. Ea ſtultitia fructus eius perdidit, ſ. omnia opera regia, & regnorũ adminiſtrationem. Tandem, ea ſtultitia miſerum effecit, velut lignum aridum in eremo, deſtitutũ ſ. omnibus

Matth. 23. *Dan. 4.*

bus amicis, familiaribus, ſubiectis, omniq; humano beneficio. Lege obſecro cap. Danielis quartū. ¶ Ne verò credas, Authori ſolùm de damno temporali eſſe mentionem: imò potiſſimùm de æterno. Ideo declarans præcedentia ſubdit. *Anima enim nequam.* Latinus ſermo vocat nequam, non vtcunque malum: ſed egregiè & inſigniter malū. Talem Author vocat animam ſuperbi. Ea igitur primùm ſe diſperdit, per lapſum in crimen lethale. Secundò, dat ſe in gaudium inimicis, tum hominibus, tum dęmonibus. Sed ô quàm miſerum eſt, te gaudium prębere dęmonibus! Tertiò, deducit ſe in ſortem im-
Pſal.7. piorum. ſ. in infernum. Qui eſt calix, ſors, funiculus, pars, & hæreditas impiorum. Sic-
Pſal.15.& 22 ut æterna felicitas eſt calix, ſors, pars, & præclara felicitas piorum.

3 *Verbu dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et lingua eucharis in bono homine abundat.* Dixi ſuperiùs, verbum eſſe vehiculum mentis. Igitur in verbo dulci dulcis mens vadit. Iam cùm verbum dulce audis, nullam illi offenſionem, ne ad te intret, apponis. Peruadit igitur dulce verbū, & dulcis in eo mens, animum tuum: penetrat te totum. Et tu allectus dulcedine hoſpitis, eius amicus efficeris. Similiter & inimicus, dulcedine verbi (velut muſici concentus) audita, aures illi minimè occludit: ſed permittit ſe penetrari. Capitur igitur animus dulci verbo, qui ex amaro fuerat inimicus effectus. ¶ Lingua
Eucharis. eucharis eſt lingua gratioſa, beneloqua, εὔ-λαλος.

λαλὸς. Tu verò maximopere æſtima verbũ, quòd lingua dulcis & gratioſa abundat in homine pio: vt te examines. ſi lingua blanda, & ſuaui cares, ne Deum te intus habere confidas. Eſt Deus mare dulcedinis, ex hoc mari, linguæ riuulus deductus, maris dulcedinem ſeruabit. Excipe, niſi cùm acerbiùs ſunt vitia reprehendenda. Contra hęc ſiquidem lingua Chriſti deſæuijt. *Matth. 23.*

Multi pacifici ſint tibi: & conſiliarius ſit tibi vnus de mille. id eſt, pacem ſeruato cum omnibus. Iuxta illud: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Et illud: Si fieri poteſt, pacem habete cum omnibus. At conſilium non ab omnibus: ſed ab vno probatiſſimo requirito. Deus bone, etiã tunc magna erat conſiliariorum, & raritas, & caritas. vbi inuenies dignum conſiliarium? Memor ſum dictum eſſe, Virum de mille vnum reperi: Mulierem ex omnibus non inueni. Volunt enarratores eius loci, virum illũ eſſe Chriſtum. Igitur Chriſtus ſit conſiliarius tuus: vt videlicet eius lex, eius Euangelium, ſit tibi à conſilijs. & ex hominibus, eius tibi conſilium placeat, qui ex Euangelio id tibi dederit. Multa docent libri, multa & experientia: ſed nunquam adeò ſecurè nauigas, quàm cùm Deo gubernatore, æquora ſcindis. Hæc intellige in grauibus negocijs. 4 *Pſal. 119.* *Rom. 12.* *Eccles 7.*

Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum: & ne facilè credas ei teipſum. Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum: & non permanebit in tempore tri- 5

re tribulationis. id eſt, Si contigit tibi amicus, diligenter attende, an in tribulatione tua, in temporibus duris, adſit tibi. Hac ratione, an ſit legitimus amicus, explorabis, & experieris. Abſque hoc experimento, ne te ei facile credas. Sunt enim amici propter commodum ſuum, quo ſ. tempore commoda ſibi eſt amicitia tua. Hi, ſi te fortuna deiecerit, non tecum permanebunt. Heus Author, ſi hoc modo ſunt amici & experiendi, & recipiendi, planè ex mille, conſiliarium inuenies vnum: at ex decem mille, amicum inuenies nullum. Chriſto gratiæ, quòd ex pijs Chriſtianis (qui ſ. Chriſto ex animo ſeruiunt) amicum talem inuenire licebit. Ita ego ſentio, nulli amico fidendum omnino eſt, niſi ei, qui toto pectore Chriſto deſeruit. Vt enim Chriſtus nobiſcum eſt in tribulatione: ita verus Chriſti ſeruus, cum conſeruis eſt in eorum tribulatione. *Et eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitiam. Et eſt amicus, qui odium, & rixam, & conuitia denudabit. Eſt autē amicus ſocius menſæ: & nō permanebit in die neceſſitatis.* id eſt, bonus amicus nunquam inimicus fit: nec cōuitiatur, aut diſſidet ab amico. Quid? non pateris amicum, ab amico offenſum, ei fieri inimicum? Quid? ſi me amicus odio, & contumelijs afficit, ero ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones? Ita planè, amicus Euangelicus hoc loco proponitur, qui ſi maledicitur, benedicit: ſi perſecutionem patitur, ſuſtinet: demum offenſus, nūquam redditur inimicus.

Eccles 7. *Pſal. 90.* *Pſal. 37.* *Matth 5.* *1. Cor. 4.*

Cauet

Cauet animus pius, ne odium contra aliquem, etiam offenſorem gerat. Multoq́; maximè cauet, ne odium, rixam, aut conuitia contra aliquem, velut gladium, denudet. Planè animus Chriſtianus odit amici, à quo læditur, vitium: amat amicum, præter vitium. Vt Deus, qui odio habens peccatum, diligit vas, in quo peccatum infeliciter infuſum eſt. Si hæc tibi videntur difficilia, illud tibi refrico. Ipſa etiam amantium natura eſt, vt qui penitus amat, etiam offenſus, etiã conuitijs proſciſſus, minimè odiat: imò ſentiat ſibi amorem accendi: velut fornax accenſus, cui aliquantum inſpergitur aquæ. Nimis fœmineæ amicitię eſt, ex amore, in odiũ tranſire. Maſculi amoris eſt, ab amico offenſum, in amicitia perſeuerare: quantò igitur potiùs erit Euãgelici amoris? Illud verò, ſocius menſæ, nõ ſolùm de menſa habet intelligi: ſed de omni alio commodo. Qui enim gratia alicuius commodi ſui, mihi hæret amicus, eo commodo deficiente, neceſſe eſt, vt ab amicitia diſcedat. Ceſſat enim effectus, ſua cauſa ceſſante.

Amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis: & in domeſticis tuis fiducialiter aget. Si humiliauerit ſe contra te: & à facie tua abſconderit ſe, vnanimem habebis amicitiam bonam. 6
Id eſt, Si permanſerit fixus in tribulatione tua, ſi in labore tuo nõ diſcedit à te, ſed tunc inuenis eum tibi fauentem, erit tibi, vt tu. eum amato, ac ęſtimato, ac ſi tu ipſe eſſet: ac ideo permittes eum vti rebus tuis domeſticis,

cis, vt volet. Dabiſq; ei fiduciam, vt rebus tuis, ac ſuis vtatur. ¶ Sequentia verba, ſ. *Si humiliauerit ſe*, litera Græca, Gloſa ordi. Rabanus, & Tigurinus in contrarium, quàm Latina ſonent, explicant. ſ. fugiendum eſſe eum amicum, qui coram te, ſe humiliat, & faciem abſcondit. At litera noſtra nimis eſt difficilis, ideo multos ſenſus patitur. Primus eſt: Sicubi contingat tuum amicum erraſſe, & præ errati pudore humiliat ille ſe coram te, & ex verecundia vultum abſcondit, id boni amici bonum eſt ſignum. Deſperanda eſt ſanitas amici, quem ſui peccati nō pudet. Secundus eſt: Si amicus tibi contigit verecundus, qui coram te placidè vultum demittit, & velut non audens in te oculos figere, faciem ſuam velut abſcōdit, eum amicum vnanimem habeto. nam amicus elatis & inſolentibus oculis ſuſpectæ amicitię eſt. Ex leui, aut certè ſuperbo amico, quid boni ſperabis? Tertius eſt: Amicus qui tua commoda abſens gerit, vnanimis habendus eſt. qui res tuas acturus humiliat, declinat, & abſcondit ſe à te, is verus amicus eſt. Nam qui ſolùm in tua præſentia res vult agere tuas, ſuſpectus amicus erit. ¶ Porrò, quàm in cruce Chriſtus perſtiterit fixus, vt noſtrū
Iſaiæ 52. negocium ageret: quamq; ibi humiliauerit ſe: & quàm abſcōderit ibi faciem ſuam, (verè enim tunc fuit abſconditus vultus eius) nemo Chriſtianus neſcit. Cur ergo non eum tibi vnanimem amicum habes?

7 *Ab inimicis tuis ſeparare: & ab amicis tuis attende.*

tende. id eſt, quantum potes, caue ab inimicis tuis. Nihil coram eis egeris. Cautè coram eis loquere, ſi loquẽdum illis eſt. Nam liuor & odium eorum, ſiniſtrè omnia tua interpretatur. Omnia tua in malum retorquet. Omnia tua accuſat, & damnat. Imò verò nec coram amicis audebis omnia. Maximè quæ ſecreta eſſe vis, nec coram amicis effutias. Qui coram amico ſuum ſecretũ effundit, eius perpetuò ſeruus efficitur. Egregium planè conſilium. ¶ At dices: Verbum
Domini eſt, Vos dixi amicos, quia quæcun- *Iohan.15.*
que audiui à patre meo, nota feci vobis. Ergo ſecreta mea amico reuelabo. Planè ea ſecreta, quę in amici tui commoda cedunt, reuelare, amicitię eſt. At id ſecretum, quod reuelare aliquando tibi pariet incõmodum, minimè alicui cõmittes. Sepeli in te illud.
Nam ſacramentum Regis abſcondere, bo- *Tob.12.*
num eſt: ac item quod reuelatũ nocumento tibi erit, abſcondere, bonum eſt,

8 *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio; & non eſt digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inuenient illum.* Eſt igitur amicus forte pręſidium, vbi contra hoſtes te defendas. Eſt theſaurus, vnde pro neceſſitatibus expendere licet. Imò nulla vis auri, aut argenti valet, quantum fidelis amicus. Eſt medicina animæ. cuius videlicet exemplis,

& ſuaſionibus, iter in cælum ingrediaris.
Imò etiam medicina vitæ temporalis: quia
nullum eſt vulnus, ab hoc mundo nobis in-
flictum, quod amicorum ope non ſanetur,
aut ſubleuetur. Tam igitur grande bonum
eſt amicus bonus, vt pro magno munere
Deus illum paret diligentibus ſe. O gran-
dem prouidentiam Dei! Summa res in ter-
ra eſt vir, qui timet Dominum. Igitur pro
ſummo bono terreno, Deus illi amicũ pro-
1.Reg. 0. uidet. Quid, quantúmve valuit Ionathas
Dauidi, cùm Saul eum nitebatur vita pri-
2.Reg.17. uare? quantum etiam Chuſai, cùm Abſalon
curabat ipſum, vita, & regno eijcere? Quan-
Geneſ. 4. tum profuit Abraham amico & cognato
Loth, quem Reges illi captiuum ducebant?
Iohan.11. quantum Lazaro Chriſtus, quem è quatri-
duana morte reuocauit ad vitam? ¶ Quòd
ſi amici ſunt præſidium, theſaurus, & medi-
camẽtum, quid Chriſtus nobis erit, qui tan-
topere amicus noſter eſt?

9 *Qui timet Dominum, aequè habebit amicitiam bonam: quoniam ſecundùm illum, erit amicus illius.* Explicat Author de quo amico haƈtenus fuerit locutus, ſ. de amico ſancto, & Dominum metuente. Vir enim bonus amicum ſibi ſimilem quæret. Fieri enim nequit, vt tu ſanctus ſis, & amicum habeas nequam. Si times Deum, ſecundùm Deum erit amicus tuus. Si amicus eſt alter ego, ſi ſum ego bonus, erit ille bonus. Si eſt ille malus, ero & ego malus. Si amicorum ſunt omnia communia, erit virtus illis, aut nequitia communis. Indi-

cium

cium euidens animi tui eſt amicus tuus. Si amicum habes malum, demonſtraſti te eſſe malum. Si donum Dei eſt amicus, non poteſt Deus mala donare. Ergo viri boni amicus erit bonus.

SECVNDA PARS.

De acquiſitione Sapientiæ.

F*ILI, à iuuentute excipe doctrinam: & vſque ad canos inuenies Sapientiam.* id eſt, à iuuentute excipe pectore aperto doctrinam à maioribus: vt Prouerb.1. Salomon filium admonet. *Prouer.1.* Verba ſequentia habent hunc primum ſenſum: Diſce iuuenis, vt ſenex inuenias ſapientiam. Sapientia ſiquidem ex Ariſtotele, non eſt in iuuenis nouitate: ſed in ſenum experientia. *Ariſtoteles.* Alterum ſenſum habent: Diſce iuuenis ſapientiam, quæ te vſque ad canos comitabitur. Tertium habent hunc: Diſce iuuenis, & vſque ad canitiem, ſemper licebit ſapientiam inuenire, & in ea proficere. Cùm enim Sapientia ſit dilectio Dei, eius luce reſplendens, ab eius gratia dimanans, vt in gratia & dilectione, & fide licet ſemper, dum viuimus, proficere, (vt quædam Clementina decreuit) ita *Clementina.* & in Sapientia, ſemper vſque ad canos proficere licebit. ¶ Innuit porrò Eccleſiaſticus, non inueniri Sapientiam, ad canos, ab eo qui ante canos non didicit eam. Quod vt plurimum ita contingit, niſi Deus miſericordiâ ſuâ aliud in homine, vt in Latro-

Latrone, diſpenſet. Sed nimis rarum eſt, vt, qui ſine doctrina vixit, cum ſapientia moriatur.

11 *Quaſi is qui arat, & qui ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius. In opere enim ipſius exiguum laborabis: & citò edes de generationibus illius.* Suſtine bonos fructus, id eſt, expecta patienter bonos fructus, quos arbor Sapientiæ dabit. De generationibus, id eſt, de fructu, & partu, quem Sapientię venter generabit. Agricola non videt ſtatim fructum ſeminis, quod in terram proiecit: ſed eum venturum ſuo tempore expectat. Secundò, Agricola diſpendium ſeminis, quod terræ cômittit, patitur: expectans auctius ſe idem ſemen recepturum. Tertiò, priùs eruncat malas è terra radices, ſemini iaciendo nocituras. Tum arat terram, eam molliens, vt in ea radices poſſit agere ſemen. deinde terram ſubactã optimo ſemine fœcundat. Hęc eadem tu facito. Extirpa primùm vitia, è terra animæ tuæ. hæc enim ſunt Sapientiæ præſentanea peſtis. Tum virtutibus, & bonis operibus animam emolli. Tunc verba Diuinæ legis in ea ſemina. Minimè credens ſtatim te iucunditate Sapientiæ potiturum, expecta: potieris. Et licet rerum, & affectionum tuarũ facias iacturam, inde tibi maiora lucra prouenient. Iam ſicut totius vitę laborem ſibi agricultura deſiderat: ita, & vehementiùs, Sapientiæ cultura depoſcit. Et ſicut vili cibo, vili veſtitu, & vili totius vitæ apparatu agricultura contenta eſt: ita

& Sa-

& Sapientiæ cultura apparatus, & pompas
abhorret: ſimplicia cuncta deſiderat. De-
mum, huius culturæ initia explicauit Iere-
mias, cùm dixit: Nouate vobis nouale: & *Ierem.4.*
nolite ſerere ſuper ſpinas, ſ. vitiorum. Eiuſ-
dem dignitatem explicauit Paulus dicens,
Dei agricultura eſtis. Eiuſdem incommoda, *1.Cor.4.*
& cōmoda Dominus fuſiùs docuit, cùm pa- *Matth.13.*
rabolam de ſeminante propoſuit. ¶ Porrò
fructus & generationes Sapientiæ enumera-
re alicuius eſt Auguſtini, aut Bernardi: imò
eſt Spiritus ſancti, cuius donum Sapiẽtia eſt.
dicam porrò nonnulla, ne locus hic hiare
videatur. Primus fructus, quem Sapientia
edit, eſt animam liberare à tenebris, & cæci- *Iſaiæ 8.*
tate, quam perſeuerantia peccandi parit. 2.
eſt, Liberare à tormentis, quæ mens ſibi ma-
lè conſcia ſentit. Cùm enim peccatum ſit
vulnus animæ, neceſſariò ei doloré, & tor-
mentum incutiet: niſi mortua iacet. 3. eſt,
maximè liberare à metu inferni, quem ſibi
peccator iure commeruit. Quoniam non *Pſal.6.*
eſt in morte, qui memor ſit tui. In inferno
autem quis confitebitur tibi? 4. eſt, erigere
animã in ſpem vitæ æternæ potiundæ. Ex-
pectantes (inquit) beatam ſpem, & aduen- *Tit.2.*
tum gloriæ magni Dei, &c. 5. Erigere ani-
mam ad confidendum in Deo, velut in pa-
tre, qui in omni tribulatione noſtra conſo- *2.Cor.2.*
labitur nos. 6. Expectare diem mortis, &
Iudicij cum animi fiducia: imò nonnun-
quam dicere, Cupio diſſolui, & eſſe cum *Philip.1.*
Chriſto. 7. Sentire iam nunc lætitiam, gau-

Latrone, diſpenſet. Sed nimis rarum eſt, vt, qui ſine doctrina vixit, cum ſapientia moriatur.

11 *Quaſi is qui arat, & qui ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius. In opere enim ipſius exiguum laborabis: & citò edes de generationibus illius.* Suſtine bonos fructus, id eſt, expecta patienter bonos fructus, quos arbor Sapientiæ dabit. De generationibus, id eſt, de fructu, & partu, quem Sapientię venter generabit. Agricola non videt ſtatim fructum ſeminis, quod in terram proiecit: ſed eum venturum ſuo tempore expectat. Secundò, Agricola diſpendium ſeminis, quod terræ cōmittit, patitur: expectans auctius ſe idem ſemen recepturum. Tertiò, priùs eruncat malas è terra radices, ſemini iaciendo nocituras. Tum arat terram, eam molliens, vt in ea radices poſſit agere ſemen. deinde terram ſubactā optimo ſemine fœcundat. Hęc eadem tu facito. Extirpa primùm vitia, è terra animæ tuæ. hæc enim ſunt Sapientiæ præſentanea peſtis. Tum virtutibus, & bonis operibus animam emolli. Tunc verba Diuinæ legis in ea ſemina. Minimè credens ſtatim te iucunditate Sapientiæ potiturum. expecta: potieris. Et licet rerum, & affectionum tuarū facias iacturam, inde tibi maiora lucra prouenient. Iam ſicut totius vitę laborem ſibi agricultura deſiderat: ita, & vehementiùs, Sapientiæ cultura depoſcit. Et ſicut vili cibo, vili veſtitu, & vili totius vitæ apparatu agricultura contenta eſt: ita

& Sa-

& Sapientiæ cultura apparatus, & pompas abhorret: ſimplicia cuncta deſiderat. Demum, huius culturæ initia explicauit Ieremias, cùm dixit: Nouate vobis nouale: & *Ierem.4.*
nolite ſerere ſuper ſpinas, ſ. vitiorum. Eiuſdem dignitatem explicauit Paulus dicens, Dei agricultura eſtis. Eiuſdem incommoda, *1. Cor.3.*
& cōmoda Dominus fuſiùs docuit, cùm pa- *Matth.13.*
rabolam de ſeminante propoſuit. ¶ Porrò fructus & generationes Sapientiæ enumerare alicuius eſt Auguſtini, aut Bernardi: imò eſt Spiritus ſancti, cuius donum Sapiētia eſt. dicam porrò nonnulla, ne locus hic hiare videatur. Primus fructus, quem Sapientia edit, eſt animam liberare à tenebris, & cæci- *Iſaiæ 8.*
tate, quam perſeuerantia peccandi parit. 2. eſt, Liberare à tormentis, quæ mens ſibi malè conſcia ſentit. Cùm enim peccatum ſit vulnus animæ, neceſſariò ei doloré, & tormentum incutiet: niſi mortua iacet. 3. eſt, maximè liberare à metu inferni, quem ſibi peccator iure commeruit. Quoniam non *Pſal.6.*
eſt in morte, qui memor ſit tui. In inferno autem quis confitebitur tibi? 4. eſt, erigere animā in ſpem vitæ æternæ potiundæ. Expectantes (inquit) beatam ſpem, & aduen- *Tit.2.*
tum gloriæ magni Dei, &c. 5. Erigere animam ad confidendum in Deo, velut in patre, qui in omni tribulatione noſtra conſo- *2. Cor.1.*
labitur nos. 6. Expectare diem mortis, & Iudicij cum animi fiducia: imò nonnunquam dicere, Cupio diſſolui, & eſſe cum *Philip.1.*
Chriſto. 7. Sentire iam nunc lætitiam, gau-

dium, & iubilationem cæleſtem. Dicentē
Pſal.22. illo, Paraſti in conſpectu meo menſam. &
Iſaia 25. item, Faciet Dominus in monte iſto conuiuium pinguium, medullatorum. & item,
Philip.4. Gaudete in Domino ſemper. Et ne lectorem tædio afficiam, id vnum ſatis erit ei, quod
Pſal.88. habetur in Pſalmo, Beatus populus, qui ſcit
Pſal.18. iubilationem. &, Iudicia Domini deſiderabilia ſuper aurum & lapidē pretioſum multum: dulciora ſuper mel & fauum. Rectè,
Sap.12. quia verum eſt illud, Quàm ſuauis eſt ſpiri-
Pſal.33. tus tuus. & illud, Guſtate & videte, quàm ſuauis eſt Dominus. Ex his pretioſiſſimis fructibus citò edit, qui modicum in acquirenda Sapiētia laborat. Nam vt minimum, qui peccata à ſe reijcit, & bonis operibus ſtudet, liberum ſe credit à peccatis, dęmonibus, inferno, tenebris, minis Dei. &c. De-
Pſal.118. mum viam mandatorum currit, quia Deus dilatauit cor eius. ¶ Iam verò tam modicum frequenter anima laborat, in Sapientiæ acquiſitione, vt nōnunquam ſimul cum peccatorum expulſione, ſentiatur ſuo modo gratiæ iucunditas. Vt ferè ſimul animā eijciat tormenta, quæ peccatum animæ dabat: & gaudeat lucis, quam recipit, iucunditate. Omnium noſtrum in hac re, Chriſtus exemplum eſt. Modicum ex cruce laborās: breui, ex immortalitate ditiſſimus.

22 *Quàm aſpera eſt nimiùm Sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors.* Indo-
Iohan.6. ctus vocatur, qui nō eſt docibilis Dei. Quem Spiritus nō docuit omnem veritatē. Quem

vnctio

vnctio non docuit de omnibus. Contrà dicitur, Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Ergo ſi virũ, nondum Dei gratiâ doctum, admoneas, vt non ſecundùm carnẽ viuat, ſed ſpiritu facta carnis mortificet: vt diligat inimicũ: vt neget ſeipſum: ô quàm nimiùm aſpera videbitur ei iſta Sapiẽtia! Nec diu excors ille, ſi inceperit, in ea perſeuerabit. Tædio enim affectus itineris per deſertũ, ad AEgyptũ redire curabit. Quod author per ſequẽtia declarat. *Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis: & non demorabuntur proijcere illã* Explicatur hic locus ex Zachar. c. 12. vbi Deus dicit, Ponam Ieruſalem, vt lapidẽ oneris. Vbi D. Hieronymus ait, morem fuiſſe Iudæis, imò & Græcis, ad portam ciuitatis, aut villæ, lapidem habere grauiorem, in quo leuando iuuenum vires exercerentur. Igitur, vt vir debilior eum lapidem leuans, ſine mora eum proijciebat, quia tenere diu nõ poterat: ita vir carnalis, incipiẽs ſuper ſe onus Sapientiæ leuare, non demorabitur, quin citò eam à ſe repellat, aſſerens minimè ſe eſſe Sapientiæ leuãdæ idoneum. Ergo ſi Sapiẽtiam ſuper te leuaſti, ne eam proieceris. Si ſuſtineas, dabit tibi illa vires: & quò magis ſuſtines, faciliùs feres. Quod verba ſequentia dicũt. *Sapientia enim doctrinæ ſecundùm nomen eſt eius. Et non eſt multis manifeſta. Quibus autem cognita eſt, permanet vſque ad conſpectum Dei.* id eſt, Sapientia doctrinæ (quam à Deo magiſtro nos diſcipuli diſcere debemus) non habet nomen

1. Iohan. 2.
Pſal. 93.
Rom. 8.
Num. 11.
Zacha. 12.
D. Hieron.

mendax, ſed verum. nos à Deo eam addiſcere debemus, ideo non ſtatim illa eſt reijcienda, nec à Dei ſchola fugiendum: ſed expectandum donec nos eam ille doceat. Alioquin doctrina Dei nō eſſet. Quia verò pauci in hac ſchola Dei, & Sapientiæ perſiſtunt, ideo Sapientia non eſt multis manifeſta. Dicente Chriſto, Pauci ſunt electi. & item, Quàm arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam! Planè ſicut pulueris eſt multum in terra, auri parum: & rarum eſt, quod pretioſum eſt: ita rari ſunt, quibus Sapientia innoteſcit. Adeò mundi nos prudētia cæcauit, adeò ſibi vendicauit, adeò nos Sapientiæ Diuinę ad ſe vocanti, & pellicienti, ſubtraxit. Demum viros Sapientiam habentes, ipſa non deſerit, donec eos ad Deū videndum adduxerit. O vires Aquilæ (id eſt, Sapientiæ) ſummas! quæ expandit alas, & aſſumit pios ſuper eas, eosq́ ſuper omnē naturam, vſque ad Dei thronum, & inacceſſibilem lucem exaltat. ¶ Habet Theologus illuſtrem locum ad docendum, quomodo Iudæi illius temporis intelligebāt, noſtram felicitatem in Dei viſione conſiſtere. Siquidem Author dicturus, quòd Sapientia ad felicitatem perducit, dicit, quòd ad Dei viſionem perducit. Quæſtionem verò eam, in quo potiſſimùm felicitas ſit ſtatuenda, ſ. in videndo, an in fruendo, precor te lector, remittamus Thomiſtis, & Scotiſtis, vt in ea, iunctis vmbonibus dimicent.

Matth.10. & 22. *Matth.7.* *Prouer.1. 8.* *Deut.32.*

13 *Audi fili mi, & accipe conſilium intellectus: ne abijcias*

abijcias conſilium meum. Inijce pedem tuũ in compedes illius: & in torques illius collum tuum. Subijce humerum tuum, & porta illam: & ne acedieris vinculis eius. Vocat conſilium intellectus, quia hoc conſilium non eſt intelligendum de compedibus, aut torquibus corporalibus: ſed intellectualibus. Iam tu vide Sapientiam habere compedes, quibus liget pedes: torques, quibus collum: vincula, quibus manus adſtringat. Tum, eſſe onus (ſ. crucis) cui iubet Author ſubdere collum. Ergo, vt Chriſtus lignum ſupet ſe tulit, cui manus, pedesq́; id eſt, totũ corpus adſtrinxit: ita tu crede Sapientiam crucem eſſe, cui ligatas manus, pedesq́; habere debes. Audiſti Deum diligẽdum eſſe ex toto corde, anima, viribus, & ex animi toto tuo? id eſt, ex pedibus, manibus, collo, & corpore toto? Hoc igitur nunc Eccleſiaſticus docet. Sapientia cohibet manus, ne noceant: pedes, ne effundant ſanguinem: collum & corpus, vt à lege Dei non dimoueantur. Totum te Deus vult, totum te Deo Sapientia vendicat. Nihil tuũ, matri meretrici largitur. ¶ Porrò innuit litera, Sapientiam habere expoſitas compedes, expoſitum collare, expoſita vincula. Tum, eam rogare nos omnes, vt in expoſita illa vincula, manus, pedes, & corpus, conijciamus. Si nolumus, culpa noſtra eſt. ¶ Apertus eſt hic textus, ſi intelligatur de Sapientia, quæ eſt dilectio Dei. Hæc enim adſtringit manus, pedesq́; noſtros, vt ſpiritu, non carne, viuamus. Si de Sapientia, quæ

1. Pet. 2. *Matth. 22.* *Pſal. 13.* *3. Reg. 3.* *Rom. 8.*

eſt Filius Dei, intelligatur, non eſt obſcurus. Deus enim ſe nobis velut onus imponit. Et ipſe membra noſtra vinculis adſtringit. Dictum eſt, Viriliter age, confortotur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Vides Deum velut onus lapidis (de quo dixi annotat.12.) nobis imponi? Dictum eſt etiam, Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Ergo Spiritus Sapientiæ mortificat, & vincit membra carnalia noſtra. ¶ Acedieris, id eſt, tædio afficiaris.

Pſal.26,30. *Rom.8.*

14 *In omni animo tuo accede ad illam: & in omni virtute tua, conſerua vias eius. Inueſtiga illam, & manifeſtabitur tibi: & continens factus, ne derelinquas eam.* Videtur ſecunda pars huius literæ, prioris explicatio. Continens factus, id eſt, cùm eam apprehenderis. Duplex verò eſt dilectio Dei. Quædã imperfecta, ſ. eorũ, qui nõ ſe totos tradũt amori. Altera perfectior eorũ, qui omnibus tẽporalibus renuntiãtes, in dilectionẽ, velut in quandam nubẽ, aut lucem intrant: Deũ continenter cogitantes: in eius amore, velut in flammis ignis, ardentes. De hac Sapiẽtia eſt nobis ſermo. Docti enim de rebus loquuntur perfectis, nõ adeò de imperfectis. Ergo prouocat nos Author, vt toto pectore Sapientiã perfectã quæramus: totis viribus leges eius ſeruemus: toto niſu inueſtigemus. Illa enim ſe nobis manifeſtabit. O quàm pulchrum ſpectaculũ! Si quæris, quis erit fructus tãti laboris pro Sapientiæ acquiſitione? ſubdit. *Erunt tibi cõpedes eius in protectionẽ fortitudinis,*

& bae

& baſes virtutis. Et torques illius in ſtolam gloriæ. (decor enim vitæ eſt in illa) & vincula illius alligatura ſalutis. Stola gloriæ indues eã: & coronã gratulationis ſuperpones tibi. Verificatur hic textus in duobus temporibus. Priori, ſ. in tempore mortis: in quo ſeruaſſe leges Dei (quæ ſunt vincula colli, manuum, & pedum) erit protectio fortiſſima. ſ. erit arx munitiſſima, è qua te dæmonũ furiæ in infernum abducere nequibunt. Illa dilectio, quâ legem Dei ſeruaſti, erit baſis fortiſſima: quam concutient quidẽ diaboli tẽpore mortis: ſed con- *Matth. 7.*
cutientibus, illa nõ cedet. Similiter dilectio, quâ Deum amabas, dum viueres videbatur vinculũ ignominioſum, quod ſ. ignominioſè impij ridebãt: ſed tunc erit ſtola glorioſa. Erit enim glorioſum corã Angelis, qui eo tempore adſtabũt, quòd dilectionẽ Dei habueris. ¶ Quod addit, decor vitæ eſt in illa, ſic intellige, vita pulcherrima, quâ in cælo victuri ſumus, erit diuina dilectio. Diligere ſiquidẽ vita eſt, pulchritudo diuina eſt. Experti porrò ſciũt, q̃ ſit amare viuere, quàm ſit nõ amare, mori. ¶ Tum illud, vincula illius, alligatura ſalutaris, habet hũc ſenſum: cùm manũ habes vulneratam, medicus tibi medelã apponit, manum vinculis ligans. at illa ligatura ſalutaris eſt, id eſt, poſtea libertatem ſalubrẽ manui reddit. Ita dũ hîc viuimus, infirmas manus habemus: Deus medicus noſter eas dilectiõe, & vngit, & ligat, vt in die mortis ſalutẽ huius alligaturæ ſentiamus. Tunc erit planè noſtra vera libertas.

¶Simi-

¶ Similiter illud, Stola glorię indues illam, & coronam gratulationis impones tibi. Intelligendum eſt ita, Diuina dilectio eſt veſtis, & corona in æternitate beata. Nam in Apoc.5. Apocal. dicitur, Senes ſancti aderant throno Dei, amicti veſtibus albis, & coronæ erãt in capitibus eorum. quia reuera corpora Sanctorum in cælo amicientur luce, vt veſtimento Pſal.103. (vt ipſe Deus.) Tum erit in eorum capite fulgor ad modum coronę. Vtrunque prodibit ex gloria animæ in corpora eorũ. Cùm igitur gloria animæ ſit dilectio Dei, (ſapientia ſ. de qua loquimur) ſit vt cauſaliter, ſeu efficienter Sapientia futura ſit ſtola corporis, & corona capitis. Videtur hic germanus ſenſus huius literæ. nam pręceſſerat, In nouiſſimis inuenies requiem in ea. Vnde aperitur alter ſenſus. ſ. in die Iudicij (quæ eſt vnum ex nouiſſimis) tunc dilectio erit turris, & baſis, vnde rigoroſũm Dei examen, & velut furens Iudicis ira, te minimè abducent, aut deijcient. Tunc dilectio erit glorioſa veſtis coram angelis Dei: erit etiam vita beata. Tunc monſtrabitur, quàm ſalubriter in mundo, manus dilectionis vinculis alligaueris, vt tunc liberrimas inuenires.

15 *Fili, ſi attenderis mihi, diſces: & ſi accommodaueris animum tuum, ſapiens eris. Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam: & ſi dilexeris audire, ſapiens eris.* Videtur mihi Author hoc loco velut tacitæ reſpondere quęſtioni. Rogabit aliquis, Tot verba dixiſti de acquiſitione

one Sapientiæ,eamq; laudaſti tãtopere,iam dic,quomodo illa poſſit acquiri? Reſpondet, primò quidem acquires, ſi attenderis mihi,id eſt,his quę in hoc libro doceo:quibus ſi animum,aurem,& diligentiam adhibueris,ſapiens eris.Secundò etiam acquires hoc modo. *In multitudine presbyterorum prudentium ſta,& Sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poßis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te.* Presbyteri Græcis, eſt ſenes Latinis. Hi dicuntur prudentes,cùm nouerunt,quomodo res ſecundùm Deum agi & diſponi debeant.Ergo qui vult Sapiens eſſe, frequenter hos prudentes adeat ſenes: à quibus omnem narrationem Dei audiat. id eſt,à quibus audiat geſta,quæ Dominus Deus olim fecit. quæ ſ. in literis ſacris narrantur. Ex his enim Sapiẽtia colligitur.Nã ſi hiſtoria prophana eſt magiſtra vitæ,quãtò potiùs hiſtoria Diuina? ¶Tertiò addit Author, addiſcẽti Sapientiam neceſſariũ eſſe, vt Prouerbia laudis addiſcat. Dicuntur Prouerbia laudis, quæ ſ. laudari ſolent. vt inter omnia Prouerbia laudantur Prouerbia Salomonis. Hæc enim ſunt laudabiliſſima. Ac ideo ex his Sapientiam haurire licebit. Fortaſſe etiam Prouerbia laudis dicuntur, quæ in Dei laudem ſunt cõſcripta.quales ſunt multi Pſalmi. ¶Quartò qui Sapientiam volet, hoc modo eam acquiret. *Si videris ſenſatum, euigila ad eum: & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Ex libris Ciceronis colligas, morem fuiſſe Ro- *Cicero.*

manis,

manis, filios mittere ad domos ſenum grauium atque nobiliũ, vt ex eorum conuictu, & verbis, Romanos mores, in ſua puritate cõbiberent. Idem Author noſter mãdat ei, qui Sapiẽtiam requiret: vt f.tam frequenter adeat limina ſenis cordati, ac ſapientis, vt terat ea, atq; pedibus abſumat. ¶ Quintò & potiſſimè, ſi Sapiens eſſe cupis, *Cogitatum habe in præceptis Dei: & in mandatis illius maximè aſſiduus eſto: & ipſe dabit tibi cor: & concupiſcentia Sapientiæ dabitur tibi.* Vis Sapiens eſſe? cuncta Dei præcepta ob oculos tuos ſtatue. memoriter diſce. non recedat volumen legis, ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus. Ponite (inquit Moſes) hæc verba mea in cordibus, & in animis veſtris. Suſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate: docete filios veſtros, vt illa meditentur. Quando ſederis in domo, & ambulaueris in via, & accubueris, atque ſurrexeris, ſcribes ea ſuper poſtes, & ianuas domus tuæ, &c. Hæc enim meditatio legis Sapientem facit. Dicente David, Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. ¶ Quod dicit, aſſiduus eſto: intellige, in eorum executione. Ipſa enim mandatorum executio aperit intellectum. Dicente Pſalmo, In intellectu manuum ſuarum deduxit eos. id eſt, in intelligentia, quam

Ioſue 1. *Deut. 11.* *Deut. 6.* *Pſal. 118.* *Pſal 77.*

quam opus manuum ei pepererat. ¶ Ipſe dabit tibi cor, ſeu animum, & ardentem voluntatem, lumine cæli illuſtratam. iuxta illud, Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. &, Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Vnde colliget lector, vltra vires naturales dari à Deo, cor, animum, ac voluntatem illuſtratam, quâ lex diuina intelligatur. ¶ Addit, & concupiſcentia Sapientiæ dabitur tibi. poſtquam Deus dat cor ad intelligendum, dat etiam deſideriũ in Sapientia proficiendi. vt enim, qui in gratia eſt, nõ credit ſe iam nullo egere: ſed in ea proficere cupit, extẽdens ſe ad æternitatis brauium: ita qui in lege habet intellectum, quò magis habet, magis habere deſiderat. adeò eſt Sapientia dulcis.

Pſal. 118.

Philip. 3.

CAPVT VII.

PRIMA PARS.

De cauendo peccato.

NOLI facere mala, & non te apprehendent Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. Fili, non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum. Idem tribus modis dixit. Noli facere mala culpæ, & non te apprehendent mala pœnæ. Diſcede ab iniquo, id eſt, ab iniquitate, & deficient mala pœnæ abs te. Ne ſemines voluntatem, & opera tua in ſulcis iniquitatis, & non metes ſeptu-

ſeptuplam ſegetem. Quod duos ſenſus habet. Prior eſt: Vna iniquitas parit ſeptem. adeò hæc eſt peſtilés hydra. Nunquam vna iniquitas ſola venit: ſed niſi per pœnitentiam tollatur, ſuo pondere, aut certè ſua fœcunditate, in alias iniquitates incidere facit. Alter ſenſus eſt: Vna iniquitas ſeptem pœnis afficitur. noſtro videlicet iudicio, qui iudicamus, grauiorem eſſe pœná, quàm ſit culpa, velut arena maris. Cùm enim videamus culpam témpore finiri, nunquam verò pœnam, iudicamus pœnam eſſe culpa grauiorem. Sed heu non modò iudicio noſtro pœna ſeptupla eſt: ſed reuera omnis culpa mortalis ſeptuplicem pœnam habet, id eſt, vniuerſitatem omnium pœnarũ. non quòd omnes pœnæ vni culpæ reſpondeant: ſed quòd vnica inferni pœna omnium pœnarum huius vitæ vicem habet. vt vna gloriæ felicitas omnium delectationum huius ſeculi vicem habet (vt mannà omnem continebat ſaporem, & omnis ſaporis ſuauitatem.) Adde etiam, quòd & in hoc ſeculo Deus vnicam iniquitatem varijs pœnis caſtigat, vt varias etiam meretur. Et ſi remittenda tibi iniquitas eſt dolore tuo, & dolore Chriſti, verè ſeptuplici pœna remittenda eſt. Caue igitur ab iniquitate, quam huius, & futuræ vitę pœna in ſeptuplo manet.

Gregorius. *Iob 7.* *Sap. 16.*

SECVNDA PARS.

De non ambiendo magiſtratu.

Noli

NOLI quærere ab homine ducatũ: neque à Rege cathedrã honoris. Ducatũ (ἡγεμονίαν Græcis) id eſt, principatum. & ijdem Græci habent, noli quærere à Domino principatum. 2
Quadrat hoc conſilium verbo Domini: qui reſpondens matri filiorum Zebedæi, filijs Matth.20.
quærenti principatum, dixit; Neſcitis quid petatis. Nam licet qui Epiſcopatum deſiderat bonũ opus deſideret, neſcit tamen quid 1. Tim.3.
deſideret. Deſiderâs enim præeſſe, & dominari, deſiderat ſubeſſe, & miniſtrare. Nam qui maior eſt inter vos, erit ſicut minor: & Luc.22.
qui præcedit, vt qui miniſtrat. Ego enim, inquit, ſum inter vos, ſicut qui miniſtrat. Nolite igitur vocari Rabbi. Vnus enim eſt Matth.23.
magiſter veſter. ¶Intellige lector, tempore Iudæorum fuiſſe cathedram, ſ. vbi docti ſedebant. iuxta illud, Super cathedram Moyſi &c. Matth.23.
Ergo monemur, ne cupiamus magiſtratum, aut ſecularem, aut Eccleſiaſticum. maximè Epiſcopatum, cui eſt annexa cathedra docendi. Rationem docet Iacobus dicens, In multis offendimus omnes. Docent etiam, qui per principatum, in ſuperbiam elati, in laqueum diaboli inciderunt. Iacob.3. 1. Tim.3.

Non te iuſtifices ante Deum: quoniam agnitor cordis ipſe eſt. Et penes regẽ, noli videri ſapiens. 3
Omnibus qui bono iudicio fuerunt, id fuit ſemper manifeſtum, quòd qui aliorũ princeps eſt, illis melior eſſe debet. Ideo enim dictum eſt de Saule, Non erat vir de filijs Iſrael melior illo. 1. Reg.9.
Videlicet, vt qui maior alijs erat futurus, eſſet melior illis. Vide tu

1.Tim.3. cōditiones quas in Epiſcopo requirat Paulus. & demum agnouit hęc Philoſophorum ſchola. Igitur qui ducatū ſeu principatum quęrit, pręſumere debet ſe eſſe alijs meliorē: ac proinde, iuſtificare ſe ante Deum; id eſt, iuſtiorem alijs ſe coram Deo exiſtimare. At cùm hoc grandis ſuperbia ſit, ideo inquit Author, ne te ante Deum iuſtum æſtimes. Nouit enim ille cordis tui latebras, & quòd Ierem.17. prauum eſt cor hominis præ omnibus. Similiter, ſi à Rege vis cathedram obtinere, ſapientem te illi vendites, neceſſe eſt. At ſtul-Prouer.27. tum eſt, laudare te ore tuo, & item putare te eſſe ſapientem, cùm ſis fortaſſe inſipiens. Et quidem populum è cathedra docere, res ſ. religionis, (vt tunc moris erat) fauoris eſt potiùs Diuini, quàm induſtriæ humanæ. Fauorem porrò Dei à ſe ablegat ſuperbia, & tuæ Sapientiæ confidentia. ¶ Habet Theologus hinc, Qui eligitur in principem, iuſtus ſit coram Domino. Et qui cathedram vult obtinere, Sapiens ſit neceſſe eſt. alioqui peccabit.

4 *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. Ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.* id eſt, Niſi valeas virtute tū animi, tum exterioris potentiæ. Fruſtra enim erit velle, niſi poſſis: fruſtra erit poſſe, niſi velis. ¶ Habes primùm, quod ſit pręcipuū iudicis munus, ſ. irrūpere iniquitates. Sanè populi iniquitates, velut catenæ vinciunt, & circundant eum: vt in ipſum, velut in carcere vinctū, ira

ira Dei deſæuiat. Iudicis officiũ erit, has catenas irrũpere, & (quod Iuris Doctores dicunt) prouinciã criminibus purgare. ¶ Habes & id ſecundò, qui iudex eſſe volet, virtutem habere debet, animo ſ. & corpore. Vir ergo ſit bonus, & potens. potentiâ ſ. ſuâ, vel Regis. Igitur, qui vel pecuniæ, vel amicorum potentiæ cedit, iudex minimè ſit. ¶ Habes tertiò ex illo, ne fortè extimeſcas faciem potentis, quantum iuſtitiæ periculum ſit à potentibus. Hi enim ſunt pondera, quæ iura velut telas aranearum diſrumpunt. Miſera muſca eſt, cui à iure periculum eſt. ¶ Habes quartò ex illo, in agilitate tua, officium iudicis eſſe agilitatem, diligentiam, & feſtinatam maturitatem. Non eſt officium iudicis ſtertere, aut animo indulgere: ſed feſtinanter mala cohibere. Neceſſe enim eſt vt ſcandala veniant: væ autem Iudici, per quem hæc mala non veloci agilitate prohibentur. Vt enim Salomon *Eccli 47.* poſuit ſcandalum in officio ſuo, idolũ adorans; ita malus iudex ponit ſcandalũ, ſtertens, vt qui occaſionem dat ſceleribus, quâ augeantur & creſcant.

Non pecces in multitudinem ciuitatis: Neque 5 *te immittas in populum: neque alliges duplicia peccata, neque enim in vno eris immunis.* Primus ſenſus eſt: Ne fauore populi pecces. vt Abſalon, fauore populi patrem pellere regno *2. Reg. 15.* quærebat. Alter ſenſus eſt: Ne in gratiã populi pecces. vt peccauit Saul, propter popu- *1. Reg. 15.* lum non occidens Amalech. Tertius eſt: Ne

3.Reg.12. contra populum pecces. vt peccauit Roboam, populi precibus non acquieſcens. Hic ſenſus videtur germanus: ſubditur enim in textu, Neque te immittas in populũ. Videtur tamen & alius ſenſus eſſe germanus, ſ. ô princeps, ſi peccandum eſt, ne publicè pecces. Ne doceas peccare ſubiectos. Ne te exemplum peccati populo proponas. Id enim peccatum eſt duplex (id eſt, ex vſu S. literarum) eſt multiplex, & graue. & ſi peccatum ſimplex non eſt liberum à pœna, quo modo tam graue erit immune? ô quàm grauiter peccauit Ieroboam, qui Iſraeli fuit cauſa peccati? Igitur ne iudex, aut princeps (de his enim loquitur) peccet coram multitudine, & populo. Si egerere vult, cum Saul ſpeluncam intret, vbi ſtercus relinquat. & nec ibi ſe tutũ credat: adeſt enim teſtis Dauid. ¶ Admoneatur princeps, peccata ſua publica, duplicia eſſe. Nã vt Epiſcopus, qui citò manus imponit, communicat peccatis ordinati: ita qui coram plebe peccat, communicat peccatis, quæ eius exemplo populus admittet. ¶ Habet Theologus ex vltimo verbo, nullam culpam futuram ſine pœna, etiã ſi vnica tantùm ſit. *Noli eſſe puſillanimis in animo tuo.* Poteſt hic locus generatim omnibus applicari, aut ſpeciatim magiſtratibus. Si his accommodatur, eos admonet, vt magno animo ſint: ne ſ. alicuius timore à recto deuient. Scopulus enim in quem iudicis nauis illiditur, eſt timor eorum, qui ſi offendantur, nocere poſtea poſſunt. Dicitur ergo

[Margin notes: 3.Reg.12. (beside "ter peccauit Ieroboam") 3.Reg.12. & 13. ; 1.Reg 24. (beside "dine, & populo"); 1.Tim.5. (beside "citò manus imponit")]

ergo ei: ne ſis puſillo animo: ne extimeſcas faciem potentis. Deus, cuius vicem geris in terris, non te permittet tẽtari ſupra id quod potes. Si verò generalis eſt locus, eundẽ ſenſum habet cum illo, Non turbetur cor veſtrũ. Creditis in Deũ, & in me credite. &, Cõfidite, ego vici mundũ. &, Nolite timere puſillus grex. &c. Nec enim humilitas Chriſtiana, puſillum animum facit: imò verò viribus Dei confiſa, conſtans, & grãdis in malis perſeuerat. Quid igitur in laboribus vir faciet Chriſtianus? reſpondet: *Exorare, & facere eleemoſynam ne deſpicias*. Id eſt, ſi te mala premunt, ne deſpondeas animum: ſed ora, fac eleemoſynã. Hęc eſt ſumma totius vitæ. Ora Deũ, dilige proximũ. Hęc ſunt in omni lege potiſſima. Hæc aduocant omnia bona; propulſant omnia mala. Hæ ſunt leges, per quas examinabuntur in die Iudicij cuncti mortales. Quia tamen ſiniſtrè aliquis hæc poſſet interpretari, credens, quòd orãdo, & dãdo eleemoſynã, ſi alioqui in peccato perſeueret, ibit in cælũ, ne id credat, ſubdit textus. *Ne dicas, In multitudine munerum meorum reſpiciet Deus: & offerente me Deo altiſſimo, munera mea ſuſcipiet.* Peccatori enim in ſuo peccato perſiſtere volenti, munera Deo offerre, nihil prodeſt. Si charitatem non habuero, etiam totas facultates in cibos pauperũ expendiſſe, non prodeſt. Iniquo illi Cain nihil profuit, Deo de fructibus terræ obtuliſſe. Ne offeratis, inquit Dominus, vltrà ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi, &c.

1. Cor. 10. *Iohan. 14.* *Iohan. 16.* *Luc. 12.* *Matth. 6.* *Matth. 22.* *Matth. 25.* *1. Cor. 13.* *Geneſ. 4.* *Iſaiæ 1.*

hi,&c. apud Iſaiam. Et, Sacrificia iniquo-
Oſee 9. rum, panis lugentium. apud Oſeam. Ergo
cùm à te oratio requiritur, & eleemoſyna,
pura requiritur : non ſordibus vitiorum
inquinata. Videant ergo principes, qui in
peccato eleemoſynas faciunt, quid illæ ha-
bebunt vtilitatis? ¶ Expende verbum, In
multitudine munerum. Ergo etiam multi-
tudo munerum, ſi ab iniquo offeratur, de-
ſpicitur.

5 *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ.
Eſt enim qui humiliat, & exaltat, circunſpector
Deus.* Non eſt irridendus, qui ex calamita-
te, amaro animo eſt. Tum, quia ita irriſus
Pſal.94. clamabit ad Dominum, contra te, & Domi-
nus, in cuius ſunt omnia manu, irridẽdum
te exponet. Tum, quia ipſa pauperis irriſio
promeretur, vt Deus te ridendum efficiat.
Amaritudo ſiquidem miſeri, miſericordi-
Pſal.68. am exigit, non riſum. Appone, inquit, ini-
quitatem ſuper iniquitatem eorum. Cur?
quia quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: &
ſuper dolorem vulnerum meorum addi-
derunt. Ne igitur rideas miſerum. quia ro-
ta mundus eſt. Hanc Deus verſat: facilé-
que eſt illi, te ſublimem, & ridentem eum,
qui in imo eſt, ad imum, vbi rideare, de-
ducere.

TERTIA PARS.

De oris moderatione.

N*OLI arare mendacium aduerſus fratrem tu-
um, neque in amicum tuum ſimiliter facias.*

Licet

Licet quidam codices habeant, noli amare mendacium: at vera lectio Græcis conformis eſt, quæ in correctioribus libris habetur, noli arare. Eſt porrò arare, dare operam, fabricare. Nam vbi nos habemus, Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, Hebræi habent, arauerunt aratores. Ergo duplex eſt campus, quem aratro linguæ proſcindere poſſumus. Prior eſt veritas, poſterior mendacium. Ille campus dignus eſt, qui exerceatur. Eſt enim Deus verax, & veritas. ac proinde fructus diuinos proferet. At mendacium indigniſſimus campus eſt, quem lingua proſcindat. Eſt enim diabolus mendax, & pater mendacij. Hinc quem fructum ſperare licebit? Quòd ſi peſſimum eſt, à lingua noſtra mendaciū arari; quantò peius erit, ſi id fiat in fratrem, aut in amicum? Tu lector laudabis pulchram Authoris tralationem, quòd ſ. lingua loquendo, dicatur arare. Et annotabis, quòd licet multum debeatur amico, nihilominus plus fratri debetur. Ac ideo huic, quàm illi nocere peius eſt. *Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim in illo, non eſt bona.* Memor ſum legiſſe me apud Vatablum, phraſim Hebræam eſſe, non bonum, pro peſſimo. Vt ſit ſenſus textus noſtri: Aſſiduitas in mendacio, res peſſima eſt. Quaſi dicat: Nullum omnino mendacium eſt volendum. quòd ſi aliquādo mendacium nobis elabatur, cauendum eſt ab eius aſſiduitate. Ea enim res peſſima eſt. Siquidem

Pſal.128. *Iohan 14.* *Iohan.8.* *Vatablus.*

vir mendax indignus eſt hominum conſortio. Quomodo fidas viro mendaci? Verum planè illud Conſulti eſt: Nihil eſt magis è re hominum, quàm pacta & conuenta ſeruare. ¶ Habemus hinc primùm, omne mendacium eſſe malum. Tum etiam voluntatem mentiendi eſſefugiendã. Demum, quòd licet actus vnus aut alter mentiendi, non ſit adeò malus, atqui, aſſiduitas in malo, malum grande facit. Peſſima, inquit, res eſt. *Noli verboſus eſſe in multitudine presbyterorum: & ne iteres verbum in oratione tua.* In ſenibus eſt Sapientia: & vbi multi ſenes ſunt, aliqui ſapientes erunt, Ergo quando coram eis habebis orationem, ea ſit circunſpecta, limata. Ne iteres, aut multiplices verba. Cùm enim illi ſapientes ſint, iam te intellexerunt, etiam in primo verbo: & in multiloquio tuo forſan peccabis, & riſum illis facies. Vt riſit Hãnibal ſenem illum, qui de bello, coram tanto duce, multa verba profudit. De hac re infrà c.32. ¶ Si verbũ illud, in oratione tua, intelligatur de oratione ad Deum, intelligi debet textus iuxta illud, Orantes, nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt. Vbi non prohibentur multa verba in oratione: ſed (quod Dominus ſubdit de Ethnicis) putare ſe in multiloquio exaudiri, Sicut Sacerdotes Baal, qui clamabant de manè ad veſperam. Igitur admonemur, ne credamus, Deum non audire, niſi multis verbis excitatum. Audit enim, etiam antę labiorum motum,

Vlpianus. *Prouer.10.* *Hannibal.* *Eccli 32.* *Matth.6.* *4.Reg.18.*

QVAR-

QVARTA PARS.

Inſtituit hominem erga ſe, amicos, vxorem, ſeruos, pecora, filios, filias. Patrem, Sacerdotes, & Deum.

NON *oderis laborioſa opera: & ruſticationem creatam ab Altiſſimo.* Hîc inſtituitur homo erga corpus ſuum: & iubetur, vt ſe exerceat in operibus laborioſis: maximè in agricultura. Nam diuturna quies vitijs alimenta miniſtrat, & corpus ocio marcidum languoribus opprimitur. ¶ Notabis agriculturam creatam, & inſtitutam à Deo. Poſuit enim hominem in paradiſo, vt operaretur in eo, id eſt, vt eſſet eius agricola. Et eiecto homini è paradiſo, agriculturam indixit, dicens: Maledicta terra in opere tuo. in laboribus comedes ex ea. Cæteras artes hominum inuenit induſtria. vt Iabel inuenit artem paſtoralem: Iubal muſicen: Tubalcaim arma, & quæ ex ferro fiunt. Et certè nullibi ita poteſt innocentia coli, vt in agricultura. *Non te reputes in multitudine indiſciplinatorum. Memento iræ. quoniam non tardabit. Humilia valde ſpiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Hîc inſtituitur hominis animus. & primùm admonetur, ne velit eſſe è numero carentiũ diſciplina Dei; ſit potiùs è numero eorum, quos Deus docuit bonitatem, diſciplinam, & ſcientiam. Nam dictum eſt, Beatus, quem tu erudieris Domine. & quos Spiritus ſanctus docet

7 *Geneſ.2. Geneſ.3. Eodem. Geneſ.4. Pſal.118. Pſal.93. Iohan.16.*

1.Reg.10. omnem veritatem. Abierunt, inquit, cum Saul, quorum Dominus tetigit cor. Hi ita tacti ſunt diſciplinati. Reliqui, quos æquus non amauit Iupiter, hi ſunt indiſciplinati, à quorum imitatione ſuum Eccleſiaſticus reuocat auditorem. & addit, Memento iræ, quam Deus mõſtrabit tempore mortis, Iu-
Eccli 7. dicij, & inferni. Dictum enim eſt: Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.
Heb.10. Heu quàm horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, ac irati. Et licet videantur mors, ac Iudicium longè diſſita: at non ſic eſt. Non tardabit hæc ira. Breues
Iob 14. enim dies hominis ſunt. Anni eius ſicut ara-
Pſal.89. nea computabuntur. Vapor eſt vita homi-
Sap.2.5. nis: & reliqua, quæ impij, in Sapientia, phi-
Sap.5. loſophantur, & dicunt: Sic nos nati, continuò deſiuimus eſſe. Ergo ô miſeri, dum abeſt pœna, tardè vẽturam vobis promittitis. Dum verò adeſt, culpæ continuam arbitramini. Quod verò ſequitur, Humilia valde ſpiritum tuum, ſumma doctrina eſt. Nam, ſi ita phas eſt dicere, initiũ & medium, neſcio, an finis, peccati eſt ſuperbia. Ergo ferè initium, mediũ, & forſan finis iuſtitiæ eſt humi-
1.Tim.1. litas ſpiritus. Licet enim finis legis ſit charitas, hęc tamen ſine humilitate eſſe nõ poteſt. Quęris, quomodo humiliabis ſpiritũ? Certè hac ratione, ſi corã te ſtatuas, vindictam carnis impij, fore ignẽ, & vermes. ¶ Nota multa. Primum, poſt mortem Deus erit hoſtis impij: & dæmonum miniſterio, ſumet
Pſal.17. de eo vindictam. ô horrendum illud, Cum peruer-

peruerſo, peruerſus eris! Secundum, Deſcendet caro impij in infernũ, vt ibi de ea vindicta ſumatur. Vt enim Iob in carne ſua videbit in Iudicio Saluatorẽ: ita caro ipſa impij ſentiet in inferno Domini vindictã. Tertium, Sumet Deus vindictã de carne impij, vero igne eam cremãdo. Paleas enim comburet igni inextinguibili. Ait etiã Dominus, Ite maledicti in ignem æternum. Quartum eſt, Vermes veri, & reales arrodent carnem impij in inferno. Quomodo enim Author aſſueret igni reali, vermem parabolicũ? Verè igitur dixit Dominus de dãnatis, Vermis eorum non moritur: & ignis eorum non extinguitur. Verè erit putre eorum corpus, quod perpetui depaſcent vermes. Vt enim deliciæ reales inſunt beatis in cælo: ita realia tormenta dãnatis in inferno. & hoc modo illud intellige, Sicut oues (ſ. putres) in inferno poſiti ſunt: mors (id eſt, vermes, quales in ſepultura) depaſcet eos. Ergo qui hæc meditatur, humiliabit valde ſpiritũ ſuum.

Iob 19. Matth. 3. Matth. 25. Marc. 9. Pſal. 48.

Noli præuaricari in amicum pecuniam differentem: neque fratrem chariſſimum auro ſpreueris. 8
Inſtituimur erga amicos: qui ſi non ſint ſoluendo, non propterea eos deſeramus. id eſt, nunquam aurũ, etiam Ophir, tantùm apud te valeat, quantum valet amicus. Aurum & pecuniam contemne, ne amicitiã rumpas. Si eget ille, daturus ei tua eras, crede te dediſſe. Græca lectio etiam hunc ſenſum habet. & meminerit doctus, inter bona externa principem locum habere, non diuitias,

ſed

ſed amicos: vt recta ratio illas propter hos deſerat.

9 *Noli diſcedere à muliere ſenſata & bona, quam ſortitus es in timore Domini. Gratia enim verecundiæ illius, ſuper aurum.* Inſtitutio eſt viri erga
Malach.2. vxorem. Olim in lege dabant viri mulieribus, quas reijciebant, libellum repudij: vt
Deut.24. eſt videre Malachiæ 2. & Deuter. 24. Admonet nunc Author viros, ne diſcedant ab vxore, ſi prudens eſt: ſi proba, & caſta eſt. Maximè ſi non ex libidine, ſed in timore Domi-
Tob.8. ni, vt Tobias, eam ſortiti fuerint. Quòd ſi illa prudens & proba eſt, verecunda etiā erit. Eſt enim caſtitatis fœmineę verecundia comes. At hæc verecundia plus valet, quàm aurum. Poteſt etiam illud, in timore Domini, referri ad vxorem, in hunc ſenſum, quam timentem Deum ſortitus es. Tunc planè gratia huius fœminæ Deum timentis
Matth.19. pręſtat omni auro. Noſtra lex prohibet diſceſſum, etiam ab imprudente, & improba: quantum ad vinculum.

10 *Non lædas ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam.* Inſtitutio eſt domini erga ſeruos. Is ſeruus operatur in veritate, qui quod officio ſuo debet, exequitur: qui functionis ſuæ canones ſeruat. Vt falſò ſeruit, qui cùm nomen habeat ſerui, functionem ſerui non curat. Et videtur mihi Author intelligere de ſeruis vrbanis, qui pecuniam domini tractant. quam ſi fideliter tractant, magnipendendi ſunt, minimeq́ aut verbo, aut verbere, aut alio dāno

læden-

lædendi. Quod addit de mercenario dante animam, explicat officium mercenarij eſſe laborem, vſque ad ſudorem, & vſque (vt mercenarij dicunt) ad exitum animæ. Et reuera laborare integrum diem, ſine intermiſſione, digno labore, velut efflare animã eſt. Quàm igitur ſapienter Author definiuit laborem iuſtum mercenarij? Eſt enim dare animam ſuam. *Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem relinquas illum.* Vt habetur Deuter. 15. mos erat Iudęis, ſeruos emptitios habere, ex ipſis Hebręis, qui ſe ex neceſſitate vendebãt. Iubebat porrò Deus, vt anno Iubilei, ſerui liberi efficerentur: nec tamen inopes manu mitterentur, ſed potiùs pleni gregibus, tritico, & vino: vt ibidem habetur. Atqui, tam piam legem violabant Iudæi: vt habemus apud Ieremiam. Author verò iubet legem ſeruari: maximè, cùm ſeruus prudens eſt, quem iubet diligi, æquè ac animã: & non defraudari libertate, ſibi debita ex lege, quæ verba ſine dubio docent ſermonem eſſe de Hebræis ſeruis, quibus debebatur in Iubileo libertas: non verò de ſeruis gentilibus, quibus minimè libertas debebatur. ¶ Collige hinc iuſtum eſſe, prudentibus ſeruis dari libertatem ab heris, maximè cùm hi moriuntur. Collige ſecundò, ſeruis malis, & imprudentibus, quibus ſeruitus melior eſt, quàm libertas, non perinde bonum eſſe liberos dimitti.

Deut. 15. Deut. 15. Ierem. 34.

Pecora tibi ſunt? attende illis: & ſi ſunt vtilia, 11

perſe

perſeuerent apud te. Inſtituitur homo erga pecora. Qui legerit Ioſephũ, inueniet Iudæos maximè vitam paſtoralem elegiſſe. Quod ipſi fatentur, dicentes Pharaoni, Paſtores ſumus ſerui tui,& nos & patres noſtri. Nam & pius Abel paſtor ouium fuerat. quem Iudæi imitabãtur. Hac ratione ſpeciatim Author de pecoribus admõnet: vt dominus pecorum eam curam non reijciat in paſtorum ſuorum oculos: ſed ſuis oculis fidat. Dictũ enim eſt, Oculus domini impinguat equum. Duo verò dicit. alterum eſt: Si inutilia ſunt tibi pecora, ſtultitia eſt, ea retinere. alterum verò eſt: Si vtilia ſunt, maior ſtultitia eſt, reijcere.

Ioſephus. *Geneſ.47.* *Geneſ.4.*

12 *Filij tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia eorum.* Inſtruitur pater erga filios: maximè, vt eos erudiat. Debet pater alere filios: ſed multò magis, vt homo rationalis rationales eos efficiat. hoc enim pater, qui homo eſt, à brutis differre debet. Igitur homo eſt ex intellectu, & affectu. Puer ignoranti naſcitur intellectu. Erudiat ergo pater filij intellectũ. Naſcitur item prauo affectu. Prauum enim eſt cor hominis præ omnibus. Caſtiget igitur pater affectum filij, curuet collum eius: vt virga humilẽ faciat, quem indulgẽtia in ſuperbiam erigeret. Pulcherrimè illud Salomon: Stultitia alligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eã. ¶ Sed illud attendendum, Pueros, à pueritia curuandos. Nam ſerò medicina paratur, cùm mala per longas occaluere moras.

Geneſ.6.8. *Ierem.17.* *Prouer.22.*

Plantu-

Plantulam teneram facilè, quò voles, torquebis: at vbi ſenuerit, ſi dirigere tẽtes, franges potiùs, quàm dirigas. *Filiæ tibi ſunt? ſerua corpus illarum: ne oſtendas hilarem faciem ad illas.* Seruabitur corpus illarum, ſi eas à cõſpectu, & colloquio virorum cohibeas: & maximè à ſecreta cum mulierculis familiaritate. Facies læta eis non debet oſtendi: vt patrem ſemper timeant. Nam fœminæ non adeò amore, vt timore, in officio cõtinentur. Satis eſt filiabus amor, & familiaritas matrũ. Non igitur requirant etiam patrum indulgentiorem affectũ. Credant ex patris ſeueriore vultu, viros eſſe ſeueros: ne illorũ amore facilè afficiantur. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam.* Dum non collocatur filia viro, ſub cuſtodia vigili, & laborioſa, & oneroſa patris eſt. Cùm verò collocatur, velut eam manu mittit pater, reijcitq; à ſe in virum. Grande igitur opus fecit, ſe tanto onere liberans. Tum admonetur pater, ne in nuptijs filiæ, ita opes, genus, aut decorem quærat generi, vt prudentiam. Quorſum enim gener diues, aut honoratus, ſi homo non eſt? ¶ Docet Author, obligari patrem, ad collocandam filiam. Niſi illa meliori viro iũgi velit, ſ. Chriſto, in monachatu. (1. Cor. 7.) Malè igitur facit pater, qui ſi poteſt, filiam viro non iungit. Secundò docet, vix opus maius, ac magis acceptũ Deo, à patre poſſe præſtari, quàm ſi filiã nuptui tradat. Nulla ferè maior eleemoſyna, quàm hæc. Tertiò docet, filiam nuptam

iam

iam non eſſe patris, ſed viri. Tradita enim
Geneſ.2. eſt viro: ac ideo relinquet filia patrem, ac
matrem, & adhærebit viro ſuo.

13 *Mulier ſi eſt tibi ſecundùm animam tuam, non proijcias illam.* Redit ad id quod ſuprà dixerat, ſ. ne proijcias, ſeu repudies mulierem, quæ tibi congruit, quæ tibi placere cupit, quæ tibi æqualis ſortis eſt, quæ te digna eſt. *Et odibili ne credas te in toto corde tuo.* Hoc mẽbrum explicat ſuperiora. Rogaret enim doctus, quâ cauſa poſſet vir vxorem dignam, & placentem repudiare? certè cauſa concubinæ, quam hoc loco vocat odibilem. Tum quia eam poſtea oditurus es: vt quæ opes tuas exhauriat, quarum cauſa tibi coniungitur. Tum quia digna eſt, quam omnes odiant, vt quæ cauſa eſt diſſidij, inter legitimè coniugatos. Tum odibilis eſt, vt ob quam vxor bona, tam indigna patitur à viro. Ergo, inquit, Caue ne probam vxorem repudies, & caue credas te tuæ concubinæ. Con-
3.Reg.11. cubinæ enim auerterunt cor Salomonis, & ex fideli infidelem reddiderunt: & Dauid
2.Reg.11. propter concubinã interfecit Vriam. ¶ Attende hominũm miſeriam. habet vir fœminam, dignã rege marito. Afficitur ille amore concubinæ aliquando indignæ viro bubulco: & huic ita ſe miſer toto corde tradit, vt vxorem odiat, & aliquando repudiet. ô quàm iuſtam pœnam tam grãdis culpa meretur!

14 *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris. Memento, quòd niſi per illos, natus non fuiſ-*

fuiſſes: & retribue illis, quomodo illi tibi. Inſtructio eſt erga parentes, honoris ſ. pietatis, & retributionis. De qua re ſuprà c. 3. dictũ eſt: Suprà c.3.
& de eadem multa Tobias. Illud, gemitus Tob.4.
matris, fateor intelligi poſſe de gemitibus quos mater edidit, cùm puer erat in eius vtero: & cùm ex vtero proferebatur. ſed fortaſſe meliùs intelligitur de gemitibus, quos bona mater edere coram Deo debet, vt filius dignus Deo ſit. quorum exemplum pia Auguſtini mater Monica fuit. Illis pla- Monica.
nè gemitibus multum Auguſtinus debuit.

15 *In tota anima tua time Dominũ, & ſacerdotes illius ſanctifica: In omni virtute tua dilige Deum, qui te fecit: & miniſtros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes.* Inſtitutio eſt erga Deum, & eius ſacerdotes. Deus iubetur primùm timeri, tum diligi, demum honorari. Siquidem initium Sapientię timor Domini. Sacerdotes iuben- Eccli 1.
tur ſanctificari, id eſt, vt ſanctos haberi. Secundò, non derelinqui. id eſt, ne illis neceſſaria deſint. Tertiò honorari, ad modũ quo Deum honoramus, licet in ſuo gradu. Ideò enim prudentiſſimè Author dixit: Honora Deum, honora ſacerdotes. Deo debetur timor, amor, & honor. vt apud Malachiam habetur, dicente Domino: Si pater ſum, vbi Malach.1.
eſt honor meus? ſi dominus, vbi timor meus? addere poterat: & ſi omne bonum ſum, vbi amor meus? Sacerdotes verò, vt vncti oleo ſancto, ſancti haberi debent, & illæſi, ac

illibati: vt miniſtri Regis, virgam regiam habentes. Item, vt qui nobis Sacraméta miniſtrant, dignè tractandi, & honorificè ſuſtentandi ſunt. Demum, vt qui ſacra tangunt, velut ſacri ſunt venerandi. Nos enim ſolemus nimis venerari calices & linthea, quæ noſtra Sacra contigerunt. Sequitur, *& propurga te cum brachijs.* Quidam dicunt, legendum eſſe, propugnato brachijs. Vt Eccleſiaſticus mandet laicis, defendant ſacerdotes brachijs. At non ſum memor alicubi in literis ſanctis, huic mādato aliud ſimile. Siquidem tunc Sacerdotes ſe, ſuis armis defendebant: nec aliena brachia deſiderabāt:
1.Mach.2.3. vt Machabæi ſuo exemplo demonſtrarunt. Alij dicunt ſenſum eſſe, propurga te brachijs: id eſt, non ore ſolùm, ſed opere: non tantùm confeſſione peccati, ſed etiam muneribus oblatis pro eo. Alij volunt ſenſum
Leuit.1.2.3. eſſe: propurga te brachijs, id eſt, armis, & pectuſculis, quæ ſunt brachia animalium, quæ tunc offerebantur pro peccato. Forſan alluſio eſt ad id quod mandatur Leuit.7.
Leuit.7. Qui offert victimam pacificorum, tenebit manibus adipem hoſtiæ, & pectūſculū. Hæc brachijs eleuabat offerens, ac ideo vocabatur pectuſculum eleuationis: vt in eodem
Eodem. cap. dicitur. Ita enim habes, Pectuſculū eleuationis, & armum ſeparationis tuli à filijs Iſrael, de hoſtijs eorum pacificis: & dedi Aaron Sacerdoti, & filijs eorum, lege perpetua, ab omni populo Iſrael. Cùm igitur hęc eſſet lex, vt populus daret pectuſculum ſacerdotibus,

tibus, quod (ex ſacra cæremonia) brachijs eleuabat, ideo inquit, propurga te, brachijs eleuando oblationem, quam pro purgatione oblaturus es. Vel quod germanius mihi videtur, Propurga te, afferens brachijs oblationem hoſtiæ, quæ pro purgatione delicti mactari mãdabatur. Vide Leuitici 5. & 6. Leuit. 5. 6. *Da illis partem ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum, & purgationis. Et de negligentia tua, purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino, & initia ſanctorum.* Quia Leuitica tribus, quæ erat ſacerdotalis, caruit parte, ſeu poſſeſſione inter tribus Iudæorum, mandabat Dominus, vt omnis populus ei daret partem. ſ. primitias omnium, & decimas. Ita habetur Leuit. 27. Leuit. 27. ſed multò expreſſiùs 2. Paralipom. 31. vbi 2. Paral. 31. Ezechias Rex mandat Iſraeli, vt det ſuam partem Sacerdoti: & Iſrael obtulit primitias, & decimas. Hoc igitur admonet Eccleſiaſticus, vt ſ. det populus Sacerdotibus (ſicut mandatum eſt) ſuam partem, id eſt, primitias, & decimas. ¶ Rurſum ſecundò, quia in multis offendimus omnes, & egemus Iacob. 3. purgatione offenſarum noſtrarum: & ea purgatio fiebat offerendo hircum, capram, ouem, agnum, turtures, aut duos pullos columbarum, arietem, & tandem hoſtiam pro peccato, vt Leuit. 4. 5. 6. præcipitur: Leuit. 4. 5. 6. hac ratione iubet Eccleſiaſticus, Da, inquit, Sacerdotibus partem purgationis, id eſt, hoſtiam pro peccato. Cuius ſ. carnes obueniebant Sacerdoti, ad edendum. ¶ Ter-

tiò, quod dicit, De negligentia tua purga te cum paucis, explicatur ex Numeris. c.5. vbi
Num.5. dicitur, Qui per negligentiam mandatum Domini tranſgreſſi fuerint, confitebuntur peccatum ſuum, reddēt ipſum caput, quintamq; partem deſuper, ei in quem peccauerint. Ergo iubet Eccleſiaſticus, vt ſi peccaſti ex negligentia, purges te, vt inde ſua ſacerdoti pars obueniat. Quod verò ſubdit, purga te cum paucis, conſultum voluit ei, qui peccatum fecit: videlicet, ſi furtum confeſſurus es, confitere coram paucis, vt ita famę tuæ proſpiciatur. ¶ Textus qui ſequitur, vt exiſtimo, explicatio, & confirmatio eſt precedentis, licet alijs verbis. Ergo, inquit, *Datum brachiorum tuorũ*, id eſt, decimas ex omnibus, quæ brachiorum tuorum opere tibi cōquiſiſti: *Et ſacrificium ſanctificationis*, id eſt, omnes hoſtias, ſiue pacificas, ſiue pro peccato, quibus Iudæi ſanctificari ſolebant, (vt
Leuit. 4.5.6.7 habemus Leuitici 4.5.6.7.) *& initia ſanctorũ*, id eſt, primitias, hæc, inquit, omnia offeres Domino: vt inde gloria Deo, & pars ſua ſacerdotibus veniat. Non ſum neſcius, hanc explicationem Ianſenio videri ineptã. Vult enim brachiorum, ſignificare armos, & pectuſcula, quæ offerens Sacerdoti offerebat. Sed interim non videt textum dicere, datum brachiorum tuorum. Non dicit, brachiorum ex animalibus: ſed tuorum, id eſt, datum quod ex labore brachioru tuorum tibi contingit, & Deo daturus es. *Et pauperi*

porri-

porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua. Lege cap. 1. Tobiæ, & intelliges locum hunc. Ibi dicitur, Tobias afferebat *Tob.1.* Ieroſolymã omnia primitiua, & decimas, ita, vt in tertio anno proſelytis & aduenis miniſtraret omnem decimationem. Erat enim vſus pijs Iudæis, afferre in templum decimas, hoſtias, primitias, eleemoſynas, quibus proſelyti, & aduenæ alebantur. Hoc eſt quod dicit, Allatis decimis, ſacrificijs, primitijs, affer item eleemoſynã, pro alendis pauperibus. Hac ratione propitiatio Domini & benedictio, quâ te benedicet, perficietur. Tritum enim eſt in Prophetis, Dominum benedicturum his, qui integrè decimas obtulerint. Vide Malach. 3. & Iſaię 1. Ab- *Malach.3.* ſoluit hanc tractationem Author, dicens: *Iſaiæ 1.* *Gratia datus in conſpectu omnis viuentis.* vbi datus eſt gignendi caſu: vt ſit ſenſus, gratia doni. Quæ verba habent multos ſenſus. Primus eſt: Datio, ſeu donatio, grata eſt omni viuenti. ac ſi dicat, Eſto munificus. Nam datio tua, dona tua grata ſunt. Neque eſt, qui non donis gaudeat. Alter ſenſus eſt: Gratioſè & hilariter cuiuis da. Nam hilarem *2.Cor.9.* datorem diligit Deus. Igitur cum gratia da cunctis. Tertius eſt: Gratia doni tui ad omnes perueniat. quod Dominus dicit, Date, *Luc.6.* & dabitur vobis: & omni petenti te tribue. Ergo, quãtum in te eſt, omni viuenti tribue. Ita enim ſimilis eris Altiſſimo, qui implet *Pſal.141.* omne animal benedictione.

Et mortuo ne prohibeas gratiam: non deſis plo- 16

rantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula. Deerat Anthori, inſtituere nos erga mortuos, erga lugentes mortuum ſuum, erga infirmos: id nunc præſtat. Primum membrum explicatur ex c.4. Tobiæ, vbi id Tobias mãdat his verbis, Panem tuum, & vinũ tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue. Hæc enim erat gratia, quam viuus defuncto pręſtabat. & hanc Eccleſiaſticus iubet minimè prohiberi. Et fortaſſe veniebant ad ſepulturam, qui plorantes orarent pro defuncto. quibus cõuiuium parare erat gratia, quæ defuncto conferebatur. Durat enim hoc conuiuium etiam nunc, in quibuſdam Hiſpaniæ locis, & vocatur charitas. Fortaſſe explicatur locus ex ſequentibus. Non deſis plorantibus in conſolatione. vt ſ. tu conſoleris verbo, & opere lugentes defunctum ſuum. Et hæc eſt gratia, quæ mortui cauſa, viuis lugentibus confertur. Demum ne prohibeas mortuo fieri gratiam orationum & oblationum. Eſt enim ſancta & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare. Illud vltimum, cum lugentibus ambula, hunc ſenſum habet: Comitare lugentes: eſto eis pręſidio: fauorẽ illis præbe. Nunquam enim fauor eſt gratior, quàm cùm lugentibus, & triſtitia preſſis affertur.

Tob.4.

2. Mach. 12.

17 *Non te pigeat viſitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Sancti gloriam paradiſi recipient, quia viſitarunt infirmos. Vt contrà miſeri dãnabuntur, quia non viſitarunt. Grandem verò Theologiam docet verbum illud, in dilectione firmaberis. Contingit

Matth. 25.

enim

enim dilectionē augeri, quæ infirma tamen
eſt. Diligebat Petrus Chriſtū, cùm dicebat,
Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non *Iohan.13.*
te negabo : erat verò infirma dilectio, quam
Ancillæ vox ita deiecit. At, inquit, ſi viſita-
ris infirmum, firmabitur dilectio. Non fa-
cilè à dæmone vincetur, qui infirmos viſi-
tare contēdit. Infirmi infirmitas firmat in-
firmam charitatem. Poteſt etiam hunc ſen-
ſum hic locus habere : Ex his operibus, in
Dei dilectione firmaberis. ſ. firmiùs te dili-
get Deus : ac ideo non te in peccata labi pa-
tietur. Hunc ſenſum exigit litera Græca.

In omnibus operibus tuis, memorare nouiſſima tua: 18
& in æternum non peccabis. Videri Author po-
terat, multa à ſuo diſcipulo exegiſſe, in toto
hoc capite : ne igitur ſuperetur tædio tot
mandatorū, addit ſingulare documentū. ſ.
Memorare mortis, ſepulturæ, Iudicij, infer-
ni, gloriæ æternæ, ac ita nunquam peccabis.
Et nō dicit, nunquā poteris peccare. Pecca-
runt enim aliquādo, qui hæc cogitabāt. Sed
quòd remedium efficaciſſimū ad non pec-
candū ſit hęc memoria, niſi aliunde tyrāni-
cus affectus peccādi eam impediat. vt theri-
aca remediū peſtis eſt, niſi à vehemētiſſimo
humoris veneno impediatur. Ergo cū duo
ſint retinacula, quibus homo à præcipitio
peccati cohibetur, timor ſ. mali, & amor bo-
ni: quid poterit magis hominē continere in
officio, q̃ timor ſummi mali, id eſt, inferni :
& amor ſummi boni, id eſt, paradiſi? Rectè
ergo dicit, hęc cogitare prohibet hominem,

ne peccet. Porrò licet filiale ſit, amore boni, cohiberi à malo: ſeruile verò, ab eo cauere, timore mali: conſultiſſimè tamen Author vtrunque dixit. Vt ſi amor boni hominem non continuerit, certè mali timor cōtineat. Quia nonnunquam fumus concupiſcentiæ adeò offuſcat flammam charitatis, vt (niſi ventus timoris fumum diſijciat) tota domus tenebris peccati obruatur.

CAPVT VIII.

PRIMA PARS.

De Litibus, & rixis.

1 NON *litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Non contendas cum homine locuplete, ne fortè è contrà conſtituat tibi litem. Multos enim perdidit aurum: & vſq; ad cor Regū extendit, & cōuertit.* Pro litiges, Græcis eſt, pugnes. quod ſenſui quadrat. ſ. fuge pugnam cum robuſto, ne illi ſuccumbas. Noſtra verſio docet, non pugnandum cum homine principe: ne irritatus vindictā ſumat de te: & laqueum tibi paret, vbi pereas. Rurſum docet, cum diuite non eſſe habendam litem. ne fortè, inquit, conſtituat, & ſtatuat, & firmet litem ex parte ſua, ac ita vincat. Quæris quomodo firmabit litem? explicat pulcherrimè litera Græca, quæ (pro, conſtituat tibi litem) habet, ne fortè ſtatuat contra te pondus. ſ. pondus auri, vel

vel argenti. quo ſua cauſa peior, facta tamen auri pondere grauis, tuam cauſam eleuet, & vincat. Vt lupus, qui ieiunus, tauro vincendo non eſt par, at ſaburratus pondere arenæ, quam ante pugnam vorat, miſerũ taurum proſternit: ita cauſa diuitis, ſi ieiuna Iudicem aggreditur, vincitur: ſi ſaburrata, Iudicẽ ad ſe trahit, & proſternit. Ideo ſubdit, Aurũ multos iudices perdidit. imò corrumpit Reges, ad quos etiam, minimè egenos, vim incantationis ſuæ extendit, excantat, atque peruertit. Auri enim ſacra fames, quę non mortalia pectora cogit? Egent quædam fœminæ veneficijs, vt amentur. Aurum non eget: natum eſt veneficum: vt ſe oſtendit, videntes excantat. Si in Reges ita exerit vim ſuam, quid in pauperibus efficiet? Virgilius.

Non litiges cum homine linguato: & non ſternes in ignem illius ligna. Homo linguatus dicitur linguax, verboſus, effrenatus: qui bilis flamma ſuccenſus, nihil non iniuriarum effutit. Cum hoc qui iurgatur, aut litem habet, perinde facit, ac ſi igni ligna miniſtraret. Offert enim illi materiam ad maledicendum, & ignem bene ſopitum, malè exſuſcitat. 2 Linguatus.

Non communices homini indocto: ne malè de progenie tua loquatur. Græca docent, de qua communicatione Author intelligat, ſ. de colluſione: ſeu de familiaribus iocis cum ſtulto, & inſcio homine, id eſt, qui iocorum iura neſcit. Hiſpanè dicitur, No burleys 3

con necio. Luſitanè, Não zombeys com paruo. Si enim eum ioco irritaueris, ſi quid maculæ progenies tua ocultum habet, ille proferet in lucem.

SECVNDA PARS.

Eſt inſtitutio erga peccatores, ſenes, mortuos.

4 NE *deſpicias hominem auertentem ſe à peccato: neque improperes ei. Memento, quoniam omnes in corruptione ſumus.* Scio, pro corruptione, Græcis legi, in correptionibus. vt ſit ſenſus, Nulli peccatori improperandum. *Iacob. 3.* Omnes enim habemus, quod corripiẽdum ſit, & nemo ſine crimine viuit. At lectio noſtra grandis eſt, & habet hunc ſenſum: Omnes peccamus. Qui igitur in peccato perſeuerat, reprehendendus eſt. Nam vt *Hieronymus.* peccare eſt humanum: ita perſeuerare diabolicum. Qui verò à peccato ſe auertere vult, hic non iniuria afficiendus: ſed adiuuandus eſt, & fouendus. Cur ita? quia omnes ſumus in corruptione. & vt, quem reprehendis, corruptus fuit: ita tu, qui reprehendis, breui corrũperis. Dictum enim *1. Cor. 10.* eſt, Qui ſtat, videat ne cadat. Cecidit Lu- *Iſaiæ 14.* cifer, Adam, Dauid, Salomon, Ezechias. *Geneſ. 3.* At Theologia hujus loci eſt. Vt corpus noſtrum ſemper tendit ad corruptionem, eſt enim in eo materia, quæ ſemper machinatur maleficium: ita anima noſtra ſibi relicta tendit ad malum. quia cuncta cogitatio

tatio humani cordis intenta eſt ad malum:
vt in Geneſi dicitur. ¶ Hinc tria collige. Geneſ.6.8.
Primum, tu, qui improperas auertenti ſe
à peccato, mereris propterea, te tibi relin-
qui: at relictus tuæ corruptioni, peccabis.
Secundum, minimè mirari debes, ſi frater
tuus corruptionem ſecum ferens, labatur.
Tertium, multum amare debes, ſi ſe à ſua
corruptione diuellat.

Ne ſpernas hominem in ſua ſenectute. Etenim 5
ex nobis ſeneſcunt. Sunt ſenes importuni, mo-
roſi, rixoſi: dicunt, faciuntq; ineptè multa.
Eâ cauſa ſpernuntur à multis. At indignè
ſpernam, ſiquidem & ego ſenex ero. Non
igitur ſpernam, ne ſpernar. imò contrà, ſe-
nes venerandi ſunt, vt in quibus Dei æter-
nitas reſplendet. Tu verò intellige, contem-
ptum ſenis eſſe peccatũ, quod promeretur,
vt, cùm ſenuerit, qui ſpreuit ſpernatur.

Noli de mortuo inimico tuo gaudere: ſciens, 6
quòd omnes morimur: & in gaudiũ volumus ve-
nire. Græca litera hoc vltimo membro ca-
ret. Gloſa ordinaria, Rabanus, & Nicolaus
legunt, in gaudium nolumus venire, id eſt,
nolumus, vt inimici de nobis gaudeant. Si
igitur nolo, vt de me mortuo gaudeat meus
inimicus; ita nolim de inimico mortuo
gaudere. Dictũ enim eſt, Cùm ceciderit ini- Prouer.24.
micus tuus, ne gaudeas. Sed litera noſtra hũc
ſenſum habet: Cùm morimur, volumus in
quietem, & pacẽ venire. At hæc pax (ſi fieri
poſſet) turbaretur, ſi ſciremus inimicos no-
ſtros de noſtra morte gaudere. Anima quæ

in

in Purgatorio eſt, forſan dolebit, ſi ſciat, inimicos ſuos, de eius morte triumphare: & quæ anima in cælo eſt (ſi fieri poſſet) de eadem re doleret. Ita enim dicitur, Illumina Pſal. 12. oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Eodem. Præualui aduerſus eum. Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero. At idem ſpiritus eſt in Dauide, ante mortem, & poſt eam.

7 *Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientium, & in prouerbijs eorum conuerſare. Ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus: & ſeruire magnatis, ſine querela. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceßitatis dare reſponſum.* Boni ſenes multa adducunt exempla maiorum, per quæ ſuadent nobis meliora. Hæc exempla vocat Eccleſiaſticus narrationes, quas iubet minimè deſpici. iubet etiam, vt vitam & actiones noſtras ſenũ prouerbijs accommodemus. Nam ab ipſis ſenibus diſcemus tum Sapientiam, (id eſt, grandem eruditionem) tum doctrinam intellectus, iſt eſt, acumen doctrinæ, ſ. moralis. Tũ diſcemus ſeruire principibus feliciter, & ſine querela: id eſt, vt nec tu, qui ſeruis, querelam habeas de principe, cui ſeruis: neque ille de te, nec conſerui alij eam habeât de te. Quod quàm ſit difficultatis pleniſſimum, non intelliget, niſi qui principi ſeruit. Eſt enim aulica vita,

vita, tota plena querelis. Si apud principem vales, conqueruntur omnes de te. Si non vales, de eo, & de omnibus conquereris. At huic malo ſenum conſilia medentur. Quæ ſequuntur verba in textu, pręcedentiū ſunt explicatio, & confirmatio: niſi quod addit, à ſenibus diſci reſponſa, quæ alijs in neceſſitate reſpondeamus. Cùm enim vita noſtra ſit plena difficultatibus, ac ideo conſilij egena, ex nullo meliore fonte conſilia, quàm à ſenum prudentia ſumemus. Excipe literas ſacras.

TERTIA PARS.
Miſcellanea eſt.

NON *incendas carbones peccatorum, arguens eos: & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.* id eſt, ne ſceleroſum reprehendas, alioqui eius bile, velut carbonibus accenſis, incenderis flamma ſcelerum eius. id eſt, ne irrites bilem ſcelerati, ne eius flamma lædaris. Tu lector attende, nō iubet Author ſceleratum nō reprehendi. Nam Dominus in contrarium iubet, ſ. vt ſi peccauerit frater, arguamus eum. Sed duo præcipit. alterum, ne eius bilem accendamus. alterum maximè admonet, ne ipſum arguamus, ſi nihil aliud ex reprehenſione lucrabimur, niſi quòd eius flamma nos lædat. quando enim ſpes emendationis non lucet, fruſtra arguemus. 8 *Matth. 18.*

Ne contra faciem ſtes contumelioſi, ne ſedeat quaſi 9

quaſi inſidiator ori tuo. id eſt, Ne opponas te viro facili ad proferendas contumelias. Ne ſedēs, rimetur aliquam contumeliã, quam verbis oris tui ille rependat. Quod conſilium tu ne lector intelligas de Superioribus, quorũ eſt ſtare contra ſceleſtos, & eos acerbè punire: ſolùm intellige de eo, qui ſceleſtum arguere ex officio minimè tenetur. & planè nemo tenetur, ſi pro reprehenſione, nihil niſi contumeliam eſt reportaturus.

10 *Noli fœnerari homini fortiori te: quòd ſi fœneraueris, quaſi perditum habe.* Ex Deuterono. habemus licuiſſe Iudæis, Gentilibus fœnerari. Ita enim dicitur ibi, Non fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: ſed alieno. Admonet nunc Author Iudæos per orbem diſperſos, ne potentibus fœnerent: & ſi fœnerare contingat, vt perditũ habeant. Non enim aut illi ſoluent, aut Iudæus audebit repetere.

Deut. 23.

11 *Non ſpondeas ſuper virtutem tuam: quòd ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita.* id eſt, nec Deo, nec homini promittas, quod præſtare aut non poſſis, aut vix poſſis. quòd ſi promiſiſti, intellige tuâ ſponſione obligari te ad reſtitutionem. Notabit doctus lector, eum qui ſpopondit, quod ſimpliciter reddere nequit, non obligari ad reſtitutionem. Obligari tamen eum, qui ſpopondit, quod vix poteſt. ait enim, quaſi reſtituens cogita. fruſtra autem cogitaret, ſi reſtituere non poſſet. Vnde regula ſit, Qui totum votum redde-

reddere non poteſt, reddat partem quam.
poteſt. Adde tu, ex documento Authoris,
hæc difficilima vota minimè eſſe ſponden-
da. Id igitur voue, quod non difficilè præ-
ſtes.

Non iudices contra Iudicem, quia ſecundùm 12
quod iuſtum eſt iudicat. Semper contra Iudices
muſſitamus: non ij ſolùm, qui contra ſe iu-
dicis ſententiã acceperunt, ſed & alij mul-
ti: qui conquerimur Iudices non integrè
ſaum munus exercere. Nec enim maiores
minorum querelas euadunt. Id prohibet
Author, dicens præſumendum eſſe, quòd
rectè miniſtrant, & quòd Deus, quorũ ſunt
miniſtri, eis inſtigat meliora. Sed hîc id qui
legit, intelligat, ſi apertè Iudex ſecundùm
quod iniuſtum eſt iudicat, iam tunc non
prohibetur, quo minùs eũ iudicemus. Tunc
enim iudicium contra alium prohibetur,
cùm eius cauſa in bonum poteſt reijci: non
verò, quando eſt apertè mala.

Cum audace non eas in via: ne fortè grauet 13
mala ſua in te. Ipſe enim ſecundùm voluntatem ſu-
am vadit, & ſimul cum ſtultitia ipſius peries. Au- *Audax.*
dax dicitur, qui facilè alijs nocere auſus
eſt. Cum hoc ne in via eas, ne fortè, vt alijs,
ita & tibi noceat. Ille enim nullo freno ti-
moris Dei aut hominum cohibitus, liberè,
quod libuerit, facit, & per eius ſtultitiam
peribis. Cur igitur, ô Chriſtiane, in via hu-
ius vitæ cum diabolo tam audace progredi
audes? *Cum iracundo non facias rixam, & cum*

audace

audace non eas in deſertum. Quoniam tanquam nihil eſt coram illo ſanguis: & vbi non eſt adiutorium, elidet te. Iracundus eſt, qui facilè irritari, & concitari ſolet. Reliquum huius periodi eſt explicatio præcedentis. Ne igitur abeas in deſertum locum cum audace, quia nihili ille æſtimat effundere ſanguinem: ac ideo effundet, vbi carueris adiutorio, quo ſolitudo caret. Habes hinc, quædam eſſe ingenia crudelia, quæ nihil verentur vitam proximorum auferre. Exemplum ſit Cain, Ioab, Iehu.

Iracundus. *Geneſ. 4.* *2. Reg. 18.* *4. Reg. 10.*

14 *Cum fatuis conſilium non habeas: non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent. Coram extraneo non facias conſilium: neſcis enim quid pariet. Non omni homini cor tuum manifeſtes: ne fortè inferat tibi gratiam falſam, & conuitietur.* Tractat de conſilijs, & ſecretis. Illa non ſunt requirenda à ſtulto. quod enim conſiliũ ſtultus dabit, niſi ſtultum? Illa enim conſiliabitur, quæ illi placent. Stulto, ſtulta. Similiter cauenda ſunt conſilia ab extraneis, qui non ſint amici probati. neſcis enim an fidem & ſecretum ſeruabunt, an verò perniciem tibi parient. Demum ſecretum tuum, aut nunquam eſt reuelandum: id quod tutius eſt: aut ſi reuelandum eſt, probatiſſimo viro reuelandum eſt. Alioqui, ſi alij reuelaueris, gratias tibi aget ficté, quòd ei cor tuum volueris aperire: ſed poſtea conuitiabitur, quòd inſcius ſis, vt qui reuelaueris homini, quem non adeò agnoſcebas. Tu aduerte

uerte morem noſtrum, tunc etiam fuiſſe, ſ. agendi gratias, ijs qui ſua nobis reuelant ſecreta. & meritò, debeo enim gratias ei qui putát me fidum, & probatum, cui ſua ſecreta committat.

CAPVT IX.

PRIMA PARS.

Inſtituit virum pium erga Fœminas.

NON zeles *mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.* Id eſt, Ne ſis zelotypus in mulierem quam diligis, & in ſinu tuo foues. Ne illa tædio zeli tui, artem machinetur, quâ adulterium committat. Hoc modo oſtendet malitiam artis ſuæ. quæ enim mala fœmina eſſe vult, artes excogitat, quas nemo crediſſet. Forſan per doctrinam nequam intelligit artem veneficam, & incantationes, quas fœminæ, zelo virorum afflictæ, ſibi contra maritos quærunt. 1

Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ: ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris. id eſt, Ne ita vxorem ames, vt illa ſit domina, tu verò ſeruus. Cùm tamen naturæ lex ſit, vt vxor ſit ſub poteſtate viri. alioqui, ſi illa tui dominetur, duplex periculum incurris: prius, quòd tuam virtutem, & facultates ſtultè exhauriet: ac ita in ignominiam incurras. poſterius, quòd & ſi non exhauriat, 2 Geneſ.3.

tamen ignominia eſt, quòd illa maior ſit te. Id enim ſignificat, illam ingreſſam in virtutem tuam. Prius periculum experientia docet. quæ enim vxor domina viri eſt, in ornamentis corporis ſui, viri facultates abſumit: ac ideo poſtea ambo miſerè viuunt.

3 *Ne reſpicias in mulierem multiuolam: ne fortè incidas in laqueos illius.* Ex textu Græco manifeſtum eſt, multiuolam ſignificare meretricem. quæ ſ. multos amat, & illaqueat. Idq; eſt eius officium. Caue igitur ab illa, ne artibus eius irretiaris. Neque enim baſiliſcus adeò nocet aſpectu, quàm meretrix artifex. Ille enim corpori nocet, hæc animæ.

Multiuola.

4 *Cum ſaltatrice ne aßiduus ſis: nec audias illam. Ne fortè pereas in efficacia illius.* Græci legunt, cum pſaltrice. cui alludit quod ſequitur, ne audias illam. Sed mihi inſedit, literam noſtram enarrare. quæ explicatur ex eo, quod ſcribit Cælius lib. 5. antiq. c. 3. artem ſaltandi olim fuiſſe mirabilem, adeò ſaltatrices ſuos ſuſpendebant ſpectatores, & attrahebant. Igitur fœmina tunc ſaltans ſuis geſticulationibus ad libidinem prouocabat. Ideo caueri eam, Eccleſiaſticus præcipit. Quid ſi ſaltando, etiam canebat, vt Luſitani ſolent? iam tunc maior erat eius in attrahendo efficacia. Expertus fuit ſuo malo Herodes ſaltatricis puellæ efficaciam.

Cælius.

Matth. 14.

5 *Virginem ne conſpicias: ne fortè ſcandalizeris in decore illius.* Ne conſpicias, ſ. attentus, & ſuſpen-

ſuſpenſus: ne fortè cadas illius captus amore. Natura ſiquidem in dotem virginibus dedit decorem, vt ſ. virum cui nuberét, inuenirent. & illæ in eum ſe finem exornant. Alioquin periculum erat, ne onus matrimonij, viros ab eis ablegaret. Ideo ſanctus Iob dixit: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Conſpexit infeliciter Dinam, Sichem filius Hemor: & Thamar, Amon filius Dauid. *Iob 31.* *Geneſ. 34.*

6 *Ne des fornicarijs animam tuam in vllo: ne perdas te, & hæreditatem tuam.* Cum fornicarijs, id eſt, cum meretricibus. πόρναις. Ne ergo tradas te illis, vt miſeri adoleſcentes ſolent. & tunc ſolebant iuuenes, patrimonia ſua, cœnando cum meretricibus, obligurire. vt Plautus, & Terentius docent. Docuit & filius ille prodigus. Neq; verò ſolùm hîc perditur anima, & abſumitur patrimoniũ: ſed vires corporis libidine ſiccantur & languent. Quod dicit, in vllo, fortè hunc habet intellectum: Ne credas, quòd ſemel à meretrice raptus, tu te poſtea eripies. imò verò ſi te rapit, tenebit. *Luc. 15.*

7 *Noli circunſpicere in vicis ciuitatis: nec oberraueris in plateis illius.* Scio alicubi legi, ne oberraueris in plateis. vt ſit ſenſus, ne circunſpicias, ne erres. At caſtigatiores libri habent, ne circũſpicias, neque oberres. Si enim circunſpicis, vt ames, & mœcheris cum muliere, iam mœchatus es eã in corde tuo. Paulus dicit, Glorificate, & portate Deũ in cor- *Matth. 5.* *1. Cor. 6.*

pore veſtro. Qui onus Dei ſuis in humeris portát, oculos minimè leues habent, vt vicos ciuitatis, & plateas circunſpiciant. Pro plateis, Græci legunt, eremis, id eſt, locos ſolitarios. quæ lectio aperta eſt.

8 *Auerte faciem à muliere compta : & ne circunſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulierū multi perierunt. Et ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Satis erat mulier, vt miſerum

Matth.6. caperet hominē. Satis erat diei malitia ſua. Sed adijcit illa arma noua. Comit enim ſe. Duplex hic funiculus difficilè rumpitur. Difficilè duplicem euades laqueum. Species aliena vocatur, quæ non eſt vxoris tuæ. Multi verò perierunt ex aſpectu fœminarum. imò ferè quis perijt, niſi ex hoc aſpectu? adeò viris pijs, hoc vnicum eſt paratum periculū. Quod dicit, ex hoc, ſ. ex aſpectu fœminæ, concupiſcentia creſcit. Adurit enim ignis ligna: aſpectus, corda. Aſpicit Sol ſpeculum politum, ſurgit flamma in ſpeculo. Aſpicit vir fœminam comptam, ſurgit flamma amoris in viro.

9 *Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* Stercus paratum & expoſitum eſt tranſeuntibus, vt conculcetur: & meretrix expoſita eſt omnibus, vt conſpurcet, & cōſpurcetur. Cur ergo adeò vilem rem; ac ſi pretioſiſſima eſſet, amabis? Cur rei tam ſordidæ hærebis,

rebis, vt vnum cum ea efficiare. Nam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Ac ideo ſi conſpurcatur illa ab alijs, tu crede te ab eiſdem conſpurcari. vt Paulus eſt Author. Illud verò admiratione dignũ, cur potiùs admiremur ſpeciẽ mulieris alienæ, quàm noſtræ: cùm frequenter, noſtræ ſpecies ſpeciem vincat alienæ? Certè quia nitimur in vetitum. & pulchrius viſum eſt pomum ſcientiæ matri noſtrę Heuæ, quàm reliqua paradiſi poma. Et aquæ furtiuę dulciores ſunt. Qua etiam ratione, colloquium alienæ, velut ignis inflammat. quia furtiuum eſt: & quia rarum, pretioſum videtur: & demum, diabolus vires ſuas adhibet. *1. Cor. 6.* *Geneſ. 3.* *Prouer. 9.*

10 *Cum aliena muliere non ſedeas omnino: nec accumbas cum ea ſuper cubitum: Et non altereceris cum illa in vino: ne fortè declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem.* Videtur ſermo eſſe de fœmina cõiugata. quod ſuadetur verbo illo extremo, ſ. ſanguine tuo labaris in perditionem. Id eſt, ne maritus eius te occidat: aut legis decreto, contra adulteros, interficiaris. Porrò habemus ex Cælio lib. 27. antiq. lect. c. 25. fœminas ſedentes, cum viris accumbentibus, cœnaſſe. Id eſt, ſedebat fœmina, & ſuper eius gremio, vir cubito innixus, cœnabat. Id verò eſt, quod diſſuadet Eccleſiaſticus. Si enim colloquium fœminæ ita accendit corda virorum, quantò potiùs colloquium, & tanta vicinitas, atque contactus? Rurſum docet idem Cælius lib. 7. c. 26. quales eſſent le- *Leuit. 20.* *Cælius.* *Cælius.*

Plinius. ges conuiuij: quas ille accepit ex Plinio. Earum vna erat, plurimum vini, vno hauſtu, abſumere. Hoc erat altercari ſuper vino, quis ſ. plus vini vnico ictu voraret. Id prohibet fieri Author, cum vxore aliena. Libidinis enim flãma ſimul hauritur cum vino. Sapienter porrò dicit, ne declinet cor tuum. nam recta amoris via in propriam vxorem eſt. à via declinat, qui amat alienam. Hactenus de fœminis.

SECVNDA PARS.

Varia docet.

11 *NE derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit ſimilis illi. Vinum nouum, amicus nouus: veteraſcet, & cum ſuauitate bibes illud.* Nulla ratione relinquendus eſt temere amicus antiquus, quem ratione delegiſti, & experientia probaſti. quòd ſi nouum tibi videtur habere, maiorem temporis proceſſu in nouo inuenies amico. Porrò vinum nouum ſeu muſtum, crudum adhuc eſt, nec à liberalibus viris bibi ſolet. Sed expectatur, vt veteraſcat, tunc bibitur. ita amicus nouus conſeruãdus quidem eſt. Vt tamen ei amorem & confidentiam exhibeas, expecta vt veteraſcat. Memoria dignum eſt, quod ex Plutarcho, & Macrobio Cælius citat. lib. 28. c. 37. Vini infantia, quæ prædulcis ſentitur, mox dum in pubertatem abit, ſuauitatis induit proprietatem. Ergo vinum nouum, cùm infans eſt, ſuaue non eſt. Cum ſuauitate bibetur, cùm ætate proceſſerit.

Plutarchus. Macrobius. Cælius.

Ideo

Ideo Author dicit, veteraſcet, & cum ſuaui-
tate bibes illud. nam vt ait Dominus, Vetus *Luc.5.*
vinum melius eſt. Ergo Chriſtiane, ea do-
ctrina, is cultus Dei, qui à tempore Chriſti
& Apoſtolorum in Eccleſia conſenuit, bi-
bendus eſt. Meliora enim illa ſunt. noua
tamen, conſeneſcant, vt bibantur.

Non zeles gloriam, & opes peccatoris: non 12
*enim ſcis, quæ futura ſit illius ſubuerſio. Non pla-
ceat tibi iniuria iniuſtorum: ſciens quoniam vſque
ad inferos non placebit impius.* Pſal.36. dicitur:
Noli æmulari in malignantibus, neque zé- *Pſal.36.*
laueris facientes iniquitatem. Pſal.72. dici-
tur: Zelaui ſuper iniquos, pacem pecca- *Pſal.72.*
torum videns. & Ierem.12. habetur zelus, *Ierem.12.*
& indignatio eius contra peccatores. In-
quit ergo Eccleſiaſticus, ne excandeſcas
contra Deum, videns gloriam & opes, quas
peccatori largitur. Si enim noſſes, quanta
ſit in inferno ſubuerſio eius, forſan excan-
deſcentia in compaſſionem verteretur. Ali-
cubi pro zeles, habetur imiteris, cui ſenſui
ſequentia conſonant. Ait enim, Non place-
at tibi iniuria, ſeu nequitia peccatoris, ſci-
ens quòd vſque ad inferos non placebit
Deo peccator: quantò minùs placebit in
inferis? Et equidem ſi poſt huius vitæ feli-
citatem placiturus eſſet peccator Deo, erat
cur iuſtus indignaretur, & peccator fieri
vellet. At in æternum ille non placebit.
¶ Nota, humano ingenio ſciri non poſſe,
quanta ſit impij pœna. ¶ Nota ſecundò, ne-
quitiam diuitum vocari iniuriam: quia,

vt plurimum, opes multæ, nec acquiruntur, nec poſſidentur ſine aliorum iniuria. ¶ Tertiò nota perpetuum quod cum peccatore Deus odium gerit. Licet enim lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam: dolebit tamen (ſi liceret) in æternum, videns peccatum, quod fuit cauſa vindictæ.

Pſal. 57.

13 *Longe abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non ſuſpicaberis timorem mortis. Et ſi acceſſeris ad illum, noli aliquid committere: ne fortè auferat vitam tuam. Communionem mortis ſcito: quoniam, in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis.* Homo habens poteſtatem occidendi, Nicolao dicitur, tyrannus crudelis. Poteſt tamen quiuis princeps intelligi, qui ſ.offenſus, impunè ſolet occidere. Horum familiaritatem diſſuadet Author. Sunt enim illi vitrei, facilimè irritantur: & nos, quæ noſtra fragilitas eſt, facilimè committimus, quæ illos irritare, & offendere poſſunt. Rurſum placent illis nonnunquam mala: quæ viro pio placere non debent. Caueat igitur eos. Nam ſi pius pia, contra principis voluntatem, velit, ſuſpicabitur mortem ſibi imminere. Hæc verò ſuſpicio mortis, morte ipſa grauior eſt. Quòd ſi caſus aliquis facit, vt pius principi ſit familiaris, caueat, ne quid admittat contra eum, ac ideo vitam amittat. ¶ Quod ſequitur videtur difficile, eſt tamen hic eius ſenſus: Tu vir pie, cui familiaritas principis contigit, ſcito tuam

Nicolaus.

cum

cum illo communionem, ſeu communicationem, eſſe communionem mortis. Nam tractans cum illo, puta te ingredi in medio laqueorum: & in medio armatorum militum, qui contra te dolent. id eſt, qui conceperunt contra te dolorem, ex graui aliqua cauſa. Ergo, qui in medio laqueorum verſatur, ſi vnum cauet, alterum vix poteſt cauere: ita ſi in vno principi places, vix cauebis, quin in alio diſpliceas: ſi pius es. Similiter ſi hoſtes habes, dolorem contra te grauem gerentes, & inter eorum gladios, & pilas ambulas, quomodo ea cauebis? ita quomodo cauebis principis iras? Non eſt adeò difficile arma cauere hoſtium, qui contra nos infenſi non ſunt. At quomodo infenſorum, & dolentium arma cauebimus, ſi inter eos ambulamus? ¶ Dicet prudens, non eſt adeò periculoſa principum familiaritas, vt eam pinxit Author. imò multi illis familiares, non interfecti, ſed diuites, & glorioſi euaſerunt. At tu contrà, intellige Authorem inſtituere hominē ſanctum, & iuſtum, qui ſancta ſuadeat, iniqua non ferat. Is non habebit opes à principe: ſed potiùs vita priuabitur. Cùm Monachus quidam martyrij amore ſuccenſus, ad Soldanum abiret, à Soldano rogatus, quorſum veniſſet? reſpondit, Vt mortem inueniam, veritatem tibi prædicando. Tunc Soldanus: Ito ad principes tuos, prædica illis veritatem, & mortem, quam apud me quæris, apud illos inuenies. Verè inter arma irato- *Sultanus.*

rum verſatur, qui principi eſt nimis familiaris. Si enim illi iuſta obtrudit, timebit mortem temporalem: ſi ad iniuſta conniuet, incidet in æternam.

14 *Secundùm virtutem tuam caue te à proximo tuo: & cum ſapientibus, & prudentibus tracta.* Dominus dixit, Cauete ab hominibus. Dauid dixit, Induxiſti nos in laqueum, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Paulus dixit, Cùm ſiut inter vos zelus, & contentio, nónne carnales eſtis, & ſecundùm carnem ambulatis? nónne homines eſtis? Cauendum igitur ab eo, qui nihil niſi homo eſt: id eſt, quem ſpiritus Dei, filium Dei, & velut quendam Deum nō fecit. Alium ſenſum offert nobis litera Græca, qui eſt: Secundùm vires tuas explora, penetra, & proba proximum tuum. nec niſi exploratiſſimo crede.

Matth. 10. Pſal. 65. 1. Cor. 6.

15 *Viri iuſti ſint tibi conuiuæ: & in timore Dei ſit tibi gloriatio: & in ſenſu ſit tibi cogitatus Dei: & omnis enarratio tua in præceptis Altiſſimi.* Vita ſancta non eſt triſtis, & tetrica. etiam conuiuia facit, non ſolùm exemplo Tobiæ, ſed Domini admonitione, dicentis: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, &c. ſed cùm facis cōuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos. &c. Ergo ſanctum eſt, conuiuium inſtituere: modò ſit conuiuium iuſtorum, & horum, pauperum: vt fiat conuiuanti retributio in cæleſti menſa. Secundò nec vita

Philip. 4. Tob. 2. Luc. 14.

ſancta

ſancta deiecto animo eſt, vt nunquam glorietur. Gloriari licet, modò in timore Dei. Qui enim gloriatur, in Domino glorietur. 2.Cor.10.
id eſt, agnoſcẽdo Dei donum eſſe, id de quo gloriamur. Gloriatur Ezechias, quòd in 4.Reg.20.
corde perfecto quæſierit Deum. Gloriatur Iob, quòd cor ſuum non eum reprehenderit Iob 31.
in vita ſua: & gloriatur verbis multis, de alijs multis. Gloriatur Paulus, quòd plus 2.Cor.11.
omnibus laborauerit, & de innumeris alijs. Gloriari igitur licet, ſed in timore Dei. videlicet, qui quod dedit humili, auferet ſuperbo; augebit verò agnoſcenti datorem, & gratias agenti pro datis. Tertiò dicit, In ſenſu ſit tibi cogitatus Dei. Ita Dauid, Prouidebam Psal.15.
Dominũ in conſpectu meo ſemper. Ita Moſes inuiſibilem, vt viſibilem, ſuſtinebat. Heb.11.
Ita Elias in conſpectu Dei ſtat. Docet nos er- 3.Reg.18.
go Eccleſiaſticus, vt cogitemus, nos ſemper coram Deo eſſe. Hæc porrò eſt quædam inchoatio vitę æternę. Hæc enim eſt vita æter- Iohan.17.
na, vt cognoſcãt te, &c. Quartò dicit, omnis enarratio tua. Norunt experimento, qui Deum amant, & velut prẹſentem agnoſcũt, quàm ſemper de eo loquantur, quàm ſemper ſermones ſuos in eum deflectant. id eſt, quàm nunquam patiantur de alijs, quàm de Diuinis rebus loqui. Humiliorem ſenſum audi: Omnis narratio ſit, non temere effuſa, ſed præceptis Altiſſimi accommodata, & afformata. iuxta illud: Iucundus ho- Psal.111.
mo, qui miſeretur & commodat: diſponit ſermones ſuos in iudicio, non in leuitate.

In ma-

16 *In manu artificum opera laudabuntur: & princeps populi in ſapientia ſermonis ſui: in ſenſu verò ſeniorum, verbum.* Quia periodus vltima, quam nunc dixerat, erat ſapientiſſimum verbum, ex ſenſu ſuo, iam ſene prolatum, ideo ſubdit, id quod nunc exponimus. Cuius ſenſus eſt: Manus grandis artificis dat

Phidias. ſuo operi laudem. vt manus Phidię, aut Po-

Polycletus. lycleti dedit laudem Veneri, à ſe factę. Rurſum ſermo ſapiens dat laudem principi, qui

3.Reg.3. eum protulit. vt Salomoni dedit laudem iudicium, ſuper filio meretricis. ita ſenſus ſeniorum dat laudem verbis eorum. ac ſi diceret, ſenſus meus, vnde verba ſuperiora, quæ proximè dixi, prolata ſunt, magnam eis laudem conciliat.

17 *Terribilis in ciuitate ſua homo linguoſus. Et temerarius in verbo ſuo, odibilis erit.* id eſt, faciliùs in ciuitate feram ſuſtineas, quàm maledicum. & qui temere quod vult de proximo obloquitur, digniſſimus eſt, quem omnes odio proſequantur. Cur igitur voles maledicus eſſe, ſi propterea fera peior eris? Cur, quod voles, de proximo dices, ſi ideo omnes te odio habituri ſunt? Quis enim maledici linguam non vereatur? & quæ non rixæ, & damna ex maledicentia ſequuntur?

C A-

CAPVT X.

PRIMA PARS

Eſt de Principibus, & Magiſtratibus.

1 IVDEX *ſapiens iudicabit populum ſuum: Et principatus ſenſati ſtabilis erit.* Admonet Reges, & Principes, vt ſi ſapientes ſunt, ipſi per ſe ius dicant populo ſuo: nec id alienis auribus confidant. Adeſt enim magis Deus Principi, ne erret. iuxta illud, Cor Regis in manu Dei eſt, quocũque volet conuertet illud. & illud Sapientiæ, Per me Reges regnant, & Iudices iuſta decernũt. Quòd ſi ſapiens iudex populum ſuum ipſe iudicauerit, eius principatus ſtabilis erit. Nam populus videns ſibi ſeruari iuſtitiam, pro vita Regis, vel Principis rogat: & exauditur, pro multitudine ſua. Si enim vnus audiri ſolet, quantò potiùs populus integer? Litera Græca, pro ſtabilis, habet, ordinatus. Nam Salomonis principatus adeò ordinatus erat, vt Regina Saba, ordinem talem mirata, ſtuperet. Rurſum, pro ordinatus, aliqui libri habent, terribilis. Et certè principatus Salomonis adeò terribilis fuit, vt nemo contra eum inſurgere auſus fuerit. Prouer. 21. Prouer. 8. 3. Reg. 10. 3. Reg. 9.

2 *Secundùm Iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis rector eſt ciuitatis, tales inhabitãtes in ea.* Magna curâ bonus princeps bonos conquirit miniſtros: per quos, velut per manus, populum gubernet. vt Deus pulcherrimis

Ange-

Angelis, puriſſimisq́ cælis, & luminaribus hunc mundum adminiſtrat. Quòd ſi Princeps puros, & iuſtos habeat officiales, purgabunt ciuitatem, nec ſinent in ea aliquid fęcis, & ſordium latere. Ergo vt ex ſanitate capitis, ſanitas deriuatur ad membra: & ex luce Solis, toti orbi lux communicatur: ita ex bonitate Principis, bonitas in populum infunditur. Dictum enim eſt: Principis ad nutum, totus componitur orbis. Et profundè dictum eſt, Vnguentum ex capite Aaron deſcendere in barbam, & inde in oram veſtimenti eius. O igitur Reges miniſtri Dei, imitatores Dei eſtote. Maximè vos Pontifices, qui eſtis Chriſti miniſtri. Nec dubium, ſi vos Chriſtum imitemini, quales vos, tales erunt inhabitantes diœceſes veſtras. Sed ô peccatum in principibus grauiſſimum. cauſa enim eſt multorum in vrbe delictorum. de hoc ſuprà. c. 7.

Pſal. 100. *Pſal. 132.* *Suprà cap. 7.*

3 *Rex inſipiens perdet populum ſuum: & ciuitates habitabuntur per ſenſum prudentium.* Perdiderunt populum ſuum Adam, Saul, Roboam, Ieroboam. Et vix inuenies populum exciſum, niſi ſub Rege inſipiente. Contrà ſenſus, & prudentia Principis florentem Rempub. facit. Iuxta illud, Florebunt de ciuitate, ſicut fœnum terræ.

Pſal. 71.

4 *In manu Dei poteſtas terræ: & execrabilis omnis iniquitas gentium, & vtilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam.* Miratur Ianſenius, vnde irrepſerit particula illa, execrabilis omnis iniquitas gentium: nec credit, ab interprete

hoc

hoc loco poſitam. Quid tamen faciet Marcello Papæ, qui eam ante tot tempora in ſua epiſt.1. legit? ſine dubio de textu pars illa eſt, & diuiniſſimum ſenſum habet, ſ.imperium totius terræ in ſolius Dei manu eſt: & quia execrabilis eſt ei omnis iniquitas gentilium, tædio iam tot iniquitatum eorum offenſus, Chriſtum vtilem rectorem, tempore ſuo (id eſt, cùm venerit plenitudo temporum) ſuſcitabit, ſuper totam terram. Senſum hunc eſſe natiuũ, probat, quòd nullus rector ſuper vniuerſam terram, à Deo ſuſcitatus eſt, niſi Chriſtus. Probat item, quòd hoc ſenſu ſuauiſſimè litera fluit. Probat demum, quòd Chriſtus venerit; vt execrabilis iniquitas gentium finem acciperet. Tu lector intentiùs perſpice, imperium totius terrę in ſolius Dei manu eſſe: quod Deus dedit Chriſto ſuo, excitando eum ſuper terram. iuxta illud, Deus iudicium tuum Regi da: & iuſtitiam tuam filio Regis. & illud, Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo. Fruſtra verò rem adeò claram explices, quòd ſ. Chriſtus fuerit vtilis rector: cùm ſe dederit in ſocium, cibum, pretium, & præmium.

Marcellus. *Galat. 5.* *Dan. 9.* *Pſal. 71.* *1. Reg. 2.*

In manu Dei poteſtas hominis, & ſuper faciem ſcribæ imponet honorem ſuum. 5 Libet perſiſtere in expoſitione, quam cœpi. Ait igitur Author: In manu Dei eſt felicitas, gloria, & honor, quem conferat homini. Hunc honorem, hanc gloriã imponet ſuper ſcriba ſuo, id eſt, ſuper Chriſto, ſcriba docto in regno

cælo-

cælorum. Num nō tibi videris audire Paulum dicentem, Videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum? Si verò credis hunc ſenſum pium magis eſſe quàm germanum, expende exactiùs illud, imponet honorem ſuum, id eſt, qui illi debetur. at cui Deus impoſuit honorem ſibi debitum, niſi Chriſto? Si durius tibi videtur, Chriſtum ſcribam vocare, intellige, Iudæis Scribam eſſe legis doctorē. At Chriſtus fuit doctor Iuſtitiæ, vt nemo neſcit. Ergo ita ſuauem textum habeto: In manu Dei eſt, felicem, & honoratū hominem facere. Talem Chriſtum fecit, dans ei honorem ſuum: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. Tu verò illud expende, In facie Chriſti honor poſitus eſt. quia reſplenduit facies eius, ſicut Sol. videlicet, vt quæ facies Dei erat.

Heb.2. Iohel.2. Philip.2. Matth.17.

6 *Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ.* Admonitio prima boni principis eſt, vt nihil minùs memoretur, quàm iniuriæ ſuæ: nec quicquā agat in eius vltionem. Præſtitit id præ omnibus, Chriſtus: qui pro crucifixoribus rogauit. Laudatur & hinc Cæſar, quòd ſuarum iniuriarum obliuiſceretur, vt ei Cicero tribuit. Pulchrè illud Seneca: Nihil glorioſius principe, impunè læſo, & alia multa, quæ habet lib.1. de Clementia. c.19.20. Memoriæ adducat princeps, quòd cùm omnes apes aculeum habeant, earum rex eo caret. Nihil denique eſt bono principe dignius, quàm clementia. & de Deo dicitur: Cui proprium eſt miſe-

Luc.23. Cicero. Seneca.

miſereri ſemper, & parcere. ¶ Dices, quid non vlciſcetur iniuriam ſuam, Rex? Vtinam nunquam, quia ſua: aliquâdo tamen, quia Reipublicæ. vt de monachis in quodam Quodlibeto dixit Thomas. *Thomas.*

Odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia: & execrabilis omnis iniquitas gentiũ. Secunda Principis admonitio eſt, ne ſit ſuperbus: quia ſuperbia eſt Deo & hominibus odibilis. Rurſum tertia admonitio eſt, vt caueat ab omni gentium iniquitate: quia eſt Deo & hominibus execrabilis. quam vocet iniquitatẽ, ſtatim docebit. Quàm verò ſit Deo odibilis ſuperbia, docuit ſuo malo Lucifer, Adam, Roboam, Nabuchodonoſor, Sennacherib, & alij. Quàm ſit odibilis hominibus, docet humilitas ipſis gratiſſima. & illud, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Vt ſit maximè mirandum, quòd adeò ſuperbiam odiamus in omnibus, maximè tamen eam admitttamus in nobis. Sed interim, quòd ſuperbi ſumus, inde maximè declaratur, quia aliorum ſuperbiam minimè ferimus: aliorum ſubiectionem maximè deſideramus. Hæc igitur ſuperbia noſtra cauſa eſt, cur ita odiamus alienam. Deus verò odit ſuperbiam, quia ipſa omnis peccati initium eſt. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Principum Gentilium frequentior iniquitas erat, quòd iniuſtè iudicarent: quòd iniurijs, & contumelijs immerentes afficerent: quòd per diuerſos dolos, aliena ſur-

7 *Iſaie 14.* *Geneſ.3.* *3.Reg.12.* *Dan.4.* *4.Reg.19.* *Eccli 10.*

ripercnt. Ab his iniquitatibus, iubet Author, vt Princeps caueat: tum, quia ſunt Deo & hominibus execrabiles: tum, quia propter eas regnum à gente, in aliam gentem transfertur. ¶ Nota vehementiſſimè cauſas, cur regnum ab aliquibus trãsfertur. Prima eſt iniuſtitia. Græcis eſt ἀδικία, quam definit Ariſtoteles in Rhetoricis, eſt vis, quâ aliena retinẽtur, contra leges. Eraſmus eam definiuit, eſſe malitiam, non ex errore, ſed conſultò. Secunda cauſa eſt iniuria, Græcis, ὕβρις. id eſt, procacitas, petulantia: ſignificat etiam delicias, & luxum. Tertia eſt contumelia. id eſt, probrum iactum in alium. Quarta eſt diuerſi doli, Græcis eſt, opes dolo partæ. Igitur, cùm hæ quatuor iniquitates in aliquo regno abundarint, eius translatio proxima eſt.

Ariſtoteles. *Eraſmus.*

8 *Auaro autem nihil eſt ſceleſtius. Quid ſuperbit terra & cinis? Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam. hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vita ſua proiecit intima ſua.* Quarta admonitio eſt, ne ſit Princeps auarus: quia nihil eſt auaro ſceleſtius. Cur ita, ſtatim docebit. Quod interijcit, Quid ſuperbit terra & cinis? vel refertur ad ſecundam admonitionem iam dictam, vel taxat finem, ob quem ſunt Principes auari. Ideo enim congerunt immenſam vim diuitiarum, quia nihil ſuæ magnitudini, & celſitudini credunt eſſe ſatis. Sapientiſſimè verò oppoſuit puluerem, & cinerem ſuperbiæ. Cur enim Princeps ſuperbiat, cùm ſit ex corpo-

corpore, puluis: ex anima, vt cinis? Planum eſt, cur ſit ex corpore puluis. ex puluere enim eſt, & in puluerem reuertetur. *Geneſ.3.* Porrò anima, ſine gratia, cineri aſſimilatur: quia vt extincto igne, manet cinis, ſine luce, & ſplendore, & vita præcedenti: ita extincta charitate, manet anima, velut cinis, ſine gratię vita, & ſplendore. ¶ Iam Author explicat, cur auaro nihil ſit ſceleſtius. Et ego optabam, ad auarum Principem referre, quo nihil ſit ſceleſtius, & iniquius. à nullo enim expectari maiora mala poſſunt, quàm à Principe, lucri gratia, ius, phasq; corrumpente. & planè textus Græcus, pro iniquo, legit ἀνομώτερον. id eſt, magis contra leges. Quid verò magis eſt contra leges, quàm Princeps auarus. Vt, qui boni publici conſeruator eſt, is ſit eius deſtructor, gratia boni priuati? Sed legamus textum noſtrum fuſiùs. Auaro nihil eſt ſceleſtius. Nam Iudas Chriſtum vendidit auaritiæ cauſa. *Luc.22.* Simoniaci Diuina, ſacraq; vendunt, auaritię cauſa. Romę olim omnia venalia, auaritię cauſa. Et nunc iuſtitia paſſim peruertitur, auaritiæ cauſa. Bella geruntur pleraque, auaritiæ cauſa. &c. Theologi dicunt, in peccato inſpici id à quo auertimur, & in quod conuertimur. Si primum inſpiciatur, grauius peccatum eſt, quod eſt cõtra Deum propriè, quàm auaritia. At ſi ſecundum inſpiciatur, quantò minus bonum eſt, in quod conuertimur, tantò eſt peccatum grauius. Cùm ergo auaritia tendat in pe-

cuniam, quæ inter bona temporalia nouiſſimum locum habet, ideo grauiſſimũ hinc peccatum eſt. id eſt, viliſſimũ. Vide S.Thomam. At niſi ego fallor, ſenſus Authoris eſt, quòd nihil eſt iniquius & ſceleſtius auaritia, quę non ſolùm Deum offendit, & proximo furatur: ſed ipſum auarum omni bono defraudat; facitq; vt vendat animam, ac vitam, & ſuam ſuſtentationem, ne expendat pecuniam. Itaq; in vita ſua abijcit intima ſua. id eſt, in vita abijcit vitam. Non parcit vitæ, & intimis ſuis, vt pecuniæ parcat. Rem planè mirandam. nihil eſt intimius, quàm quòd homo carnem ſuam nutriat, & foueat: atqui, auarus hunc intimum affectum à ſe, pecuniæ cauſa, abiecit. ne dicam, abiecit etiam omnem affectum in proximos. De his ſatis, omnia enim ſunt plena vituperijs auaritię, vt ſunt etiam ipſâ auaritiâ plena.

S.Tho.2.2.q.118.art.5.

Ephes.5.

9 *Omnis potentatus breuis vita. Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus. Sic & rex hodie eſt, & cras morietur. Cùm enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.* Hæc eſt quinta Principis admonitio. Admonuerat eum, ne eſſet iniquus, ſi vellet non amittere regnum: nunc admonet, ne ſit tyrãnus, niſi velit vita viuere breui. Ait igitur, Omnis potentatus, ſupple tyrannici, vita breuis eſt. Si quæras, cur ita? Reſpondet diuinè, licet obſcurè, ſumpta metaphora à Medico. Si Medicus inuenit languorem chronicum, non periculo-

ſum,

ſum, ſolet eum ſuſtinere,& per dies multos curare. At ſi languor breuis eſt, qui citò videtur infirmum abſumpturus, quiq; inducias non patitur, tunc Medicus omnem adhibet diligentiam,quo eum præcidat,& auferat. Ita facit Deus. Si Rex non eſt iniquus, ſed aut negligens,aut alio minore vitio languens,eum ſuſtinet,non ſubtrahit è medio. At ſi rex iniquitate ſua Reipub. peſtis eſt, hunc præcidit, nec diu eum viuere patitur. Caueat igitur Rex à potentatu tyrannico. Aliâs, hodie eſt, cras morietur. Iam verò mortui mali Reges à ſerpentibus, & beſtijs comedi ſolent, ſi iacere inhumatos contingat. Nam Athalia, & Iezabel à canibus comeſtæ ſunt. Si verò humentur, hi qui vorabant populos,vorantur à vermibus. Id verò eſt in hac vita, quid porrò in futura? ibi planè vorantur à dæmonibus, forſan figuras ſerpentium, & beſtiarum habentibus. Nam ita eos pictos videmus. Vorabuntur etiam à vermibus: vt ſuprà dictum eſt.

4. Reg. 11. 4. Reg. 9. Eccli 7.

10 *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor eius. Quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia. Qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis: & ſubuertet eum in finem.* Dixerat in ſecunda admonitione, odibilem eſſe ſuperbiam. Hanc rem, vt germanam principibus,& vnde ſibi magnopere Principes timere debuiſſent, contendit fuſiſſimè explicare. Tradit igitur cauſas ſuperbiæ,effectus,pœnas,& alia. Dicit ergò,cauſam ſuperbię in primo homine

fuiſſe appoſtaſiam à Deo. quòd ſ.cor hominis defecerit à Deo, qui recenter eum tam ſublimibus donis ornauerat. Cùm igitur apoſtaſia, ſeu defectio à Deo, tam ſit abominanda, peſſimæ matris, peſſima erit filia ſuperbia. ¶ Hoc loco Theologus annotabit, Adam peccaſſe ex ſuperbia, quia credidit ſuggeſtioni dæmonis, dicentis, Eritis ſicut Dij. Appetijt igitur eſſe ſicut Deus. quæ grãdis ſuperbia fuit. At verò hæc ſuperbia non fuit primum Adæ peccatum: ſed, vt docet Author, initium huius ſuperbiæ fuit, receſſiſſe cor eius à Deo. Explicat id verò Paulus, dicens: Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi. Attentiſſimè aduertat Theologus, peccatum originale, per quod omnes ſumus conſtituti peccatores, non fuiſſe ſuperbiam, ſed inobedientiam: quę fuit cauſa ſuperbiæ. Ergo Paulus ait, Peccatum primum, per quod peccatores facti ſumus, fuiſſe inobedientiam. Eccleſiaſticus, hanc inobedientiam nominat, receſſionem cordis à Deo, & ab eo apoſtaſiam. quâ ſ. noluit ſubdi præcepto Dei, arboris fructum interdicentis. hæc inobedientia fuit cauſa ſuperbiæ. Et Theologus norit, ex Philoſophia morum, inobedientiam, vt etiam obedientiam, pertinere ad iuſtitiam: Superbiã verò minimè ad iuſtitiam, ſed ad temperantiam. Sicut & Chriſti obedientia, non fuit actus humilitatis, ſed religionis, aut obſeruantiæ.

Apoſtaſia. *Geneſ. 3.* *Rom. 5.* *Eadem.* *Geneſ. 3.*

vt ex D. Thoma colligere eſt facile. Habemus igitur iam, cauſam Superbiæ fuiſſe inobedientiam, & receſſum à Deo. Pergit Author dicere, quid deinde ex ſuperbia ſequatur, & ait, Superbiam eſſe initium omnis peccati. Tu ne intelligas, ſuperbiam eſſe initium inobediētiæ. nam ab hac initium habuit. Sed eſt initium reliquorum peccatorum. Vt ſi ex matre ſit horrenda ſuperbia, non minùs ex filijs. Ergo ſicut Paulus docet, cupiditatem eſſe cauſam, & radicem omnium malorum, quia innumera mala ſequantur ex auaritia: ita, & peius, ſuperbia. è qua, & in Lucifero, & in Adam, omnia mundi mala ſubſequuta ſunt. Quod ait, *Qui tenuerit illam, implebitur maledictis, & ſubuertet eum in finem.* hunc habet ſenſum: Virum ſuperbum omnes execrantur, maximè Deus. Ipſaq; ſuperbia ſenſim hominem ſubuertit. Velut qui muri fundamētum ſenſim excauat, vt in fine totus ruat: ita Deus ſenſim ſuperbum in temporalibus & ſpiritualibus debilitat, vt tandem eum in infernum præcipitet. Contrà Chriſtus, cùm diligit ſuos, qui ſunt in mundo, in finem diligit eos.

2.2.q.108. & q.104.

1.Tim.6.

Iohan.13.

11 *Propterea exhonorauit Deus conuentus malorum, & deſtruxit eos vſque in finem. 2. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. 3. Radices gentium ſuperbarum areſecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus. 4. Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas*

dit eas vſque ad ſundamentum: areſecit Deus ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra. 5. Memoriam ſuperborum perdidit Deus. & reliquit memoriam humilium ſenſu. Primum membrum hunc habet ſenſum; Superborum conuentus inſigni aliquo dedecore Deus dehoneſtauit: vt quia ipſi quærunt ſuum honorem, Deus incidere facit in grauiſſimum dedecus. Vt Sodomitæ,
Ezech.16. quos ſuperbos fuiſſe, tradit Ezechiel. Tu le-
Rom.1. ge Paulum ad Rom.1. videbis gentes elatas, ſuperbas, affectas grauiſſimis probris. Secundum membrum plus aperiũt exempla,
Iſaiæ 14. quàm verba. Vide Angelos deſtructos, item Romanos, vtinam non Chriſtianos. Terti-
Iſaiæ 23. um membrum explicat Tyrus, quæ radicata in maxima fortitudine murorum, diuitiarum, prudentiæ, arefacta eſt tamen. Ex-
4.Reg.vlt. plicat Ieroſolyma, radicata & fundata in ſanctitate, in iuſtitia, in verbis Domini: are-
Iſaiæ 47. facta tamen eſt. Explicauit Babylonia, &c. Quod verò dicit, plantauit humiles, id eſt, abiectos. qui non videbantur vincere poſſe.
Naum 1,2,3. Quartum membrum declarauit Niniue de-
Geneſ.19. ſtructa, Babylon euerſa, Sodoma combuſta, & innumeræ ciuitates, cladibus, incendijs, terræmotibus abſumptæ: quarum, vt habet litera, nulla eſt memoria. Quinti membri veritatem, innumeri duces ſuperbi, & in æterna obliuione ſepulti, demonſtrant.

12 *Non eſt creata hominibus ſuperbia: neq; iracundia nationi mulierum.* Pulchro Epiphonemate

claudit

claudit tractationem de ſuperbia, dicens, non fuiſſe natam ſuperbiã hominibus. Cur enim homo ſuperbiat ex corpore, quod vermes, pediculi, culices, pulices adoriuntur, & perimunt? Cur ſuperbiat ex anima, quam venticulus tentationis aggreditur, & deijcit? Planè nulli eſt ſuperbia nata. Sed ſi cui nata eſt, dæmoni, non homini nata eſt. Cùm tamen nihil putent Principes magis ſibi quadrare, quàm faſtus & ſuperbia. adeò non homines, ſed Deos ſe eſſe putant. Atqui, mors, ſepultura, iudicium, & infernus aperiet homini, an ſit ei nata ſuperbia. Addit, neque iracundia nationi mulierum. Nam illi iraſci conuenit, cui conuenit poſſe ſumere de hoſte vindictam: at id fœmina minimè poteſt. Nata eſt fœmina, vt obediat, *Geneſ.3.* non vt irâ excandeſcat. Mulier fortis fu- *Prouer. vlt.* ſum apprehendat, non arma. Molle corpus illi natura dedit, cur falſò vult, ſub molli corpore, durum gerere cor? Verba illi natura dedit, ſuauia, blanda, quibus corda virorum demulceat: non quibus flammas euomat. Poſſunt hæc verba alium habere ſenſum. Cùm natio ſit verbum ſignificans genus, ſeu natos mulierum, poterit intelligi, non eſſe natam iracundiam nationi mulierũ, id eſt, filijs natis ex mulieribus. Conueniat ira feris, non hominibus. Conueniat his, qui ex diuerſis principijs orti ſunt, non hominibus, ab vnica Heua natis. Nati ſu- *Geneſ.2.* mus ad laborem, non ad iram. & planè indigniſſimum eſt iraſci, cui naſci fuit fœdiſ- *Iob 5.*

 ſimum,

dit eas vſque ad ſundamentum: arefecit Deus ex ipſis, & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra. 5. Memoriam ſuperborum perdidit Deus. & reliquit memoriam humilium ſenſu. Primum membrum hunc habet ſenſum: Superborum conuentus inſigni aliquo dedecore Deus dehoneſtauit: vt quia ipſi quærunt ſuum honorem, Deus incidere facit in grauiſſimum dedecus. Vt Sodomitæ,
Ezech.16. quos ſuperbos fuiſſe, tradit Ezechiel. Tu le-
Rom.1. ge Paulum ad Rom.1. videbis gentes elatas, ſuperbas, affectas grauiſſimis probris. Secundum membrum plus aperiũt exempla,
Iſaiæ 14. quàm verba. Vide Angelos deſtructos, item Romanos, vtinam non Chriſtianos. Terti-
Iſaiæ 23. um membrum explicat Tyrus, quæ radicata in maxima fortitudine murorum, diuitiarum, prudentiæ, arefacta eſt tamen. Ex-
4.Reg.vlt. plicat Ieroſolyma, radicata & fundata in ſanctitate, in iuſtitia, in verbis Domini: are-
Iſaiæ 47. facta tamen eſt. Explicauit Babylonia, &c. Quod verò dicit, plantauit humiles, id eſt, abiectos. qui non videbantur vincere poſſe.
Naum 1,2,3. Quartum membrum declarauit Niniue de-
Geneſ.19. ſtructa, Babylon euerſa, Sodoma combuſta, & innumeræ ciuitates, cladibus, incendijs, terræmotibus abſumptæ: quarum, vt habet litera, nulla eſt memoria. Quinti membri veritatem, innumeri duces ſuperbi, & in æterna obliuione ſepulti, demonſtrant.

12 *Non eſt creata hominibus ſuperbia: neq; iracundia nationi mulierum.* Pulchro Epiphonemate

claudit

claudit tractationem de ſuperbia, dicens, non fuiſſe natam ſuperbiã hominibus. Cur enim homo ſuperbiat ex corpore, quod vermes, pediculi, culices, pulices adoriuntur, & perimunt? Cur ſuperbiat ex anima, quam venticulus tentationis aggreditur, & deijcit? Planè nulli eſt ſuperbia nata. Sed ſi cui nata eſt, dæmoni, non homini nata eſt. Cùm tamen nihil putent Principes magis ſibi quadrare, quàm faſtus & ſuperbia. adeò non homines, ſed Deos ſe eſſe putant. Atqui, mors, ſepultura, iudicium, & infernus aperiet homini, an ſit ei nata ſuperbia. Addit, neque iracundia nationi mulierum. Nam illi iraſci conuenit, cui conuenit poſſe ſumere de hoſte vindictam: at id fœmina minimè poteſt. Nata eſt fœmina, vt obediat, *Geneſ. 3.* non vt irâ excandeſcat. Mulier fortis fuſum apprehendat, non arma. *Prouer. vlt.* Molle corpus illi natura dedit, cur falsò vult, ſub molli corpore, durum gerere cor? Verba illi natura dedit, ſuauia, blanda, quibus corda virorum demulceat: non quibus flammas euomat. Poſſunt hæc verba alium habere ſenſum. Cùm natio ſit verbum ſignificans genus, ſeu natos mulierum, poterit intelligi, non eſſe natam iracundiam nationi mulierũ, id eſt, filijs natis ex mulieribus. Conueniat ira feris, non hominibus. Conueniat his, qui ex diuerſis principijs orti ſunt, non hominibus, ab vnica Heua natis. Nati ſumus ad laborem, non ad iram. *Geneſ. 2.* & planè indigniſſimum eſt iraſci, cui naſci fuit fœdiſſimum. *Iob 5.*

ſimum. habet quod humilietur, non quod
iraſcatur,cui tam ſordidum initium fuit.
13 *Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: ſemen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.* Ac ſi diceret, Non habet homo vnde ſuperbiat. At ſi timet Deum, hinc eſt honore digniſſimus. Vt eſt digniſſimus dedecore, ſi non timet. Planè multum habebat homo vnde honoraretur, ſi, vt creatus à Deo eſt, ita permanſiſſet. Atqui, omni honore exutus eſt, cùm peccato ſe induit. Quando tamen gratia Dei hominem Diuino timore (reiecto peccato) exornat, iam ex dæmoniaco fit homo Diuinus, ac ideo incredibili honore venerandus. Dicente Pſalm. Honorabile nomen eorum coram illo. *In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timēt Dominū, erunt in oculis illius.* Id eſt, Rector, & Princeps, qui in medio fratrum eſt, eſt ab eis honorandus: quia repręſentat Diuinam maieſtatē, mundi gubernatricem. Similiter ergo timentes Deum honorentur à Rectore: ſintq́ in oculis eius. vtpote qui filij Dei, ac quodammodo Dij ſunt. Iuxta illud, Illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt. Et, Ego dixi, Dij eſtis. ¶ Collige primum: Rector non ſuperbiat contra ſubditos. ſunt enim eius fratres. Collige ſecundum: Subditi, quia fratres, non contemnant Rectorem: ſed ſuſpiciant, quia rector eſt. Tertiò, id maximè contendat Rector, vt honoret timentes Deum. O quàm longè tamen ſunt ab hoc conſi-

Pſal. 71.
Iohan. 10.
Pſal. 81.
Iohan. 10.
Pſal. 81.

conſilio Principes noſtri! At dictum eſt, Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum. Pſal. 100. Scio quoſdam intelligere locũ iſtum ita: Honorandus eſt rector à fratribus: ſicut timentes Deum, ſunt in oculis Dei.

14 *Gloria diuitum, honoratorum, & pauperum, timor Dei eſt. Non deſpicere hominem iuſtum pauperem, & non magnificare virum peccatorem diuitem. Magnus eſt Iudex, & potens eſt in honore: & non eſt maior illo, qui timet Deum.* Id eſt, tam diuites, quàm pauperes, & reliqui, hinc ſolùm glorientur, quòd timent Deum. Ac proinde æquum non eſt, vt iuſtus licet pauper deſpiciatur: nec vt peccator, licet diues, magnificetur. Nam equidem grandis eſt in honore potens, grandis item Iudex: ſed nec potens, nec Iudex eſt ita honorandus, vt qui timet Deum. Si videlicet illi Deum non timeant. Nam vt cœpi dicere, timor Dei, qui cum gratia Dei animæ infunditur, Eccli 1. cùm ſit donum Diuinum, dat animæ eſſe diuinum, atque cæleſte. quo minores ſunt Angeli, ſi ſolùm ex ſuo eſſe naturali cenſeantur. Tum timor Dei perfert hominem ad conſpectum Dei. Eodem. hoc verò eſt, quod laude dignũ eſt. Cætera quæ nec hominem Diuinum faciunt, nec ad conſpectum Dei adducũt, laudent cæci, non qui vidẽt ſplendorem timoris Dei. & planè, ſi eſſe angelicum naturale, minus eſt, quàm eſſe Diuinũ, quod timor Dei dat: minus etiam erit eſſe Iudicem, eſſe Regem, & reliqua, quæ natura hominum dat.

SECVN-

SECVNDA PARS.

Varia tradit.

SERVO *ſenſato liberi ſeruient. Et vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus. Et inſcius non honorabitur.* Primum membrũ explicauit Ioſeph, venditus in ſeruum, cui tamen libera AEgyptus ſeruiuit. Nam rectè Salomon, Seruus ſapiens dominabitur filijs ſtultis. Secundam partem veram monſtrauit Petrus, à Paulo reprehenſus, nihil obmurmurans. & rurſum non ſemel à Chriſto reprehenſus, vocatus Satan, & inſimulatus, quòd eſſet modicæ fidei. Cùm enim nemo noſtrũ ſapiens naſcatur, nemo eſt etiam qui omnia ſciat: ac ideo nemo qui doceri meritò recuſet. Iam ſi de moribus argueris, ſi iuſtè, gratias agito. Si iniuſtè, bonum animum arguentis, lauda: malum, aut ride, aut ſuſtine. Tertiam partem ita intellige: Vir inſcius indignus eſt honore, id eſt, functione honorata. Cùm enim cæcus ſit, dignior eſt, vt ab alijs ducatur, quàm quòd alios ducat. Dominus noſter facturus Apoſtolos Principes terrę, priùs eos docuit, aperiens illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas: & dans Spiritum ſanctum, qui ſuggereret omnem veritatem. Gloria Chriſto, qui Concilio Tridentino ſuggeſſit, vt monſtra Epiſcoporum inſciorum ab orbe depelleret.

Geneſ.41. Prouer.17. Galat.2. Matth.16. Matth.14. Luc vlt. Iohan.20. Concilium Trident.

16 *Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore anguſtia. Melior eſt, qui operatur,*

atur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane. Senſus eſt: Noli ita te extollere, vt deſeras opus tuum, quanuis ſit vile: & cùm tibi anguſta eſt res familiaris, noli cunctari, morari, aut differre opus tuum. Melior enim eſt, qui habet ex opere, licet abiecto, quàm qui ſuperbit, & eget. Natus homo ad laborem eſt: ne fugiat congenitum laborem. Beati ſunt, qui labores manuum ſuarum manducabunt, non qui deſident ocioſi. Tu verò prudentiſſimè nota, meliorem eſſe agricolam, & mechanicum, qui opere ſuo habet, vt non egeat, quàm nobilem, & illuſtrem, cuius ſplendorem rigida fames obſcurat.

Iob 5.
Pſal. 127.

17 *Fili, in manſuetudine ſerua animam tuam: & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum. Peccantem in animam ſuam, quis iuſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?* Hic locus multorum ſenſuum capax eſt. Primus conuenit cum præcedentibus, & ſequentibus. ſ. Fili, ſi pauper fueris, ſerua te manſuetum, non iracundum, aut blaſphemũ. Nam iracundia deijcit hominem gradu hominis: ne igitur tu te deieceris: ſed in hominis dignitate ſeruabis. Quòd ſi ex ira non opereris, peccabis in animam tuã, eam neceſſarijs defraudando. Quod malum ſi tu tibi intuleris, quis auertet? Si tu te ita dedecore afficis, quis decorabit? Secundus ſenſus: Serua te fili tranquillum, & imperturbatum. Cùm enim anima tua excelſior ſit rebus alijs, indignum eſt, te ab eis turbari,

aut

aut pollui. Si verò tu te turbaueris,aut pollueris,quis te iuſtum exiſtimet? Tertius eſt:
Luc.21. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Igitur impatiens amittit ſe. Non ergo dat honorem animæ ſuæ. Quòd ſi tu tibi cõtumeliam irrogas, auferens te tibi, à quo vis honorari?

18 *Pauper gloriatur per diſciplinam, & timorem ſuum: & eſt homo qui honorificatur propter ſubſtantiam ſuam. Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magis in ſubſtantia? & qui gloriatur in ſubſtantia, paupertatem vereatur.* Id eſt, Pauper dignus eſt honore, duplici cauſa: & quia diſciplinatus, ſeu ſapiens eſt: & quia timorem Dei habet. Diues honorandus eſt vnica ratione, ſ. quia ſubſtantiam huius mundi habet. Vtrique conſilium dat Author. Pauperi, quòd ſi in paupertate lætatur ob ſapientiam, & timorem Domini, multò magis iſtorum gratia lætetur, ſi fortè contingat ſubſtantiam mundi poſſidere. Si timorem & ſapientiam ſeruat pauper, ob quæ gloriatur, ſeruet etiam in opibus: vt magis gloriari mereatur. Diuiti cõſilium dat, ne gloriationi, ob diuitias, vela pandat. Nam contingit in paupertatem incidere, ac ita cauſam gloriandi ſubduci, & amoueri. ¶ Tu Lector aduerte, ex literæ contextu. Admonetur pauper, vt in timore Dei, & ſapientia duret: vt in cuius manu ſit eas opes elargiri. Admonetur diues, vt timeat aduerſam fortunam: quia non eſt in hominis facultate, rotã fortunæ, ne moueatur, retinere.

CAPVT

CAPVT XI.

PRIMA PARS.

Varia tradit. Primum de Sapientia.

SAPIENTIA humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſedere illũ faciet. id eſt, Quantumlibet quis ſit humilis, ſi ſapiens eſt, exaltabit eum ſua Sapientia, & in medio potentium ſedebit. Ergo Sapientia digniſſima eſt omni pretio; non ita pulchritudo vultus, nec decor veſtitus, nec honoris ſplendor, nec regni thronus, nec gloria diuitiarum. Hæc eſt ſumma huius, & ſequentium textuum. Porrò literam noſtram Ioſeph veram monſtrauit; quem ſua exaltauit Sapientia, & ſedere fecit in medio omnium principum AEgypti, vt eos prudentiam doceret. Veram monſtrat etiam quotidiana experientia: quæ docet, multos ignobiles, aſcendere ad cathedram Epiſcoporum, imò ſummi Pontificis. 1 *Geneſ.41.* *Pſal.104.* *Iohan.vlt.*

2 *Non laudes virum in ſpecie ſua: nec ſpernas hominem in viſu ſuo. Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Id eſt, nec pulchra facies digna eſt magno pretio: vt nec fœda, cõtemptu. nam apis vili eſt aſpectu: at fructum edit, quod initium eſt dulcedinis. id eſt, quo nihil eſt dulcius. intellige inter naturalia. Saccarum dulce eſt: ſed artificiale eſt. Dices, Num non ille petebat ſpeciem dignam imperio? ita planè, ex viſu

cogno-

cognoſcitur vir : & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus : vt infrà dicemus. Sed
Eccli 19. Authoris ſenſus eſt, non ſat eſſe pulchram faciẽ, vt inde iudicetur hominis pretium.
Socrates. Multi enim (inter quos Socrates, iudicio Apollinis ſapiens iudicatus) fœdo erant aſpectu. *In veſtitu ne glorieris vnquam.* Gloria-
Ioſephus. tus eſt Herodes, vt Ioſephus dicit, de ſplen-
Actor. 12. dida veſte : ſuo malo tamen. percuſſit enim eum Angelus Domini. *Nec in die honoris tui extollaris. Quoniam mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inuiſa opera illius. Multi tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis portauit diadema. Multi potentes oppreſſi ſunt validè : & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum.* Quod dicit, Altiſſimi ſolius, id eſt, Dei qui ſolus eſt altiſſimus. Inſuſpicabilis, id eſt, de quo nulla talis habebatur ſuſpicio, quòd eſſet regali corona cingendus. Alterorum, id eſt, alienorum. Iam illud, ne gloriemur
Luc. 19. in die honoris, Chriſtus in Dominica palmarum pleniſſimè præſtitit : vt qui ſciebat futurum opus redemptionis, mirabile, glo-
1. Cor. 2. rioſum, abſconſum, inuiſum. Nemo enim principũ huius ſeculi illud cognouit. Præ-
Iob 27. ſtitit & Iob, qui regni honore minimè elatus fuit, ſiquidem nunquam eum conſcientia reprehendit. & planè poſtea raſit pus, è corpore, in ſtercore ſedens. Hæc ſunt opera ſolius Dei, mirabilia, admiranda, abſconſa. Porrò Tyrannos ſediſſe in throno, & alios inopinatò regni coronam vſurpaſſe, teſtis

eſt

eſt Balſaſar, cuius, nihil tale opinantis, rapuit coronam Cyrus. Teſtis Ioram, deiectis à Iehu: Zacharias, expoliatus à Sellum: & Phaceias, à Phacee. Potentes oppreſſos validè, monſtrat Darius, oppreſſus ab Alexandro: Arphaxad, à Nabuchodonoſor, &c. Dan. 6. 4. Reg. 9. 4. Reg. 5. 1. Mach. 1. Iudith 1.

3 *Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam: & cùm interrogaueris, corripe iuſtè.* Dixerat neminem ex vultu contemnendum, addit, neminem temere vituperandum, donec exploratum habeamus, an vera ſit, quæ ei imponitur culpa: & culpa explorata, iuxta eius meritum iuſtè eſt corripiendus. Deus bone, quot mala cauerentur, ſi hoc præceptum ſeruaretur! Vtinam Reges, Iudices, Superiores, mariti, imò & inferiores omnes nihil temere vituperarent, imò nec iudicarent, donec plenè eſſet cognita cauſa. Ita enim Paulus admonet, Nolite ante tempus iudicare: quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. & Dominus, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Scio mihi verba deeſſe, ad explicandam huius precepti & vtilitatem, & neceſſitatem. 1. Cor. 4. Matth. 7.

4 *Priuſquam audias, ne reſpondeas verbum: & in medio ſermonum, ne adiicias loqui.* Generale conſilium eſt. Iudex ne proferat ſententiam, donec audiat litigantes. Conſultus ne præcipitet conſilium, donec rem audiat pleniùs. In mutuo colloquio, donec audi-

as dicentem,ne ei reſponderis.Addit nimis ciuile conſilium. Vt altero dicente, ne eius ſermonem interrumpamus. Afficis enim me iniuria, ſi conceptum ſermonẽ meum, tanquam indignum, impedis, ne prodeat in lucem. Tum te ipſum declaras præcipitem,qui pati loquentem non potes.

5 *De ea re, quæ te non moleſtat,ne certeris: & in iudicio peccantium ne conſiſtas.* Id eſt, ſi parum aliqua res tua refert,ſuper ea ne contendas. Ne certes ſuper re non tibi neceſſaria.Tum etiam, ſi noſti iudicem iniquum, nec ab eo velis iudicari,nec cum eo iudicare. Si enim ab eo iudicaris, ab eo patieris iniuriam. Si cum illo iudicaueris, inferes iniuriam cum eo.

SECVNDA PARS.

De acquirendis opibus.

6 F*ILI, ne in multis ſint actus tui: & ſi diues fueris, non eris immunis à delicto. Si enim ſequutus fueris, non apprehendes: & non effugies, ſi præcucurreris.* Id eſt, ne agas,vt multa acquiras: ne contendas, vt multas opes habeas: ne actus tui ſint pro acquirendis diuitiis multis. Nec enim, vt plurimum,contingit ditari,ſine delicto.id eſt,ſine iniuria &fraude aliorum.Nam,vt minimũ,non dat eleemoſynam, qui ditari contendit. quod in tempore neceſſitatis delictum eſt. At verò

Iohan.12. Dominus dicit, Pauperes ſemper habetis vobiſcum. Reliqui membri credo ſenſum eſſe: Diuitiæ currunt, & fugiunt à te. Si tu in-

tu inualidus fueris: ſequêris eas, ſed non apprehendes. At ſi velut validus, & potens, præcurris eas, & fugientes tenes: non effugies delictum. Eſt hęc proſopopœia. Diuitię fugiunt ſequentem: at ſi contingat, vt ſequens eas, præcurrat, & illas teneat, tenent illæ eum, captiuant, & iniquitatis ſeruum efficiunt. Eſt enim dictum Pauli, Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli, &c. Ergo, ſi cum bona conſcientia, eas ſequaris, non apprehendes. Si per malam eas præcurris, non effugies, quin te illæ mergant in interitum, & perditionem. *Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit.* Dicebam nunc, ſi per malam conſcientiam præcurris diuitias, non effugies delictum: ne verò aliquis, cupiditate diuitiarum incenſus, malam conſcientiam induat, vt opes conſequatur, nunc eum Eccleſiaſticus admonet, eſſe impios, qui totis viribus opes conſectantur, nec vnquam tamen conſequuntur. *Eſt homo marcidus* (id eſt, piger) *egens recuperatione, plus deficiens virtute,* (id eſt, carens auxilijs alienis ad aſſequendas opes) *& abundans paupertate;* (id eſt, preſſus nimia pauperie) *& oculus Dei reſpexit illum in bono: & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput: & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Illud verbum, egens recuperatione, ſignificat hominē minimè callidū, minimè aptum recuperandis diuitijs, imò verò egentem viro, qui eum recuperet: quiq; eius nego-

1.Tim.6.

Eodem.

negocia nouerit tractare. Egens igitur recuperatione, eſt egens recuperatore. Iam tota hæc clauſula, cum præcedente, & ſequentibus, contendit multis verbis, diuitias dono Dei, non verò hominis, aut labore, aut conſilio, aut auxilijs, aut negocio pecuniario, conquiri, & comparari. ¶ Notet Theologus pulcherrimè dictum, Oculus Dei reſpexit. Solum id, quòd oculus Dei hominem reſpiciat benignè, eum ditat. vt enim
Pſal. 103. reſpicit terram, & facit eam tremere : ita reſpicit hominé, & facit eum ditari. ¶ Nota ſecundò, reſpicit Deus in bono, cùm hominem ditat. Bonæ enim ſunt diuitiæ, quas bonis, bonus Deus confert. Licet eo beneficio plerique vtantur malè. Non tamen diffitendum eſt, aliquando diuitias malis dari. Sicut oſſa ſolent dari canibus, vt ea rodentes, ſanguinem è dentibus mittant, & meliore cibo fraudentur. ¶ Nota tertiò, exaltare caput eſſe, è humilitate in celſitudinem aſcendere. Nam pauperes ſolent, curis preſſi, caput demittere : vt diuites attol-
Pſal. 109. lere. Iam intelligis illud, De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. ¶ Nota quartò, digniſſimum eſſe, vt qui videmus è pauperie, virum ditari, nō ei inuideremus ; ſed contrà miraremur, & Deum, cuius eſt id ſpeciale opus, honoraremus. Concludit Author dicens :

7 *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. 2. Sapientia & diſciplina, & ſcientia legis apud Deum. 3. Dilectio, & via bonorum*

norum apud ipſum. 4. Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt. 5. Qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo. Honeſtas huic Authori ſignificat opes, quæ hominem, è vili honoratum reddunt. Conſtat id, tum, quia oppoſuit honeſtatem paupertati: tum ſecundò, quia infrà hoc cap. ait, facile eſt in conſpectu Dei, ſubitò honeſtare pauperem. ¶ Sapientia hoc loco ſumitur, non pro dilectione Dei, quia de ea ſtatim loquitur: ſed pro grandi aliqua, & inſigni eruditione. ¶ Diſciplina eſt inſtitutio vitæ, à Spiritu ſancto inſpirata. ¶ Viæ bonorum ſunt, declinare à malo, & facere bonum. ¶ Illud verò vltimum verbum, conſeneſcunt in malo, Græcè habetur, malum conſeneſcit cum eis. ¶ Nunc ad textum. ait Author, bona & mala à Deo eſſe. id eſt, proſpera, & aduerſa ex Dei prouidentia veniunt. Non intelligas mala culpæ à Deo eſſe, niſi permiſſiuè. Sed ſola ea intellige mala, de quibus dixerat, & de quibus ſubdit, ſ. mortem, paupertatem. & tu docte vir illud annota, Cùm præponeret Author bona malis, vitam morti: præpoſuit etiam paupertatem diuitijs. vt non ſolùm applaudat Euangelio, ſed etiam Philoſophię, quietem paupertatis pręferenti diuitiarum tumultui. Annotabis ſecundò & maximopere, Author docet hoc loco de bonis corporis, quod Paulus docuit de bonis animę. vt eadem ſit ferè ratio de prædeſtinatione, & reprobatione, quantum ad animam: & de

Honeſtas.
Eccli 11.
Eccli 1.
Pſal. 36.
Matth. 5.
Rom. 9.

de prouidentia,quantum ad corpus. Scilicet is pauper erit, quem Deus voluit pauperem eſſe. Is diues,felix,aut infelix, quem talem Deus voluit eſſe. At verò vt prædeſtinati laborem & diligentiam vult Deus : ita victuri,& honeſtandi. ¶ Secundo membro docet Author,ingentem eruditionem,ſ.afflatam vitæ ſpiritualis inſtitutionem,& veram ſcientiam diuinæ legis,non eſſe bona humana : ſunt potiùs ordinis Diuini. Loquitur enim de donis infuſis, quæ gratiam,& charitatem,ex communi Theologorum ſententia,conſequuntur.Ergo,vt Verbum eſt apud Deum,quia eſt ſuper omnem naturam : ita & dona infuſa ſunt apud Deum,ſ.ſuper omnẽ naturam. ¶Tertio membro idem docet, niſi quòd doctus annotabit, dilectionem præponi vijs bonorum : quia tunc opera bona meritoria ſunt, id eſt, ordinis Diuini ſunt, cùm à dilectione, ſeu charitate,de qua loquitur Paulus, proficiſcuntur. ¶ Quarto membro annotanda primò eſt prudentia Authoris,qui cùm bona,& mala dixiſſet eſſe à Deo : cumq; dixiſſet, dona infuſa eſſe apud Deum, cùm tandem ad mala culpæ venit, non dixit illa eſſe,aut à Deo,aut apud Deum : ſed ſolùm eſſe concreata peccatoribus. Secundò nota, quòd is ipſe, qui creat peccatorem, vt peccator eſt, creat eius errorem. id eſt, voluntas, quæ peccatorem facit, facit eius errorem. Fieri enim non poteſt,vt error præcedat peccatum. Sed ſimul cum peccato naſcitur

Ihan.1.

1.Cor.13.

ſcitur error. (loquor de primo errore.) Eſt enim Theologorum dogma, in Angelis, & Adam priùs fuiſſe culpâ, vt minimum venialem, quàm errorem. Non enim venit à Deo error : ſed ab errantis culpa. Ergo fons erroris non eſt Deus, ſed voluntas peccatoris. Cum doctis loquor. ¶ Vltimo membro docet Eccleſiaſticus eos, qui malis aſſueſcũt, non ea in ſenecta depoſituros : imò verò & ſeneſcunt in malo, & malum ſeneſcit in eis. Vt ſit diſcrimen grande inter virum, qui ex infirmitate labitur, ac in lapſu dolet, & torquetur : & eum, qui ex vſu peccat, ac in peccatis exultat. Huius enim reparatio non facilè ſperatur. Theologi.

Datio Dei permanet iuſtis, & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum. Græcis pro profectu eſt εὐδοκία. cogimur ergo intelligere, per profectus, id quod à Dei bona voluntate profectum eſt. Senſus iam textus noſtri eſt ille, quem Paulus docet cùm ait, Sine pœnitentia ſunt virtutes, & dona Dei, id eſt, Deum non pœnitet doni ſui : ac ideo quod dat, nõ aufert. imò verò donum ab eo profectum ſucceſſus habebit in æternum. id eſt, donum Dei, quia non eſt ocioſum, eſt productiuum ſanctorum operum, quæ prǽmium in æternitate merentur. ¶ Duo hîc nota. Prius eſt, Deum nunquam auferre dona ſua : niſi ea homo ſibi auferat. itaque in datione prior eſt Deus, in ablatione poſterior. Obijcies, Num non Deus lucem prophetiæ, reuelationum, conſolationum, ali- 8 Profectus. Rom. 12.

quando aufert à iuſtis? Vide Sponſam, cui
Cant.5. ſine culpa fortè eſt abſens ſponſus. Tum,
Num non temporalium bonorum datio
Iob 1.2. iuſtis aufertur? Memor eſto Iob, & videbis
quæ dico, Sed equidem, licet hæc videantur
auferri, permanent tamen non in ſe: ſed in
re meliore. Nam dat Deus patientiam, quæ
melior multò eſt, aut his, aut illis bonis.
Secundò nota, dona Dei ocioſa non eſſe: ſed
ſuos ſucceſſus, & prouentus habere. Colligas
demum, quòd iniuſti, quanuis multa
bona habeant, ſeu videantur habere, tandem
aut in morte, aut in vita eis ſpoliantur.

9 *Eſt qui locupletatur parcè agendo: & hæc eſt pars mercedis illius, in eo quod dicit, Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus. Et neſcit quod tempus pertranſeat illum, & mors appropinquat: & relinquet bona alijs, & morietur.* Pro, quod tempus, Græcè eſt, quale tempus. Super quo verbo, multa Theologus philoſophabitur. Ergo erit ſenſus: Eſt parcus, qui ſe ſuis bonis fraudando, peruenit ad diuitias: & hanc ſui laboris mercedem eſſe putat, quòd poterit, cùm volet, bonis à ſe partis frui: cùm tamen ex parſimonia eis minimè vtatur. ô hominis ſtultitiam! neſcit, quàm accõmodum ſibi tempus tranſeat; quodq́; relinquet fruenda alijs, quæ ſibi
Luc.12. negauit. Similia habes apud Dominum, & apud Eccleſiaſtem in multis locis. Ego intelligo hoc loco, quòd his miſeris, ex Dei ordi-

ordinatione, mors appropinquat: vt ſicut
viri ſanguinum, & doloſi non dimidiant *Pſal. 54.*
dies ſuos, quos ex naturæ præſcripto Deus
illis taxauerat: ita hi viri ſanguinum contra
ſe, nec dies ſuos à natura definitos perficiant.

Sta in teſtamento tuo: & in illo colloquere: & 10
in opere mandatorum tuorum veteraſce. Id eſt,
Perſeuera in lege Dei, quæ teſtamentum dicitur. ne ſ. vllâ cauſâ à tua lege diſcedas. quod dicit, quia tunc Iudæi partim exemplo Gentilium, partim iniquitate Tyrannorum à ſua lege deſciſcebant. Quod dicit, in illo colloquere, hunc habet ſenſum: Legem intra te conſule, cùm quid facturus es. Legem adeas, cùm quid dubitas, ab ea pete reſponſum. Demum admonet, vt contrahat ſenium operando ea, quæ diuina mandata præcipiunt. *Ne manſeris in operibus peccatorum, Confide autem in Deo, & mane in loco tuo. Facile eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.* id eſt, Si placet pauperem vitam effugere, & honoratam habere, primum id præſta, vt ſi contigerit labi in crimina atque
peccata, ne in illis perſeueres. Beatus enim *Pſal. 1.*
eſt, qui in via peccatorum non ſtetit. Secun-
dum eſt, vt confidas in Domino. Nam beati *Pſal. 2.*
omnes qui confidunt in eo. Ea enim fiducia Deum obligat, vt tibi confidẽti benefaciat. Tertium eſt, vt maneas in loco tuo. ſ. ne locum habitationis tuæ deſeras: néve functionem tuam derelinquas: aut mediocritatem ſtatus fugias. ne ſ. contendas ſupra ſta-

tum,& conditionem tuam: vltra regulam, 2.Cor.10. quâ Deus menſus eſt te, teipſum extendens. ita manentem, & quæ diximus facientem, facilimum Deo eſt honeſtare. vt honeſtauit Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & omnes filios Iſrael, qui fugiebant ex AEgypto. Hæc tu lector intellige in lege veteri, in qua dicebatur, Iſaiæ 1. Si præcepta mea ſeruaueritis, bona terræ comedetis: & in qua ſeruanti legem Deut.28. benedictiones temporales promittebantur. At in noua lege, ſi tua anima donis cæleſtibus ditari contendit, fugiat peccata, confidat 1.Cor.7. in Domino: in vocatione, qua vocatus eſt, maneat, & cùm minùs ſuſpicabitur, maximè ditabitur. *Benedictio Domini in mercedem iuſti feſtinat: & in honore veloci proceſſus illius fructificat*. Fateor Græcis eſſe, non in honore: ſed in hora. At litera noſtra faciliorem ſenſum habet. ſ. Dominus amanti animo, benedicit iuſto. Hæc benedictio non eſt mortua res: ſed viuida, exilit, feſtinat mercedem iuſto tribuere. Eiuſq; greſſus, quibus feſtinat, efficiũt fructus, & merita, vt iuſtus velociùs honoretur. Ergo benedictio Domini properat, vt mercedem tribuat. Dum verò non acceſſit, efficit vt iuſtus mereatur ſanctis operibus velociorem honorem.

2.Cor.11. ¶ Dices, Multi iuſti non ditati, ſed potiùs expoliati, & vixerunt, & diem ſuum obierunt. Fateor: ſed eorum paupertas erat illis maiori ſolatio, & lætitiæ, quàm eſſent 2.Cor.11. omnes diuitiæ. Gloriatur Paulus in tribulationibus, Andreas in cruce, Monachorũ exami-

examina in nuditate ſua. Nónne hæc eſt eorum merces dum viuunt in terra? futura tãtò maior, cùm abierint in cęlũ. Habentes, inquit, victum, & quibus tegamur, his contenti ſumus. imò & carẽtes victu, & veſtitu, etiam contenti ſumus. Abſit enim gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. 1. Tim. 6. Galat. 6.

Ne dicas, Quid eſt mihi opus? & quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas, Sufficiẽs mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor? Si legeres primo loco, Quid eſt mei opus, aut quod eſt mihi opus? literæ Græcę magis cõgrueret. vt ſit ſenſus: Quorſum viuo in mundo? quæ eſt vtilitas, quòd viuã? quod eſt opus, cuius cauſa viuendum ſit mihi? Sed literam noſtram hoc ſenſu lege, Quid eſt mihi opus viuere? Secundo loco, & tertio, illud ex hoc, intellige, ex hoc tempore. Tertio loco verbum peſſimabor ſignificat, peiùs habere. Senſus igitur totius clauſulæ eſt: Si miſer es, ne dicas, Cur ego viuo, quid eſt opus me in hoc ſeculo? & poſthac, mihi, hactenus infelici, quæ bona contingere poſſunt? Rurſum ſi felix es, ne dicas, Opulentus ſum, nec cõtinget eſſe infelicem. Imò verò in miſeria felicitatẽ ſpera: in felicitate miſeriã verere. & hoc ſubdit dicens: *In die bonorum ne immemor ſis malorum: & in die malorum ne immemor ſis bonorum. Quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias ſuas.* Eandem ſententiã habet Author infrà dicens, In die paupertatis, memento abundãtiæ: & neceſſitatem pauperta-

pertatis, in die diuitiarum. Vult igitur Eccleſiaſticus animũ noſtrum eſſe æqualem, quadratum, & eodem loco permanentem. Vt cùm bona fortunæ eum euehere contenderint, timor infortunij ſtabilem faciat. Ac rurſum, ſi malis deprimi incipit, bonorum ſpes loco dimoueri minimè patiatur. Apertiùs dicam. Si felicem te putas, caue ne ſuperbias, memor eius afflictionis, quam mali in morte patientur. Quòd ſi miſerum te vides, caue ne à bonitate deflectas, memor felicitatis, quam tempore mortis habiturus es. ¶ Notãdum primò, Deum eſſe adeò potentem, vt facilè eo die, quo malus moritur, omnium culparum ſuarum pœnam inueniat: contrà bonus, omnium meritorum ſuorum prę̨mium accipiat. Homines ſi punire volunt, moras pœnis adnectunt, vt quod pœnæ intenſio non poteſt, poſſit extenſio. At potentia Dei facilè in die obitus ſentire facit præmia meritorum. ¶ Secundò nota, ſi poſt diem obitus nulla eſſet amplius, aut glorię felicitas, aut pœnę miſeria, ſolum præmium quod in die mortis datur bonis, & pœna malis, eſſet eis ſufficientiſſima retributio. tanta eſt vtriuſque magnitudo. Imò verò eſſentialis felicitas eadem eſt, quæ in die obitus datur, (vt eſt etiam eadem pœna eſſentialis) cum ea quæ æternùm eſt duratura. Et Theologus aduertet, illam aut felicitatem, aut infelicitatem eſſe æternam: & nunc æternitatis eſſe indiuiſibile, in vnico puncto omnia tempora comprehẽdens.

Punctum æternitatis.

¶ Ter-

¶ Tertiò egregiè annotat Ianſenius, falſum eſſe, id quod Ioanni Papæ adſcribitur, felicitatem, aut miſeriam hominibus differri vſque ad diem Iudicij. imò docemur, in die mortis retribui cuique ſecundùm vias ſuas. *Ianſenius.* *Ioan. Pp.*

¶ Quartò pulcherrimã docet Author conſiderationem, quomodo Deus libros rationum ſuarum aperiat, quo die contingit hòmines mori: & iuxta cuiuſuis merita, nec plus, nec minus, cuique ſua ſtipendia largiri. *Dan. 7.*

12 *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ: & in fine hominis denudatio operum illius.* Malitia, id eſt, tribulatio. vt illud, Sufficit diei malitia ſua. ¶ Luxuriæ, id eſt, voluptatis, & redundãtiæ. vt vites dicuntur luxuriari. Eſt ergo ſenſus: Afflictio illius horæ mortis, obliuiſci faciet deliciarum, & faſtus totius vitæ. Sanè tunc in memoriam illa venient: at non in voluptatem, ſed in tormentum. vt olim AEgyptij Iudæorũ perſequutores viſi ſunt ad litus maris, non in Iudæorum terrorem, ſed gaudiũ. Addit egregiam doctrinam, In fine, id eſt, in hora obitus, denudabuntnr cuique omnia opera ſua, quæ cogitauit, dixit, fecit, omiſit. Vt enim, teſte Daniele, in generali Iudicio libri aperiẽtur, vbi quiſque leget omnia bona, & mala quæ fecit: ita in particulari iudicio (quo erit in obitu cuiuſque) liber aperietur, in quo, qui moritur, aperta videbit omnia opera ſua. O quàm gaudebit, qui ſua bona leget, quàm dolebit contrà, qui mala! ¶ Habet Theologus, *Matth. 6.* *Exod. 14.* *Dan. 7.*

gus, eſſe de fide, quòd in fine vitæ cuiuſque erit iudicium particulare, quo eius opera omnia examinabũtur,& iuxta merita præmium accipient. Tunc ergo reuera erit notus quiſque ſibi. Forſan, & cognoſcentur eius, qui tunc examinabitur, opera, ab Angelo eius patrono: & à dæmone, aut dæmonibus accuſatoribus. ¶ Habet ſecũdò, quàm meritò dixerit Author, Facile eſt corã Deo in die obitus cuique retribuere. Nobis ſanè impoſſibile videtur, in hora mortis cuncta hominis opera reuelari. At quod hominibus eſt impoſſibile, Deo poſſibile eſt. ¶ Tertiò rectè colligit ex hoc loco Ianſenius, animas, quæ ex hoc Iudicio ibunt in Purgatorium, cognoſcere, cælum illas manere: ac ideo de ſua felicitate eſſe ſecuras.

Suprà hoc cap.

Ianſenius.

13 *Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filijs ſuis agnoſc tur vir.* Rabanus, & Nicolaus per filios intelligunt opera. Ergo neminem iudices beatum, donec eius opera, in die obitus ſui, beatum illum oſtendát. Simpliciùs intelligi ita poteſt: Gloria patris eſt filius probus: vt contrà pars quędam infelicitatis eſt, filios habuiſſe peruerſos. Ergo donec videas filios eſſe bonos, nec dum de patris perfecta felicitate conſtitue. Fateor Ioſiam fuiſſe ſanctum, & Ezechiam, quin & Abraham, Iſaac, & Iacob, quibus tamẽ quidam filij peruerſi ſucceſſere. Ac ita fatẽdum eſt, nonnihil hos patrum ſuorum ſplendorem obſcuraſſe. Ergo laudes parentes ſanctos: ſed ſi illis filij mali contigêre, id laudibus

Rabanus.
Nicolaus.

4.Reg.22.
4.Reg.16.

bus frenum erit. Cur igitur nos Chriſtiani Chriſti gloriam obſcurare contendimus?

TERTIA PARS.

De hoſpite recipiendo.

NON *omnem hominem inducas in domũ tuam. Multæ enim ſunt inſidiæ doloſi.* Intelligit, non inducendum quemuis, vt in domo tua familiariter, aut diu verſetur. Nam recipere quemuis ad vnius noctis hoſpitium, cum debita obſeruatione, & obſeratione domus, non eſt prohibendum. Nam Loth non examinabat, quos hoſpites reciperet. & Chriſtianos D. Hieronymus laudat, quòd in foro tranſeuntes cogebãt ad hoſpitium. *Sicut enim eructant præcordia fœtentium: & ſicut perdix inducitur in caueam: & vt caprea in laqueum, ſic & cor ſuperborũ: & ſicut proſpector videns caſum proximi ſui. Bona enim in mala conuertens, inſidiatur: & in electis imponet maculam.* Locus hic eſt difficilimus. Arbitror tamen genuinũ ſenſum eius eſſe: Caue, inquit, ne in domũ tuam doloſum adducas. vt enim præcordia putria, quãuis odoratos cibos eis inijcias, putent ſemper tamen: ita licet beneficijs doloſum afficias, machinabitur tibi tamẽ malũ. Et ſicut perdix inducitur in caueã, vnde licet ibi delicatiùs alatur, machinatur tamen fugã è cauea: ac ſicut caprea in laqueũ coniecta, & ad delicias eam habẽtis educata, fugã continẽter meditatur: Ita doloſum tu in tuam domũ inducis, vbi deliciosè eum alis. At ille inſidias tibi continenter parat: & eſt

Geneſ.19.

Hieronymus.

cor eius ſicut proſpector, qui attentè videt, vbi cadas. id eſt, vbi te cadere faciat. Bona enim tua, in malũ interpretabitur, & conuertet: & quæ tu das illi electa, ille macula nigra notat, & infamat. Planè vt pectus putre, vt perdix captiua, vt caprea illaqueata, bona quæ ſuſcipiunt, conuertunt in malum, quod meditantur. Quàm hæc in nos quadrant, qui tot, tantaq; bona à Deo ſuſcepta, in eius offenſionem conuertimus? *A ſcintilla vna augetur ignis: & ab vno doloſo augetur ſanguis. Homo enim peccator ſanguini inſidiatur.* Perſtat ſuadens, ne in noſtram domum familiariter doloſum inducamus. Vt enim ſcintilla ignis parat domus incendium: ita doloſus parat homicidium. Vir enim peccatis deditus, non ſe continet, donec homines vita priuet. Hæc lector ita intellige, Ingratitudo hoſpitis accendit rixam, & inde homicidia patrantur. Quis enim ferat hoſpitem, qui malum pro hoſpitio rependat?

15 *Attende à peſtifero, fabricat enim mala: ne fortè inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum.*

Peſtifer. Peſtifer eſt, qui malorũ operator eſt. à quo, vt à doloſo, cauere iubet. Ne tibi nocens, ab omnibus ſemper ridearis. Ergo ſi malum hic alijs fecit, fuge ab eo, ne & tibi faciat. Planè dignus es, quem omnes ſubſannent, ſi non caues eum, qui omnes lædit. *Admitte ad te alienigenam, & ſubuertet te in turbine, & abalienabit te à vijs proprijs.* Lucius Papa epiſt. 2. cùm totum hoc caput in ſuam tranſtuliſſet

Lucius Pp.

epiſto-

epiſtolam, in hoc eius fine, non legit à vijs
proprijs, ſed à tuis proprijs. Iudicio meo ta-
men, idem ſenſus eſt. Caue, inquit, ne in tu-
am familiaritatẽ inducas virum à fide alie-
num. Ne te à tua fide velut turbo deijciat, &
à vijs proprijs tuę religionis abalienet. Vti-
nam hoc cõſilium accepiſſet Salomon, non 3.Reg.11.
fuiſſet à religione, velut turbine deiectus. &
Iudæi, qui alienigenas ſuſceperunt, didice- Pſal.105.
runt mores eorum,

CAPVT XII.

PRIMA PARS.

De beneficio præſtando.

S*I benefeceris, ſcito cui feceris, & erit* 1
gratia in bonis tuis multa. Non eſt
hoc loco ſermo de præſtandis
eleemoſynis minutulis. In his
enim præſtandis non eſt neceſ-
ſe conſiderare, & noſſe, quis ſit, cui damus.
Sed ſermo eſt de grãdioribus beneficijs, quę
eſt neceſſe, vt dignis dentur. Vt ſit gratia à
Deo ei, qui dat. Dices, Nónne Deus indi-
gniſſimis nobis maxima beneficia præſtat?
Nónne ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos *Matth.5.*
& malos? Nónne Paulus iubet inimicũ pa- *Rom.12.*
ſcere, & carbones ignis ſuper eius caput cõ-
gerere? Quid enim ſi dignis das, nonne &
Ethnici hoc faciunt? Quid num non & Se- *Lib.1. de be-*
neca vult, Deorum exemplo multa etiam *neſ.c.1 & 2.*
ingratis dari? Reſpondetur, abſque dubio

Lib.4.eth.c.1. verum dici ab Authore. nam,vt Ariſtoteles
Ariſtot. ait, cùm liberalitas ſit virtus, dabit,quãdo, quomodo,vbi,&quibus oportet.Siquidem dare quibus non oportet,non dare: ſed perdere eſt. Ac ideo qui eleemoſynas tribuere vult, maximè domeſticis fidei, (vt ait Pau-
Galat.6. lus) & pijs (vt volebat Tobias) largietur.
Tob.1. Ergo regulariter,& vt in plurimum,qui benefacit,viro bono benefaciet,vt & beneficium (liceat ita loqui) oret pro benefico, ſimul oret & beneficiarius, ſimulq; gratũ habeat Deus. Quòd ſi Deus malos etiam bene-
Seneca. ficijs afficit, id, vt ait Seneca, facit propter bonos. Si enim malos malis afficeret, pertingeret hoc malum etiam ad bonos. Idem
2.Tim.2. vult Paulus, cùm omnia dicit Deum facere propter electos. Iam ſi Paulus iuxta Chriſti
Rom.12. ſententiam iubet beneficijs inimicum vincere, id ſanè iubet, quia illi dando, Chriſto datur. Cui gratiſſimum feceris,ſi inimicum ea ratione ad meliorem mentem adducas.
Matth.25. Demum non negamus, nonnunquam ingratis dandum eſſe, vt grati ſint. At vt plurimum,ſi benefeceris viris bonis, & id promerentibus, benefeceris.

2 *Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam: & ſi non ab ipſo, certè à Domino.* En philoſophiam altiorem, quàm Seneca doceat. Dicit hic, Tantus eſt virtutis ſplendor, vt ipſius ſolius gratia, etiam ingratis ſit benefaciendum. Attollit tamen noſter Author oculos in Deum dicens, Benefac iuſto,& inuenies magnam retributionem à Deo, dicente,

cente, Quandiu vni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis. Vnde & ratio colligitur, quare magna erit futura merces. ſ. quia Chriſto beneficium præſtitum eſt. Cùm enim in anima iuſti Sapientia ſedeat, qui iuſto benefacit, manifeſtè Sapientiæ benefacit. At Sapientia poteſt, & volet liberaliſſimè retribuere. Matth. 25. Sap. 7.

Non eſt enim ei bene, qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas nõ danti: quoniã Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. 3
Hãc clauſulam interiecit Author ſuo ſermoni: cùm enim diceret, quibus eſſet benefaciendũ, interiecit malũ eſſe, non benefacienti. Ex Vatablo verò didicimus phraſem Hebræã eſſe, non eſt bene, pro eſt peſſimè, ſeu nimis malè eſt peccãti, ſi non dat eleemoſynas. Quid, ô Eccleſiaſtice, doces ne bene futurũ peccãti, ſi det eleemoſynas? Nonne Paulus dicit, Si diſtribuero facultates meas in cibos pauperum, & charitatẽ non habuero, nihil ſum? ita certè, vt Paulus dicit. At non adeo malè eſt peccanti, ſi dat eleemoſynã, vt ſi non det. quia licet eleemoſyna peccatoris nõ mereatur, vt Deus illi gratiam largiatur: at indicium, ac ſpes futuri boni eſt. Deus enim, qui peccantem ad dandum prouocat, innuit, ſe prouocaturũ, vt ille pœnitentiã agat. Quod ſubdit, quoniã Altiſſimus odio habet peccatores. ratio eſt eius quod dixit, Non eſt benè aſſiduè peccanti. ſ. quia eum Deus odio habet. Tu verò ne quæras maiorẽ cauſam, quare peccatori non bene ſit, ſat eſt, quia Deus eum odio habet. Demum vltimum Vatablus. 1. Cor. 13.

verbum, *Et miſertus eſt pœnitentibus.* ratio eſt poſterioris dicti,ſ.non dantis eleemoſynas. Vbi prudentiam Authoris aduerte. Videbatur dicturus, miſertus eſt dantis eleemoſynas: vt oratio quadraret. At prudenter dixit, miſertus eſt pœnitentibus: vt innueret,peccatorem,etiam ſi det eleemoſynam, niſi peccati pœniteat,miſericordiã Domini non habiturum. Tum vt innueret, egregiam pœnitentiæ partem in eleemoſyna conſiſtere. Demum innuit,dantem eleemoſynam,aliquando,Dei gratiâ,à peccato per pœnitentiam conuertendum.

4 *Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem. Et impijs & peccatoribus reddet vindictam: reſeruans eos in diem vindictæ.* Dixerat dandam miſericordiam iuſto. Nunc addit, dandam inter iuſtos,maximè ei,qui miſericors eſt. Vt inueniat apud nos miſericordiam, is apud quem eam alij inuenerunt: & ſicut præſtitit,recipiat. Tu verò penetra, contraponi miſericordi peccatorem Ac ſi omnis peccator miſericors nõ eſſet: & omnis iuſtus miſericors eſſet. Quod planè verum eſt. Cùm
1.Cor.13. enim charitas cõſtituat iuſtum, planè conſtituet & miſericordem. Quod ſubdit, & impijs & pec. ratio præcedentium eſt. Cur, inquit,dabis peccatori,qui in peccatis ſuis,
Matth.25. velut in cœno, vult volutari,cùm Deus illi non miſericordiam, ſed vindictam, ſit redditurus? cur tu per eleemoſynam ſeruabis
Pſal.43. à morte, quem Deus, velut ouem occiſionis,reſeruat ad pœnã? ¶ Et Theologus hoc loco

loco iam agnoſcit Pauli doctrinã docentis, Rom.9.
impios ſuſtineri à Domino, volente oſtendere iram ſuam in filios iræ. Ergo vt facit vaſa miſericordię, in quæ ſuam gloriam effundat: ita ſuſtinet vaſa iræ, in quæ ſuum furorem oſtendat.

Da bono, & ne receperis peccatorem. Benefac 5
humili, & non dederis impio. Prohibe panes illi dare: ne in ipſis potentior te ſit. Nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis, quæcunque feceris ei. Quoniam & Altißimus odio habet peccatores. & impijs reddet vindictam. Da bono. repetitio eſt Suprà hoc
illius quod iam dixit, ſ. benefac iuſto, &c. Il- cap.
lud ſecundum, Benefac humili, habet hunc ſenſum: Benefac homini minimè elato, minimè iactabundo, aut glorioſo: ſed humili, pacato, tranquillo, & mãſueto. Si enim dederis ſuperbo, tuo beneficio fortaſſe potentior fiet. & pro beneficio, graue maleficium rependet. Phraſis enim Hebræa eſt, duplex dicere, pro multiplici. vt illud, Fiat in me 4.Reg.2.
ſpiritus tuus duplex. & illud, Duplicia ſuſ- Iſaie 40.
cepit pro peccatis ſuis. Illud demum, Quoniam & Altiſſimus, ratio eſt prædictorum. Si Deus odio habet peccatorem, perſeuerantem in malis ſuis, cur tu talem amabis? Si Deus eum ſeruat in vindictam, cur tu reſeruas ad amicitiam? vt numero 4. dictum eſt. ¶ Lector attentus videbit, non hoc loco prohiberi, quin peccatori aliquãdo fruſtum panis, aut minutum numum porrigamus. Prohibetur enim id dari peccatori, quo potentior dante fiat. Quod cõtinget his

qui dignitates, redditus, & officia impijs dari procurant. Caueant igitur aulici, ne pro impijs ditandis, apud Principes intercedant. Curent potiùs humiles, & minimè elatis animis, prouehere. ¶ Libet hoc loco ſubijcere, ne quid maneat ſcrupuli. Cauendum nobis eſt, vt plurimum, ne demus eleemoſynam ei, quem malum agnoſcimus. Si vnquam ille eguerit, cauendum ne demus, quo in malo perſeueret. Dare verò ſanctè poſſumus, vt à peccato diuellatur. Tum ne fame conficiatur. Tunc enim non damus, vt viuat peccator, ſed ne pereat homo.

SECVNDA PARS.

De inimico vitando.

6 NON *agnoſcetur in bonis amicus: & non abſcondetur in malis inimicus. In bonis viri, inimici illius: in triſtitia & malitia illius, amicus agnitus eſt.* Id eſt, Non exploratur amicus, cùm nobis res noſtræ proſperè contingunt. tunc enim multos numerabis amicos. At inimicus profert ſe, cùm nobis aduerſa ſuccedũt.
2.Reg.16. Vt protulerunt ſe Semei, & Achitophel con-
2.Reg.17. tra Dauid. Secundum membrum aliter legitur Græcis, quàm nobis. Legunt enim illi, In bonis viri, inimici eius in triſtitia. Id eſt, cùm proſpera, ac læta viro contingunt, in triſtitia verſantur eius inimici. Vt contrà in malitia, & afflictione viri, amico-
Stephanus Pp. rum dolor agnoſcitur. At verò Stephanus Papa epiſt.1. diſpungit, vt nos habemus. Vt ſit pulchra ſententia. In bonis viri, inimici illius

illius agnoſcuntur, ſ. inuidendo: at in triſtitia, & miſeria eius, amicus agnoſcitur, compatiēdo. In proſperitate viri creſcit inimicitia inimici: in miſeria eius creſcit amor amici. Ergo verè Chriſtus agnitus eſt amicus, quia in triſtitia, & afflictione, imò & in malitia noſtra, nobis accurrit. Rom. 5.

7 *Non credas inimico tuo in æternum: ſicut enim æramentum, æruginat nequitia illius.* æramentum eſt vas ex ære, quod ſ. ſplendore ſuo aurum imitatur. Venerem Alchimiſtæ nominant. Ex eo, quanuis mundiſſimo, ſi non nihil humoris cōcipiat, continuò prodit ærugo, id eſt, virides ſordes. Id verò eſt æruginare. Dicit nunc Author, quanuis inimicus reconciliatus ſplendēti amicitia lucere videatur, cauēdus eſt. Eius enim nequitia proferet ſe, vt ſe viror æramenti profert. Sit ChriſtoDomino gratia, eaq́ pleniſſima, qui nos ſibi reconciliatos minimè cauet, minimè horret. At Dauid expertus eſt ſuum Abſalonem reconciliatum. Parum enim abfuit, quin à filio regno pelleretur. Expertus es & Ionathas, à Triphone reconciliato vita priuatus. 2. Mach. *Et ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum: & cuſtodi te ab illo. Non ſtatuas illum penes te: nec ſedeat ad dexteram tuam. Ne conuerſus ſtet in loco tuo: ne fortè conuerſus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in nouiſſimo cognoſcas verba mea, & in ſermonibus meis ſtimuleris.* Id eſt, Si amicus reconciliatus ſe humiliarit,

Alchimiſtæ. *2. Reg. 15.* *2. Mach. 13.*

ſi ſe coram te venerabūdus incuruarit: tunc tu magis attende. Caue ne illi faueas,& bonorum tuorum meliorū participem facias. Si enim eum honoraueris, & iuueris,cupiet locum tuum,& obtinebit forſan,te inde deiecto. Tunc tu ſerò ſapies: erunt tunc verba mea, velut ſtimuli, quibus pungetur ſtultitia tua. ¶ Notabis,ſtatuere aliquē penes te, eſt illi fauere,eum protegere. vt illud, Pone me Domine iuxta te.& illud,Cum ipſo ſum in tribulatione. &,Non timebo mala,quoniam tu mecum es. Porrò, ſedere tecum ad dexteram,eſt illum honoris tui participem facere. vt illud, Sede à dextris meis. &, A dextris eſt mihi, ne cōmouear. ¶ Notabis ſecundò,diabolum hoſtem eſſe noſtrū,cùm amici Dei ſumus:at nobis reconciliari,cùm peccamus. Si ergo te ſub boni ſpecie adoritur, tunc tu caue, & ſuperpone animum, vt habet litera Græca: ne fortè te tuo loco(quē Deus parauit in cælo) deturbet. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo? & omnibus qui appropiant beſtijs? ſic qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus eſt in peccatis ſuis. Vna hora permanebit tecum: ſi autem declinaueris, non ſupportabit* Miſericordiam meretur, qui caſu incidit in noxiam feram, à qua ictus eſt: ſed minimè eam meretur, qui ſciens & prudens accedit ad feram. ita nec meretur miſericordiam, qui temere fauit aduerſario, à quo læſus eſt. is enim eſt nocentiſſima fera. Tritum illud, Homo homini Deus, homo homini fera. Illud, & obuo-

Statuere. *Iob 17.* *Pſal.90.* *Pſal.22.* *Pſal.109.* *Pſal.15.* *Cicero.*

obuolutus, referri poteſt ad virũ iniquum, peccatis obuolutum. Poteſt etiam referri ad eum qui iniqui comes eſt, & eius peccatis obuoluitur. Tunc enim non eſt cauſa cur eius miſereamur. quia ſciens, ſe in periculum coniecit. Vna hora, inquit, proſperitatis tecum manebit. Si autem è ſtatu felici declinaris, non tolerabit infortunium tuum. Similes ſunt amici reconciliati hirundinibus, quæ vere veniunt, & cum ipſo recedunt : ita illi cum proſperitate veniunt, ea recedente, recedunt.

In labijs ſuis indulcat inimicus : & in corde ſuo 8
inſidiatur, vt ſubuertat te in foueam. In oculis ſuis lachrymatur inimicus : & ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine. Id eſt, Verbis, & lachrymis (quæ ſunt ad mouendam commiſerationem efficaciſſimæ) curabit inimicus te decipere, vt te in ſepulchrum conijciat : & ſi detur occaſio, vt canis, linget ſanguinem tuum. Si igitur caro noſtra inimicus noſter eſt, etiam ſi dulcia verba dicat, etiam ſi lachrymas fundat, minimè ei eſt adhibenda fides: inſidiatur enim, vt nos in ſepulchrum inferni conijciat. Quid de tentationibus diaboli dici poterit? nam homicida eſt, qui Iohan. 8.
non ſatiatur ſanguine noſtro. *Et ſi incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem : & quaſi adiuuans, ſuffodiet plantas tuas.* Inuenies priorem, ſ. vt noceat. *Suffodiet plantas.* Aſcendiſti in parietem : cœpit ille nutare. In eo periculo petis auxilium : adeſt inimicus, affe-

rens ligonem, quo ſuffodiat locum, cui pes tuus innitebatur, ac ita plantæ tuæ firmamentum non inuenientes decidant. *Caput ſuum mouebit, & plaudet manu, & multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.* Suſurrans, Gręcis eſt, in aures aliorum inſuſurrãs, ſ. ſecretò: de caſu tuo gaudens, de eo alijs loquitur. Commutabit verò vultum: vt quem priùs lachrymabundum oſtenderat, nunc iam, velut obtenta contra te victoria, lætum oſtendat. Vtinam mali Chriſtiani hæc vera non inueniant tempore mortis. Tunc enim (ſi phas eſt dicere) diabolum lætum, miſer homo de ſuo caſu reperiet.

CAPVT XIII.

PRIMA PARS.

De ineunda familiaritate.

1 *QVI tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Vt nigredo picis hæret eam tractanti: ita ſuperbia, ei, qui ſuperbo com-
1.Cor.15. municarit. Tritum illud, Corrumpunt bonos mores conſortia praua. Sed maximè contagio hęret ſuperbia. Hæſit enim Luci-
Geneſ.3. fero, hæſit & Adamo. Neſcio etiã, cur hanc
Philip.2. rapinam arbitrẽtur homines, vt Deo æquales eſſe velint.

2 *Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat. Et ditiori te ne ſocius fueris. Quid comunicabit ca-*

bit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, confringetur. Dixit, non habendam cum ſuperbo familiaritatem. Subdit, nec habendam cum honoratiore, aut ditiore. Vt enim colliſa olla cacabo, non frangit cacabum, ſed frangitur ab eo: ita ſi contingat diſcordia inter maiorem, & minorem, hic, non ille, lædetur. Deo igitur noſtro ſit gratia, & gloria ſumma, qui nos vult ſibi eſſe familiares, nec confringitur olla: ſed potiùs æreus lebes. non enim in cruce noſtra fragilitas, ſed Chriſtus fortitudo Patris fractus eſt. 1.Cor.1.
Diues iniuſtè egit, & fremet: pauper autem læſus tacebit. Si largitus fueris, aſſumet te: & ſi non habueris, derelinquet te. Si habes, conuiuet tecum, & euacuabit te, & ipſe non dolebit ſuper te. Si neceſſarius illi fueris, ſupplantabit te: & ſubridens ſpem dabit, narrans tibi bona, & dicet, Quid opus eſt tibi? Et confundet te in cibis ſuis, donec exinaniat te bis, & ter: & in nouiſsimo deridebit te. Poſtea videns, derelinquet te. & caput ſuum mouebit ad te. Id eſt, Diues iniuriam tibi faciet, & inſuper comminabitur maiora mala, ſi mutis. quare tacendum, imò (vt Græca litera habet) ſupplicandum tibi eſt, ne ille nocere pergat. Secundò, ſi largiaris ei munera, fauebit tibi: ſi non pergas largiri, auertet faciem à te. Tertiò, ſi ſentit te nonnihil facultatum habere, conuiua erit tuus, donec exhauriat te: & nec exhauſtum te videns, dolebit. Quartò, ſi opera tua neceſſaria illi fuerit, curabit te decipere, nam ridenti, & læto vultu, pro-

mittet tibi beneficia, & narrabit, quantum tibi fauere, quantũ beneficiorum in te effundere poteſt. dicet enim, Habeo numos, quos mutuo dem: triticum, quod donem: lanã, quâ veſtiaris. quid ex his vis? quo tibi opus eſt? Illud verò, *Confundet te in cibis ſuis*, explicatur ita: Excipiet te ille opiparè, vt tu etiam illum opiparè reinuites, ac ſic exinaniat te. Credo etiam alium eſſe ſenſum, ſ. Parciſſimè te ille excipiet in opere ſuo laborantem. Viles tibi cibos, & parcos dabit: & quia mercede tua te fruſtrabit, exinaniet te, ac nouiſſimè ridebit te.

3 *Humiliare Deo, & expecta manus eius. Attende, ne ſeductus in ſtultitia humilieris*. Pulchra cõcluſio eſt. Si, quia te egere vides, vis ditioribus humiliari, id ne facito. Humiliare Deo potiùs, & ab eo vitæ ſubſidium expecta. Caue, ne hominibus humilieris: ſtultè, & falſò ab eis remedium ſperans. Idem dicit in ſequenti ſententia. *Noli eſſe humilis in Sapientia tua: ne humiliatus in ſtultitia ſeducaris*. Id eſt, credes forſan ſapientiam eſſe, hominibus humiliari. At caue, ne per hanc creditam ſapientiã, eis humilieris: alioqui in eá, quam putas ſapientiam, quæ ſtultitia eſt, ſeduceris. ¶ Inſurget nec immeritò vir doctus, Cur Author prohibet nos humiliari, cùm

1. Pet 2. Petrus dicat, Subiecti eſtote omni huma-

1. Cor. 9. næ creaturæ. & Paulus, Cùm liber eſſem ex omnibus, omniũ me ſeruum feci. & Chri-

Matth 20. ſtus, Non venit miniſtrari, ſed miniſtrare? Reſpõdetur ex communi Philoſophia. Su-

munt omnia nomen, & rationem ex fine. Ergo cùm Petrus ait, Subiecti eſtote omni homini, addit, propter Deum. vbi iam ſubiectos nos Deo fecit, non ita homini. & Paulus ſi ſeruus ſit omnium, ſit planè, vt eos lucrifaciat. & Chriſtus miniſtrat, vt redimat. Hæc obedientia Deo potiùs eſt, quàm homini. Hinc ortum habet reſponſio ſecunda. Author prohibet nos humiliari, quãdo ea humilitas eſt aduerſa Deo, id eſt, quando offenditur Deus, ne princeps offendatur. tunc enim ſapientia ſeruiendi hominibus, ſtultitia fit. Si verò humiliari homini non tollit humiliari Deo, non illud prohibetur. Nam humiliatur Dauid Achis, & Regi Moab. Sit tertia reſponſio, quæ nonnihil hanc ſecundam illuſtret. Non tollit Author quin homini humilieris: ſed tollit, vt humilieris, totus confidens in homine: ſuſpenſus ab homine, Dei oblitus omnino. Quarta reſponſio forſan non aliena. Inſtituit Author virum pium, feruentem, Deo omnino dicatum: huic non adeò conuenit Principibus deſeruire.

Pet. 2. *1.Reg. 21.* *1.Reg. 22.*

4 *Aduocatus à potentiore, diſcede: ex hoc enim magis te aduocabit. Ne improbus ſis, ne impingaris: & ne longè ſis ab eo, ne eas in obliuionem.* Docuit nos, vt Principũ aulas fugiamus, quãtum ſ. eſt ex noſtra volũtate. Quid ſi illi nos vocant? reſpondet, Diſcede. Vbi caue intelligas, non eſſe veniendum. imò parendum eſt eorum mandato: nec licet ab illo diſcedere. Sed ſenſus eſt, vbi aduocatus à poten-

tio-

tiore veniſti, diſcede quàm primùm liceat, ab aula: non placeat ibi conſiſtere. Ea enim ratione magis te ille vocabit. magis enim cupimus ea, quibus caremus, quàm quæ ad manum habemus. Cupimus enim ſemper negata. Id explicat Author dicẽs, *Ne improbus ſis*, id eſt, ne importunè te ingeras. *Ne impingaris*, id eſt, ne tam frequens ſis, vt ſit ſemper in te impingendum. *Et ne longè ſis*, id eſt, ne tam rarò venias ad Principem, vt eas in obliuionem. Ergo vocatus à Principe, nec ſæpius, nec rariùs venias. Medium ſiquidem tenuere beati. Pulchrum Alexandri

Alexander. dictum ſolet afferri. Qui interrogatus, quomodo ſit accedendum ad Principem? reſpondit, vt ad ignem. ad quem nec nimis propè, nec nimis remotè accedendum eſt. Hæc intellige, niſi Princeps te ſæpe vocet: & niſi negocia tibi commiſſa adire te ſæpe cogant. Atqui ô benigniſſimum Deũ noſtrum, rerum omnium Principẽm! apud quem nihil magis ferè probum, quàm improbè, id eſt, cõtinenter ad eũ accedere. Pulchrum

Pſal. 72. illud, Vt iumentum factus ſum apud te, &

Eodem. ego ſemper tecum. & item, Mihi adhærere Deo bonum eſt.

5 *Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius. Ex multa enim loquela tentabit te: & ſubrides interrogabit te de abſcõditis tuis. Immitis enim animus illius cõſeruabit verba tua: & non parcet de malitia, & de vinculis.* Egregiũ conſiliũ dat nobis Author, vt ſcilicet familiaritas non

non faciat nobis audaciá, vt velut cũ pari, cum Principe loquamur. Sed eá reuerentiá illis præſtemus ſemper, quam in principio præſtitimus. Ná audacia,& nimia cõfidentia, Principi minimè placet. Somniát enim ſe eſſe Deos: ac ideo adorationem, non audaciam volunt. Et licet Princeps multis tibi verbis blãdiatur, ne credas illis, vt amittas reuerẽtiam. Alioqui, vbi te audaciorem repererit, texet tecum multa verba, per quę tentet,& exploret te: & riſu ſimulato ſecreta tua venabitur: & ſi quod verbum indignius dixeris, immiti ille animo, non tibi parcet, quin afflictionem, & vincula tibi paret. Tritum eſt apud Authorem, malitiam pro afflictione vſurpare. ¶ Habent aulici ex hoc textu, Principes id primùm habere, quòd diſſimulatores ſint: vt enim explorẽt pectus tuum, mille verborũ technis id conantur. Habent ſecundò, quòd ſunt animo immiti. Nam mitis longè diſtat à ſuperbo, quales ſolent Principes eſſe. Habent tertiò, quòd, vt plùrimum, offenſi non parcunt, quin offendant, & lædant eum, à quo ſe læſos arbitrantur. Interim non tales ſunt omnes. Sed Author videtur in durũ Principem incidiſſe.

Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum ſubuerſione tui ambulas. Audiens verò verba illa, quaſi in ſomnis vide, & vigilabis. 6
Videtur admonere, vt attentiſſimi audiamus Principum verba: ne aliud quàm illi dixerunt, nos audiſſe credamus. Alioquin ſubuerſio,

uerſio, & perditio nobis miſeris impendet. Siquidē crimen falſi nobis imponent. ¶ Sequentium verborum ſenſus eſt difficilis: hic tamen videtur eſſe germanus. Audiens verba Principis, videre tibi tuam perditionem velut per ſomnium aſpicere. quæ res faciet te vigilantem & attentum. Alius ſenſus eſt: Cùm audis verba Principum blandientium, puta eſſe ſomnia. Alius demum ſenſus eſt: Vt qui ſomno preſſus eſt, nulli alij rei attentus eſt, niſi illi quam ſomniat: ita tu attentus eſto Principis verbo.

7 *Omni vita tua dilige Deum, & inuoca eum in ſalute tua.* Pulcherrima admonitio eſt. Si ditiori humiliaris, ſi ei ſeruis, ſi verbis eius credis, ſi eius familiaritas eſt tibi adeò iucunda: cur non potiùs diliges Deum, ſeruies
Pſal.36. illi, credes verbis eius, & ei viam tuam reuelabis? cur Dei amicitiam relinquis, vſque ad tempus tui languoris, quo cogeris Deum inuocare? cur non potiùs, cùm ſanus es, ei
Pſal.33. adiungeris? Accedite ad illum, & illuminamini.
Pſal.72. Tibi enim, adhærere Deo, bonum eſt. ¶ Nota illud, in omni vita tua. Nulla, inquit, pars vitæ tuæ, Dei dilectione careat. Si dormis, ſi vigilas: ſi loqueris, ſi taces: ſi operaris, ſi quieſcis, ignis amoris in altari pe-
Leuit.6. ctoris ardeat: vt ardebat olim in templo Iudaico. & vt in mundo maiori ignis elementū non deeſt, ita non deſit in tuo mundo minore. ¶ Nota ſecundò illud, in ſalute tua. quaſi dicat, indigniſſimū eſt, nec in ſalute, nec in infirmitate inuocare. Indignum

eſt,

eſt, in ſola infirmitate clamare. Digniſſimũ, & in infirmitate, & in ſalute ardenter inuocare. Nec enim in ſalute innumeræ nos miſeriæ premere ceſſant: ac ideo clamare conſtringent. ¶ Nota tertiò, plenum eſſe periculi, Dei in ſalute obliuiſci. iuxta tritum illud Auguſtini: Iuſtè moriens obliuiſcitur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei. *Auguſtinus.*

Omne animal diligit ſibi ſimile: ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi coniungitur: & omnis homo ſimili ſibi ſociabitur. Si communicabit lupus cum agno aliquando? ſic peccator iuſto. Quæ communicatio ſancto homini ad canem? aut quæ pars bona diuiti ad pauperem? 8
Diceret lector: Suades, ne potentiori, ditiori, aut Principi communicemus: ſed Deo: dic iã, cui ex hominibus cõmunicabimus? reſpondet, Tibi ſimilibus. vt quoduis animal quærit ſimile ſibi. vt non conuenit agno cum lupo: ita nec iuſto tibi cum peccatore. vt ſanctus homo nihil habet commune cum cane: ita nec tibi cum peccatore. Canes vocamus infideles. erat enim immũdum animal canis. Nihil igitur cõuenit rei mundiſſimæ, & fideli, cum immundo, & infideli. ¶ Tu lector primùm aduerte, vocari peccatorem lupum, & canem. Lupus enim peſtis eſt ouium: ac ideo naturalis eſt oui cum lupo inimicitia. Cur igitur vir ſanctus amet peccatorem, ex cuius conſortio tam præſens imminet illi periculum? Tum canis ſolet oues diſcerpere, & nullum ab eo *Deut. 23.*

animal tutum eſt, cùm agitur in rabiem. Si idem peccator facit, cur ſociabitur illi ſanctus? ¶Secundò aduerte, Quia Deus amauit hominem, homo factus eſt, vt verè amaret ſibi ſimilem: amaret ſibi proximum, & caro carni ſimili coniungeretur. ¶ Tertiò, Igitur, ſi omne animal ſibi ſimile amat, cur nos non amemus Chriſtum nobis ſimilem? & qui ideo ſimilis nobis factus eſt, vt amaretur? ¶ Quartò, quomodo ô Rex altiſſime voluiſti nobis coniungi? Sanctus (liceat dicere) canibus: aut certè diues, & tam diues, tam pauperibus?

Iohan.1. *2.Cor.8.*

9 *Venatio leonis onager in eremo: ſic & paſcua diuitum, ſunt pauperes.* Onager eſt aſinus ſylueſtris, quem Leo in prædam cupit, & capit: ita pauperes præda ſunt diuitum. Miſeri agricolæ præda ſunt eorum, quorum ſunt agri. Miſeri mechanici præda ſunt ſcribarum, aduocatorum, &c. Hi inſidiantur pauperi, vt leo in ſpelunca ſua.

Onager. *Pſal.9.*

10 *Et ſicut abominatio eſt ſuperbo humilitas: ita & execratio diuitis pauper.* Senſus conſequentia ita explicanda erat: Vt eſt abominatio ſuperbo, humiliari: ita diuiti, depauperari, ſiue pauperem eſſe. At quia Author maluit dicere pauper, quàm paupertas, cogimur ita exponere: Abominandum eſt ſuperbo, in deiectionem incidere: & execrandum eſt diuiti, in pauperem incurrere, quem deglubere, & expilare non poſſit. Intellige de diuite auaro eſſe mẽtionem, cui ſterile pratum

tum abominatio eſt. Atqui, Deo noſtro tam
diuiti, non ſumus execratio. Imò nimis di- Galat.3.
lexit nos.

Diues commotus confirmatur ab amicis ſuis: 11
humilis autem cùm ceciderit, expellitur & à notis.
2. Diuiti decepto multi recuperatores: locutus eſt
ſuperba, & iuſtificauerunt illum. Humilis deceptus
eſt, inſuper & arguitur: locutus eſt ſenſatè, & non
eſt datus ei locus. Diues locutus eſt, & omnes tacu-
erunt: & verbum eius vſque ad nubes perducent.
3. Pauper locutus eſt, & dicunt, Quis eſt hic? & ſi
offenderit, ſubuertunt illũ. Multa licet exigua
notanda ſunt. Diues commouetur tribula-
tionibus: non verò ad caſum venit, quia
firmatur ab amicis, ope, & conſilio, ne ca-
dat. At miſer pauper, vix fortuna eum mo-
uet, cùm iam ecce ruit, notis etiã ad caſum
impellẽtibus. Secundò nota, Proprium di-
uitũ eſſe decipi, & ſuperba loqui. Nam cùm,
teſte Domino, diuitiæ fallaces ſint, nihil Matth.13.
mirum ſi diues decipiatur. Pauper aliquan-
do fallitur. Sunt enim incertæ prouidentiæ Sap.9.
noſtræ: at multoties ſenſatè loquitur. Sed
locus hic ſpeciatim loquitur, de diuite,
quem geſtor negociorum ſuorum, aut ali-
us decepit. Tunc enim alij adſunt, qui reſar-
ciant, ſi quam diues iacturam fecit. Quod
autem dicit, locutus eſt ſuperba, alij vertũt,
locutus eſt nephanda: nec defuit tamen
qui diceret, illum iuſta locutum. Deum im-
mortalem, vnde tantum diuitijs venefici-
cium? Quomodo nos illæ faſcinant? quo-

modo præcantant, vt, reiecto vero rerum iudicio, falſa pro veris, & credamus,& dicamus? Tertiò, Illud verbum, quis eſt hic? videtur ſenſum habere, Quis eſt hic, qui vel mutire audet? Demum illud, ſi offenderit, intellige, ſi offenderit Principem, aut dominum, ſtatim rapitur ad pœnam. O miſerum mortalium iudicium. Paupertas vires dat culpæ, ac ita maiore pœna dignam facit. Diuitię eleuant culpam, ac ita minuunt eius pœnam.

12 *Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatũ in conſcientia : & nequiſsima paupertas in ore impÿ.* Dictum de diuitibus. ne verò credas diuitias eſſe, aut malas, aut nō bonas, aſſerit Author eas eſſe bonas, ſi abſque peccato comparentur : vt contrà paupertas in homine impio, mala videtur. Vbi aduerte, non auſum eſſe Authorem dicere paupertatem eſſe malam, in malo : ſed ſolùm, quòd mala dicat de ea os impij. vide ſuprà cap.11.annot.7. Igitur bonæ diuitiæ in homine pio, vt in Abrahā, Iſaac, Iob : ſed melior paupertas in eodem homine pio, vt in Chriſto, & Apoſtolis. Paupertas verò non eſt mala in impio. Licet ipſe de ea peſſimè dicat. Et quod Seneca epiſt.88.docet, diuitias non eſſe bonas, non admodum contradicit huic ſententiæ. Vocat enim ille bonum, quod bonum habentem reddit. Author verò noſter non dicit diuitias facere bonos : ſed potiùs quòd ſint bonæ à bonis, & ſanctis hominibus. Igitur diuitiæ non dant, ſed recipiunt bonitatem.

Eccli 11. *Seneca.*

Cor hominis immutat faciem illius, ſiue in bona, 13
ſiue in mala. Id eſt, Non ſunt diuitiæ quæ ho-
minem reddunt lætum, atque felicem: vt
nec paupertas triſtē, aut miſerum. Cor eſt,
quod triſtitiam, aut lætitiam, etiam vſque
ad faciem emittit. Cor pium lætitiam, &
velut pietatem in faciem transfundit: cor
impium, impietatem etiā in facie demon-
ſtrat. Si igitur vis eſſe felix, cordis ſit tibi cu-
ra prima. ¶ Collige tu, faciem eſſe veſtigi-
um cordis, vehiculum animæ, lucem præ-
cordiorum. & vt Hieronymus dixit, ſpecu- *Hieronymus.*
lum mentis.

Veſtigium cordis boni, & faciem bonam diffici- 14
lè inuenies, & cum labore. Planè cor ſanctum
faciem ſanctam oſtendit. At verò, vt eſt dif-
ficile cor ſanctum inuenire: ita & ſanctam
faciem. Eſt autem facies veſtigium cordis:
vt ſuprà dictum eſt. Planè ſtultorum infi- *Eccles 1.*
nitus eſt numerus. Virum autem vnum, nec *Eccles 7.*
inter mille reperies. Arcta eſt via, quæ ducit *Matth 7.*
ad vitam, & pauci inueniunt eam. Periȷt *Mich. 7.*
ſanctus de terra, & rectus in hominibus non
eſt. Ergo faciem bonam difficilè inuenies:
tum, quia rara eſt; tum, quia non cuiuſuis
eſt de bona facie ferre iudicium. Nam
etiam ſi bonus ſis, de bona facie,
non admodum facilè
iudicabis.

CAPVT XIIII.

Tradit, quis ſit dicendus Beatus.

1 *BEATVS vir,qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo,& non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti.Felix,qui non habuit animi ſui triſtitiã,& nõ excidit à ſpe ſua.* Lucius Papa epiſt.1.pro,nõ excidit à ſpe,legit,non abſcedit à ſpe.& litera Græca,pro triſtitia delicti, habet multitudinem peccatorum. vt ſit ſenſus,beatum eſſe, quem multitudo peccatorum non inſtimulauit.Iam nunc aduerte. Variæ nimis fuerunt olim de Beatitudine hominum opiniones. Id facilè tibi perſuadebis, ſi Diogenem Laertium legas. Imò D.Auguſtinus author eſt, Marcum illum Varronem Romanorum doctiſſimũ collegiſſe pluſquam ducentas de beatitudine opiniones. Adeò deluſa erat olim hominum fides.Surgit nũc Eccleſiaſticus, & voce elata dicit, Is beatus eſt,qui non eſt lapſus verbo : quiq́; graui caruit delicto : qui etiam caruit animi triſtitia : demũ,qui ſpe ſua nõ excidit. Vbi id nota, Teſte D. Iacobo,lingua ignis eſt, & vniuerſitas iniquitatis. Qui ergo potens eſt linguam ita moderari, vt non labatur verbo, is vniuerſam iniquitatem declinauit.Hinc colligas : Ergo,qui non labitur verbo,beatus eſt.Si enim declinauit omnem iniquitatem,beatus planè eſt.Peccatum enim eſt ſolùm,quod miſerum hominem facit.Et planè do-

Lucius Pp. *Diogenes.* *D.Auguſtinus* *Marc.Varro.* *Iacob.3.*

nè donum eſt Dei, nō virium humanarum, linguam ita moderari, vt non labatur vnquam. Nec lapſum linguæ declinabit, qui lapſum cordis non declinauit. Cùm enim lingua cor hauriat, quale cor eſt, talis erit & lingua. Secundò nota, Non fuiſſe admodum paucos, qui hoc beneficio ſunt à Domino affecti, vt grauiora crimina neſcirēt. Audi Iob dicentem, Non me reprehendit cor meum in vita mea. & Ezechiam dicentem, Memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te, fecerim. Quin & Dauid, antequam in crimina, cauſa Bethſabe, incidiſſet, dicebat fidēs non ſemel: Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam. &c. & item, Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: ſine iniquitate cucurri & direxi. Imò, de D. Bonauentura dicebatur, Non in eo Adam peccaſſe. & multæ animæ eſſe dicuntur, quæ viuunt abſque grauiore delicto. Has animas beatas pronuntiat Author noſter. Nam peccata, quibus fragilis vita, vt leuibus nebulis, offuſcatur, non ita extimulant animum, vt eius beatitudinem extinguant. Iam beatiſſima Virgo, beata, hac ratione pronuntiabitur, vt quam conſcientia delicti nunquam extimularit. & S. Ioſeph, Sanctus Ioannes Baptiſta, item & Euangeliſta. & tandem, quantò minùs extimulat delicti conſcientia, tantò ma-

Iob 27.
4. Reg. 20.
Pſal. 100.
Pſal. 58.
Bonauentura.
S. Virgo.
S. Ioſeph.
S. Io. Bapt.

tò magis quadrat beatitudinis nomen. Si enim peccatum iam præterijt, eiusq́ peracta pœnitentia eſt, & fiducia adeſt veniȩ impetratæ, beatū iam eum hominem, qui abſque peccato eſt ferè dices. Licet peccati trāſacti conſcientia, nonnihil de beatitudine mordeat. ¶ Tertiò vocatur beatus, qui non habuit animi triſtitiam. Quis neget, hominem natum de muliere, repleri multis miſerijs? Quis neget, quin ſit vita plena malis? Quis non cum Dauide dicat, In laboribus à iuuentute mea? In me tranſierunt iræ tuæ. At nihilominus, ſi ita moderaris animum tuum, vt triſtitia pertingat ad fores animi, non verò intus penetret, beatum te noſter Author clamat. Paulus inquit, Gaudete in Domino ſemper. Num non is, qui gaudet ſemper, erit beatus ſemper? Iactant Philoſophi ſuum quadratum hominem, quē nec proſperitas extollat, nec aduerſitas deprimat. id eſt, quem caſus, è ſuo loco minimè diuellat, hunc aſſerit author eſſe beatum. Sed tu lector crede, hos rariores beatos, quàm coruos albos. Non diffiteor tamen, beatum hoc loco vocari, qui etiā ſi in parte ſenſaria triſtitiâ concutiatur, in rationali tamen Diuinæ voluntati perſtat conformis. Et mihi perſuaſum eſt, ſi vllus hoc modo beatus inuenitur, hūc inter Chriſtianos inueniri. quos ſ. Diuina gratia ita contra triſtitiam armat, vt glorientur in tribulationibus: & eant à conſpectu concilij gaudentes, licet contumeliam fuerint paſſi. ¶ De-

Iob 14. *Pſal. 87.* *Eodem.* *Philip. 4.* *Philoſophi.* *Rom. 5.* *Actor. 4.*

¶ Demum quartò ille beatus erit, qui non excidit à ſpe ſua. Habent Chriſtiani tres virtutes, quas Theologicas Theologi nominãt. earum media eſt ſpes. Hęc facit pium hominem ſuam beatitudinem in cælo ſperare. Creſcit ſpes hæc, quò magis pietas creſcit. Flacceſcit verò actus ſpei, quò magis animus à ſuo Deo recedit. Videlicet Principi egregiè ſeruire, animos erigit, vt ab eo bona prouentura credamus. Contrà, qui illum offendit, animum ab hac perſuaſione deſpondet. Quàm ergo eſt ille beatus, qui ex pietate, quam erga Deum gerit, ſpem habet gloriæ cęleſtis: neque hanc ſpem vllum crimen abſcidit? Dices, Quis eſt hic, & laudabimus eum? Planè ille eſt, quem conſcientia delicti non extimulauit. Et tu lector intellige, non eſſe curæ Authori noſtro, quot ſint in mundo beati: ſed quomodo poterit, qui volet eſſe beatus. Rurſum, vt Chriſtus initio ſuæ prædicationis docuit octo, aut nouem modos, quibus aliquis poſſit eſſe beatus, vt qui in vno modo beatus non eſt, poſſit in alio eſſe: ita hîc Author docet quatuor modos beatitudinis: qui verò his beatus non erit, alijs eſſe poteſt. Nam beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Beati qui timent Dominum. Beatus quem erudierit Dominus. Beatus qui non abijt in conſilio impiorum. & alia multa. Certè Authori noſtro, hoc loco Dauid accinit, cùm ait, Beati immaculati in via. Et Chriſtus, cùm docet, Beati mundo corde.

Matth.5. *Pſal.40.* *Pſal.127.* *Pſal.39.* *Pſal.1.* *Pſal.118.* *Matth.5.*

2 *Viro cupido & tenaci, ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini liuido ad quid aurum? Qui aceruat ex animo ſuo iniuſtè, alijs congregat: & in bonis illius alius luxuriabitur.* Dixerat, quis ſit beatus: nunc contra vulgi opinionem docet, quis non beatus, ſed miſer eſt. Credit vulgus, hominem opibus, & auro diſtentum, beatum penitus eſſe: at inquit Author, ſi is cupidus eſt, & parcus, quorſum habet ſubſtantiam?

Liuidus. Liuidum, ſeu inuidum eum intellige, qui ſibi etiam, nedum alijs, inuidet bona, quę habet. Huic igitur, ad quid eſt aurum? Deus enim eò ſubſtantiam dat, vt inde, & qui habet eam, & qui non habet, ſubſiſtant, & ſuſtineãtur. quòd ſi eo fine vterque fraudetur, planè in vanum hic ſubſtantiam, & aurum accepit. Conijcimus in ſtomachum cibos, vt hic eos alijs membris diſpenſet. Si non diſpenſat, quorſum illos accepit? Condidit

Geneſ. 41. Ioſeph frumenti grandem vim in horrea ſua, vt eam tempore famis diſtribueret: ſi reſeruaſſet, nónne fruſtra fuiſſet illa frumentorum moles tam vaſta? Bonum eſt ſui diffuſiuum. Si auarus non diffundit, facit vt bona quæ habet, bona non ſint. ¶ Secundum membrũ habet priorem ſenſum: Qui ex affectu aceruandi aceruat iniuſtè, iuſtè à Deo punietur, vt non ſibi, ſed alijs aceruet. Habet poſteriorem: Qui animę ſuæ detrahens, diuitias abſcondit, non ſibi, ſed alijs abſcondit: qui larga manu, velut filius ille prodigus, viuendo voluptuosè illas

Luc. 15. abſument. ¶ Notabis, aliquando diuitias iuſtè

iuſtè recondi: & tunc non puniuntur illâ pœnâ. vt cùm Rex theſaurizat, gratia belli: pater, vt filiam matrimonio iungat: diues, vt domum ædificet. meritò igitur dixit, ex animo, & iniuſtè. inuenias enim animos adeò miſeros, & auaros, vt verè dicas, eos aurum habere pro idolo. *Qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? & non iucundabitur in bonis ſuis. 2. Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo nequius. Et hac eſt redditio malitiæ illius. 3. Et ſi beneſecerit, ignoranter, & non volens facit: & in nouiſsimo manifeſtat malitiam ſuam.* Duos ſenſus habet primum membrum. Alter eſt: Qui ſibi nequam eſt, cùm non iucundetur, neque voluptatem capiat ex bonis ſuis, quomodo iucunditatem alij dabit, quam ſ. ſibi negat? Poſterior eſt: Qui ſibi parcus eſt, nulli largus erit: & in pœnam tantæ culpæ faciet Deus, ne iucunditatem ille capiat ex bonis ſuis. vt ſ. aut ea amittat: aut ſi non amiſerit, habeat in tormentum & curam, non in voluptatem, aut remedium. In ſecundo membro duo conſideranda ſunt. Alterum contra hominum iudicia, qui credunt nihil diuite, etiam parco, eſſe melius. at Deus dicit, nihil illo eſſe nequius. de quo ſuprà c. 10. dictum eſt, ſuper illo textu, Auaro nihil eſt ſceleſtius. Alterum contra ipſius auari iudicium. credit ille, poſt longâ parſimoniâ, ſe in bonis partis iucundè victurum. at Deus aliter diſpoſuit, vt ſ. nunquâ voluptatem ex ſuis bonis capiat. hæc enim eſt redditio, & pœna,

Galat. 5.

Eccli 10.

pœna, quâ eius malitia punitur. Theologus verò expendat, auaritiam, quâ quis ſe debitis bonis defraudat, non ſolùm eſſe vitium capitale: ſed & mortale. Si enim mortale eſt, proximum in neceſſitate ſubſidio fraudare: maius erit, ſi ſe ipſe defraudet. Vltimum membrũ apertius erit, ſi legatur diſiunctim. ſ. Si bene fecerit, ignoranter, aut non volens facit. Nam cùm ab auaro beneficium extorques, aut ille putauit beneficiũ eſſe minus: ac ideo ignorans dedit. aut ſi beneficium quantum eſſet intellexit, ex verecundia, & contra animi votum dedit. Quod tandem eius verba, & nonnunquam obortæ lachrymæ manifeſtant. vt qui ita dedit, nihil dediſſe videatur: vt contrà, qui gratanter, & placidè dedit, bis dediſſe videtur.

3 *Nequam eſt oculus liuidi, & auertens faciem ſuam: & deſpiciens animam ſuam.* Quia dixerat auarum, cùm bene facit, ignorantem, aut inuitum facere, velut eum faſtidiẽs, clamat Author: Nequam eſt auarus, ſeu liuidus, ſeu inuidus. Cur ô bone? quia auertit faciem à miſeris: imò deſpicit animã ſuam. id eſt, quos velut animam diligere debuerat, ſ. parentes, cognatos, amicos. At, qui ſuorum, maximè domeſticorum, curam non habet, eſt infideli deterior. 1.Tim.5.

4 *Inſatiabilis eſt oculus cupidi in parte iniquitatis. Non ſatiabitur donec conſumat arefaciès animam ſuam.* Vt duæ ſunt ciuitates, ſ. Dei, & diaboli: ita ſunt duæ hæreditates, ſeu partes earum. Bona ſpiritualia, ſunt pars ciuitatis Dei: Auguſtinus.

quia

quia Dominus pars hæreditatis meæ. At Pſal.15.
mámona iniquitatis,ſeu diuitiæ, pars ſunt, Luc.16.
quam tantopere cupiunt ciues diaboli. In
hac ergo parte iniquitatis,ſ.in diuitijs,inſa-
tiabilis eſt oculus auari.qui quò plus videt,
plus deſiderat.Nec ſpes eſt,eum ſatiandum,
donec vitam abſumat, etiam arefaciens, &
curis, & parſimonia exſiccãs carnem ſuam,
& animam item. Nam cupiditates hauriũt
etiam animæ vires. ¶ Tu ſtupens conſide-
ra, diuitias vocari partem iniquitatis,in-
numeris planè cauſſis. ſ. quia eas Deus , vt
plurimum , iniquis largitur : vt Mauris,
Gentilibus,&c. & quia vix ſine iniquitate
comparantur. & tertiò, quia vix ſine ini-
quitate ſeruantur, cùm ſ.tot ſint pauperes. Matth.26.
& quartò, quia ait Dominus, Væ vobis di- Luc.6.
uitibus,quia habetis conſolationẽ veſtram.
demum ad manum dexteram Iudicis ſunt Matth.25.
mala temporalia,& bona ſpiritualia : ad ſi-
niſtram, ſ. in parte iniquitatis, ſunt mala
ſpiritualia, &, vt plurimum, bona tempo-
ralia. ¶ Nota etiam, nunquam in tota vi-
ta auarum ſatiari : ſed potiùs deſiderijs, &
ardenti cupiditate animam ſuam arefacere.
Vt ea illi tormentum afferant, quæ opem
(vt quæ opes dicuntur) erant allatura.

Oculus malus ad mala : & non ſatiabitur pane, 5
indigens : & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam.
Perſtat, depingens auarum, dicẽs, eius ocu-
lum ſemper reſpicere ad parcitatem, & mi-
ſeriam ; ita vt indigens pane minimè ſatie-
tur : & mẽſa,in qua panis cor hominis con- Pſal.103.
firmat,

firmat, & vinum lætificat, ea menſa pariat auaro triſtitiam, dum fameſcens non audet inde ſatiari. O tormẽtum! Sitis, & ex aqua præſenti non bibis? Pratum adeſt, & cibo cares, nec paſcis. Lætitiam habes in menſa præſentem: & inde triſtitiam edis.

6 *Fili, ſi habes, benefac tecum: 2. Et Deo dignas oblationes offer. Memor eſto quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentum enim huius mundi morte*
7 *morietur. 3. Ante mortem benefac amico tuo: 4. Et ſecũdùm vires tuas exporrigens, da pauperi.* Quatuor ſunt hoc loco præcepta auaritiæ aduerſaria. Primum, Si habes, tecum benefac: vt ne detrahas pecuniæ, detrahas tibi. Sed veſti, & ciba te, vt decet. Secundum. Deo, nõ viles, aut parcas offeras oblationes, cum

Geneſ. 4. Cain: ſed cum Abel dignas offer. Dignas, ſ. Deo, & te. Ratio vtriuſque præcepti eſt: quia mors properè venit, ac ideo neque Deum, neque te bonis debitis fraudes. Teſtamentum inferorum, vocatur pactum cum

Geneſ. 3. inferis. Nam humana natura, peccando in primo parente pepigit, atque promiſit, ſe morte morituram: ac ideo in infernum (aut limbum, aut purgatorium, ante Chriſti mortem) ituram. Si ergo hoc teſtamentum & pactum quotidie nobis monſtratur, cur non Deo, & nobis ante mortis aduentum benefaciemus? Porrò teſtamẽtum huius mundi, eſt pactum, quod cum mundo

Iſaia 28. fecimus. Vt enim apud Iſaiam impij percutiunt

tiunt cum peccato, & cum morte pactum, & teſtamentum, quo promittunt illi ſeruire, & eo frui: ita nos velut promittimus, longâ noſtrâ vitâ, mũdo frui, atque illi ſeruire. At Author dicit, hoc teſtamẽtum non in æternum duraturũ: ſed citiùs, quàm velis, moriturũ. ergo benefac antequam finiatur. Quomodo verò velit Author, vt tibi benefeceris, clauſula ſequente docebit. Tertiũ pręceptum eſt, vt amico ante mortẽ benefacias, non contentus (vt Gentiles ſolebãt) illi hæreditatem poſt mortẽ relinquere. Quartum eſt, vt pauperi des: non iniquũ, & parcum beneficium: ſed vires tuas quantũ poteris extende, & ita dederis. ¶ Vbi dignũ eſt notatione, quòd doceat nos dare, non vltra vires: ſed ſecũdùm vires, non contractas, & nimio timore inopiæ futuræ collectas: ſed exporrectas, & de Domini ſubſidio cõfiſas. Id laudat Paulus in Galatis dicẽs, Teſtimoniũ vobis perhibeo, quòd ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. & in Corinthijs, quòd ſupra virtutem etiam, voluntarij fuerunt. *Non defrauderis à die bono: & particula bonæ diei non te prætereat. Nónne alijs relinques dolores, & labores tuos?* Declarat illud primum præceptum, ſ. Benefac tecum. Non inquit, patiare, vt dies bonus te prætereat, ſed nec diei bonæ particula. Titus, orbis deliciæ, dicebat diem ſe amiſiſſe, in quo neminem beneficijs affecerat. Ergo tu, & alijs, & tibi quouis die benefac: imò ſi potes, & quauis occaſione. Iam nemo

Galat.4.

2. Cor.8.

Titus.

eſt tam

eſt tam Epicureus,qui credat hîc præcipi,vt quauis hora comedamus & bibamus : ſed ne auaritia nos ab honeſta voluptate reuocet. Quod ſequitur,hũc habet ſenſum : Cur defraudes te bona voluptate, cùm alijs ſis opes tuas relicturus, quas tot doloribus, & laboribus comparaſti? Ideo enim diuitiæ vocantur dolores, & labores. ex vſu S.Scripturæ, iuxta illud de primogenito Ruben,
Geneſ.35. Tu initium doloris mei. quia tunc initium eſt laborum patribus,cùm filium genuerũt: ad quem alendum laborare coguntur. Porrò litera Græca,illi verbo,labores tuos, addit, in diuiſione ſortis. vt ſit ſenſus : Fruere bonis tuis, quia opes dolore, & labore partas relinques in diuiſione ſortis,ſeu hæreditatis. id eſt, relinques hæredibus, qui tuam ſortem diuident. At verò diſpunctio noſtra nobilem ſenſum indicat. quæ ſic habet :

8 *In diuiſione ſortis da, & accipe, & iuſtifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quia non eſt apud inferos inuenire cibum.* Id eſt, Cùm teſtamentum condis, & in eo hæreditatem tuam legas, ita hæredibus dato, vt tibi etiam accipias, ſ. quæ pro anima tua leges. Accipe partem hæreditatis, vt anima
2.Mach.12. tua iuſtificetur. Memento Machabæorum, qui vim argẽti, pro mortuis Ieroſolymam miſerunt. ita & tu, ex tuo, accipe, quo anima tua, è Purgatorio iuſta diſcedat. Ergo hoc priore præcepto docet Author,vt tempore teſtamenti condendi, ita relinquamus hæredibus, vt accipiamus nobis, quod in

obla-

oblationibus, & eleemoſynis pro iuſtificatione animæ conſumatur. Poſteriore præcepto nos admonet, ne curam animæ noſtræ hæredibus relinquamus: ſed ſi quid debemus, nos ante obitum ſoluamus: ſi eleemoſynæ dandæ, ſi ſacrificia litanda, id ante obitum curemus. quia apud inferos non eſt tempus inueniendi, ſeu merendi præmium æternum. ¶ Hîc duo colligat Theologus. Alterum eſt: Poſt mortem non eſt tempus merendi præmium. Hæc vita eſt tempus inueniendi, id eſt, merendi, quo merito inueniatur cibus æternus. & ne credas, temere nos, pro inuenire, dixiſſe mereri, ſcito Græcis pro inuenire haberi, quærere. ergo apud nos inuenire eſt, merendo. Vnde ſtultè colligunt hęretici hoc loco Purgatoriũ negari. Sanè qui in Purgatorio eſt, non ibi cibum meretur: ſed mereor ego tamen, in hac vita, quod ei poſſim communicare. ¶ Alterum eſt: Habet futurum ſeculũ cibos ſuos. Nam Chriſtus diſponit regnũ ſuis, vt edant Luc. 22.
& bibãt ſuper menſam ſuã. & potum habebat in limbo Lazarus, ex quo diues optabat Luc. 16.
linguam humectare. Licet enim cibi, & potus nomina, propriè de corporalibus dicantur: veriùs tamen & ſublimiùs de ſpiritualibus dicuntur. nam Chriſtus panem ſe Iohan. 6.
verum dicit: planè quò altior, eò verior.

9 *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. 2. Alia generantur, & alia deÿciuntur: ſic generatio carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur. 3. Omne opus*

corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo. Et omne opus electum iuſtificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo. Græcis pro fœnum eſt veſtimentum. ſed idem ſenſus eſt. 2. videbatur legendum, & ſicut folia fructificãtia in arbore viridi, alia generantur, alia deijciũtur: ita generatio carnis, &c. ſed etiam quadrat diſpunctio noſtra. 3. caro & ſanguis ex phraſi Hebræa, quâ vſus eſt Ioannes, & Paulus, ſignificat hominem, necdum ſpiritu Dei afflatum. Ioannes inquit,

Iohan.1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex volunta-

1.Cor.15. te carnis &c. Paulus, Caro & ſanguis regnũ

Suprà. Dei non poſſidebunt. Imò & Chriſtus, Ca-

Matth.16. ro & ſanguis non reuelauit tibi. Nunc ad textum. Author admonebat, ne nos præteriret dies bonus, ſiquidem eramus morituri. id confirmat nunc, dicens: Omnis homo ſicut fœnum properat in ſenectam, & ſicut folium fructificans. Aptiſſimè quidẽ. Cùm folium necdũ protulit fructum, adhuc viret, & ſplendet: ſed ſimul ac fructum edidit, languet, & vergit in occaſum. ita, & vita noſtra ferè ſemper languet, & tendit in mortẽ.

Eccles 1. Secundi membri ſenſus eſt: Nata moriuntur, vt dent locum alijs, quæ naſcuntur. Ita & tendis in mortem, vt tuis des hæredibus locum. Si ergo moriendum eſt, cur te bono die defraudas, & alijs relinquis? Tertium membrũ reſpicit verbũ proximè dictum, ſ.

Pſal.36. ante obitum operare iuſtitiam. id eſt, declina à malo, & fac bonum. quia malum opus in fine deficiet, & ibit cum operario eius: at bonum,

bonum, in fine iuſtificabitur, & per ipſum operarius honorabitur. ¶ Ex hoc loco Theologus multa dogmata colliget. Primum eſt: Omne opus corruptibile, ſeu malum, in die finis, & obitus noſtri deficiet. vt enim ſuprà c.11. dictum eſt, In fine hominis denudatio operũ eius. & Paulus addit, tunc opus hominis examinandum per ignem: & quod palea fuerit, ſtipula, aut fœnum, arſurum. En, quod opus corruptibile fuerit, ardebit, & deficiet. Ideo enim non reſurgunt impij in Iudicio: quia examinati inuenti ſunt deficientes, & minus habentes, vt Balſaſar. ¶ Secundum dogma eſt: Omne opus malũ ibit cum eius operatore: quia damnati, in peccato quo moriuntur, perſeuerant ſemper: nec enim eorum eos vnquam pœnitet. Iuxta illud, Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper. Id docet Author, cùm dicit: qui illud operatur, ibit cum illo, nec vnquam ab eo diſcedet. Tertium dogma eſt: Omne opus electum, ſeu bonum, in fine vitæ hominis iuſtificabitur. id eſt, poſt examen eius, iuſtum iudicabitur. quod Paulus dicit, eſſe aurum & argentum, & lapides pretioſos. quæ ſ. igne non corrumpuntur. vt quę incorruptibilitatem à Spiritu ſancto, à quo facta, & inſpirata ſunt, acceperunt. Conuenit hoc dogma cum illo, Cùm accepero tẽpus, ego iuſtitias iudicabo. Quartũ dogma: Qui operatus eſt opera electa, honorabitur in eis. Quia ſummè glorioſum erit, tũc audire, Venite benedicti, quia dedi-

(Margin: Eccli 11. — 1. Cor. 3. — Pſal. 1. — Dan. 5. — Pſal 73. — 1. Cor. 3. — Pſal. 74. — Matth. 25.)

dediſtis mihi manducare, &c. & item, Euge
Matth.24. ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, &c.

10 *Beatus vir, qui in Sapientia morabitur: & qui in iuſtitia ſua meditabitur: & in ſenſu ſuo cogitat circunſpectionem Dei.* Stulta mortalium opinio, iudicantium diuitem (quãuis auarum) eſſe beatum, fecit Authorem à cœpta beatitudinis doctrina digredi: nunc ad eam regreditur. Porrò, vt eum intelligamus, ſtatuendum eſt, Inter multos modos, quos ſibi viri ſancti inuenerunt ad Deum colendum, mala cauenda, & bona facienda, hunc fuiſſe vnum, vt Deum prę oculis ſemper haberẽt. id eſt, nunquam obliuiſcerentur, ſe coram Deo eſſe, Deúmque ſibi eſſe præſentem. Ita
Heb.11. Moſes inuiſibilem Deum, velut videns ſuſ-
Pſal.15. tinebat. Ita Dauid dicebat, Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Ita
3.Reg.17. Elias iurabat, Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto. Ita & Eccleſiaſticus ſuprà mone-
Eccli 9. bat, vt in ſenſu noſtro ſit ſemper cogitatus Dei. Is ergo, qui Deum, Deiq́ Filium, & Sapientiam continenter prę oculis animæ adfert, in Sapiẽtia moratur: meditaturq́ quomodo coram illa iuſta opera faciat, cogitans ſe à Deo circunſpici, nihilq́ eſſe intus & extra, quod celare culpam Deo poſſit, cùm ipſe in circuitu totos nos videat. Is ergo, qui ita Deum videt, beatus ab Authore pronuntiatur.

11 *Qui excogitat vias illius in corde ſuo, & in abſconſis ſuis intelligens: vadens poſt illam, quaſi inueſti-*

ueſtigator, & in vys illius conſiſtens. Id eſt, tractat mundo deditus in corde ſuo, & in receſſu cordis abſconſo, quibus vijs honores, opes, & cætera conſequatur. Beatus ille tamen, qui ita in cordis intimis curat, & tractat, quibus vijs Domino placeat, quibusq; illum aſſequatur. Si quæris quæ ſunt viæ Domini, reſpondebitur tibi: Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Si item quæris, quomodo iuſtus vadat poſt Deum, vt inueſtigator, reſpondet Paulus: Sequor, ſi quo modo comprehendam. & item, Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea, quæ ſunt priora, extendens me. Ergo Sancti, non contenti communia mandata impleuiſſe, quærunt maiora: inueſtigant, quibus vijs magis Deo placeant, magis illum apprehendant, & teneant. Id faciunt per miſericordiam, & innocentiam. quod magis exercitio, quàm calamo intelligi debet. *Pſal.24.* *Philip.3.* *Eodem.*

Qui reſpicit per feneſtras illius, & in ianuis illius audiens: Qui requieſcit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum ſtatuet caſulam ſuam ad manus illius: & requieſcent in caſula illius bona per æuum Teſte Paulo, Deus lucem habitat inacceſſibilem. Eſt igitur Deo domus, ſua lux. Licet alicubi dicatur, Poſuit tenebras latibulum ſuum. Vnde & antiquorum Theologorum dictum eſt, Deum in caligine cognoſci. Et equidem Deus habitat in lumine: licet id lumen nobis tenebræ ſint, & caligo, qualis eſt lux Solis oculis noctuæ. Aperit Deus tamen hanc aliquando 12 *1.Tim.6.* *Pſal.17.* *Dionyſius cal. Hierarch.* *Pſal.103.*

caliginem electis ſuis, atque tunc, velut per
Pſal. 118. feneſtras, conſiderãt mirabilia de lege Dei.
Reuelat tunc Deus portas, quibus occluſa
nobis eſt Diuina lux: & tũc, velut per aper-
Pſal. 50. tas ianuas, incerta & occulta Sapientiæ Dei
pijs hominibus manifeſtãtur. Aperit etiam
aliquandò Deus caliginẽ ſuam maiore aper-
Cantic. 1. tione, & velut per ianuam inducit ſponſam
in cellaria ſua, vbi eius verbum nonnun-
quam audit. Tales pios pronuntiat Author
beatos. ¶ Porrò in magnis ciuitatibus ſo-
lent eſſe ampliſſimę domus, iuxta quas pau-
peres habitare ſolent. Fixo ſcilicet palo in
parietibus domus, & inde lintheo ſuſpenſo,
quo in modũ tabernaculi pauper tegatur.
Similiter facit vir pius, qui curat nũquam
à Dei contemplatione diuelli. Is enim fixit
propoſitum ſuum iuxta Deum, & ibi iuxta
eum habitat, velut in caſula aut tabernacu-
lo. Nec equidem infructuoſè. nam per ia-
nuam & feneſtras magnæ domus multa bo-
na communicantur caſulæ illi: quæ bona
non prætereunt, ſed durabunt in æuum.
¶ Habet Theologus, dum vita hæc manet,
pios non penetrare Diuinam lucem, vt San-
cti in cælo penetrant; ſolùm ad feneſtras,
ad ianuam, & nonnunquam ad cellaria, ſed
non intra palatium Regis, Dei reuelationes
habere.

13 *Statuet filios ſuos ſub tegmine illius, & ſub ra-
mis eius morabitur. Protegetur ſub tegmine illius à
feruore, & in gloria eius requieſcet.* Dixit Au-
thor Deum eſſe domũ; nunc dicit eſſe auem,
ſub

ſub cuius tegmine ſuos pius vir filios collo-
cat. iuxta illud, Sub vmbra alarum tuarum Pſal.16.
protege nos. Nec enim alij patrono ſcit ſua
pius commendare, quàm Deo. Addit Deum
eſſe pulcherrimam arborem, ſub cuius vm-
bra, quam pius deſiderauit, moretur. nec Cantic.2.
fruſtra. nam ab ea arbore in tribulatione
protegetur, & in gloria eius requieſcet. Id
erit poſtea in cælo : & nunc nonnihil in ter-
ra, nam ſorbitiunculas gloriæ Deus ſuis pijs
communicat : in quibus illi quieſcunt, & ſi-
ne eis nunquam plenè quieſcunt.

CAPVT XV.

PRIMA PARS.

Sapientia quid præſtet.

QVI timet Deum, faciet bona. 2. Et 1
qui continens eſt iuſtitiæ, appreben-
det illam. Et obuiabit illi quaſi ma-
ter honorificata, & quaſi mulier à
virginitate ſuſcipiet illum. Placere
doctis video, primũ verbum, hunc habere
ſenſum (vt litera Greca indicat) : Qui timet
Deum, faciet bona illa, quæ in fine cap. præ-
cedentis dicta ſunt. ſ. meditabitur iuſtitiam:
cogitabit circunſpectionem Dei : reſpiciet
per feneſtras Sapientię : figet palum in pari-
ete domus Sapientię. &c. Secundũ item ver-
bum, vt eiſdem placet, ita intelligitur : Is è
cuius manibus non elabitur iuſtitia, ſed qui
eam prehẽſam tenet, is etiã apprehendet Sa-

pientiam. Tunc Sapientia ab homine apprehenſa, eum ſequentibus beneficijs ditat. Primùm exhibet ſe illi, vt mater, & vt ſponſa, quæ virgo ſponſo ſuo copulatur. Nulli ſunt amores in mundo maiores, quàm matris, & ſponſæ, quæ virgo viro nupſit. Hunc amorem, imò multò maiorem, Sapientia Diuina ſuo hoſpiti demõſtrabit. Maiorem, inquam, quantò maior eſt ſpiritus, quàm caro. Hunc amorem ille ſentiebat, qui di-
Pſal.83. xit, Cor meum & caro mea exultauerunt in
Pſal.41. Deum viuum. &, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. &c. eius Pſalmi, ferè omnia.

2 *Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua Sapientiæ ſalutaris potauit illum.* Hoc eſt ſecundum Sapientiæ beneficium. Chriſtus dixit,
Luc.22. Diſpono vobis regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meã. Guſtus igitur & prelibatio illius æternæ beatitudinis, panis & aqua eſt, quibus cibat & potat ſuum Sapientia di-
Geneſ.3. lectum. In paradiſo arbor erat ſcientiæ boni, & mali: ſimul erat arbor vitæ. At Sapientia cùm arbor ſit vitæ, boni arbor eſt, mali non eſt. hoc cibo ſatiati Sancti, corporalem faſtidierunt, vt Moſes, Elias, Franciſcus, Clara. ¶ Et Theologus notet, Ad Verbum Dei Patris refertur panis. nec enim
Matth.4. in ſolo pane viuit homo, ſed in Verbo.
Iohan.7. ad Spiritum ſanctum, aqua. teſte Ioanne, qui verbum Chriſti de aqua, ſaliente in vitam æternam, ait intelligendum de Spiritu. Cùm igitur potentiæ primæ in anima ra-

ma rationali ſint intellectus, & voluntas: ſi intellectui Sapientia dat cognitionem diuinam, dicitur eum cibare pane vitæ. At cùm volũtas liquatur in Diuina dulcedine, aquâ Sapientię potatur. non liquore alchimico, quem cæleſtem aquam, vel quintam eſſentiam nominant: ſed liquore Diuino, ignito, animam liquante, transformante, & quid non?

3 *Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & nõ confundetur.* Scio Græcis eſſe, Firmabitur ſuper eam, & non flectetur: nitetur ſuper ea, & non confundetur. vt ſit ſenſus: Vir pius firmabitur ſuper Sapiẽtia: nec flectetur. Nitetur ſuper ea: nec eum vnquam pudebit. Sed grandior ſenſus eſt in Latina verſione: ſ. Sapientia firmabitur in pio: & is propterea non flectetur. Ac item Sapientia continebit eum, nec cõfundetur. Hoc eſt tertium ac grande beneficium perſeuerantiæ, quòd viro pio Sapiẽtia præſtat, videlicet, quod non ei leuiter hæret, ſed firmiter. Ac ideo tali firmitati pius adiũctus, flecti ab hoſtibus non poteſt. Tum etiam Sapientia continet virum pium: ac ideo non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta. *Pſal.126.* ¶ Aduerte primùm, pium hominem non flecti, non eſſe adſcribendum ei, ſed Sapiẽtiæ, quæ ſe in illo firmat. Nec enim quia nos in illa firmamur, perſtamus recti: ſed quia ſe in nobis illa firmat. Secundò aduerte, Omnia temporalia flectere nos deorſum, vt flexa erat illa fœmina, quæ iam ab *Luc.13.*

annis decem & octo cælum recta intueri nequibat. At Sapiētia reddit hominē rectum, vt ille olim creatus erat: & licet omnia temporalia contendant flectere quem ſapientia erigit, non poterunt. Nulla enim creatura valet ſeparare nos à charitate Dei.

Eccles 7. *Rom. 8.*

Tertiò nota, Hominem ex ſe continuò defluere, & labi. Sumus enim (vt illa dixit) aqua, quæ dilabitur ſuper terram. Ac ideo Paulus rogat, ne pereffluamus. Fluentem igitur animam Sapientia continet, ne pereffluat, & confundatur. ô miſeriam, anima per feneſtras ſenſuum elabitur in mundi caſtra, niſi à Sapientia contineatur. Quartò nota, in tempore mortis, vt impius coram Deo, Angelis, & dæmonibus ignominiâ verecunda afficietur, ita pius ab ea verecundia (quæ incredibile malum erit) liberabitur.

2. Reg. 14. *Heb. 2.*

4 *Et exaltabit illum apud proximos ſuos.* Hoc eſt quartum beneficiū Sapientiæ, Quòd exaltat ſuos inter proximos eorum. Nam viri ſancti apud nos admirationi habentur: adorantur ferè à Regibus: variĵs muneribus donantur à diuitibus: & demum, velut dij habentur ab omnibus. Vix Paulus continet gentes, ne ei hoſtias offerant. Petri etiā vmbra ſanat, quos coram eo proijciunt in plateis. Lege Acta Apoſtolorū, & illud Iſaię, Erunt Reges nutritij tui.

Actor. 14. *Actor. 5.* *Yſaia 49.*

5 *Et in medio Eccleſiæ aperiet os eius: & implebit illum ſpiritu Sapientiæ & intellectus.* Id eſt quintum beneficium, quo viri pij nonnunquam

quam idiotæ, prædicatores Eccleſiæ efficiuntur, adeò efficaces, neruoſi, & flammantes, vt alij præ eis doctores ferè cõtemnantur. Exemplo ſit primus Moſes, poſtea Prophetæ, inde Apoſtoli, & non adeò antiquus D. Antonius Luſitanus. Et verè in illis implet Dominus promiſſionem ſuam, qua dixit, Aperi os tuum, & ego implebo illud. *Pſal.* 80.

Et ſtola gloriæ veſtiet illum: iucunditatem, & exultationem theſaurizabit ſuper illum. Credo 6
per hanc ſtolam intelligi aureolam doctoralem, quâ Theologi fatentur Doctores Eccleſiæ in æternitate coronandos. Horum verò gaudium erit velut theſaurus immenſus. Ijs enim dicitur, Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Matth.* 24. Quod nulla facultate dicendi explicari poteſt. Rurſum his dicitur, Super omnia bona ſua conſtituet eum. *Eodem.* Quod ſi tu intelligendo aſſequeris, nobis precor explica. Ergo immenſum gaudium erit Doctori, quòd ad Deum errantes adduxit, & deuios. Hic erit theſaurus lætitiæ.

Et nomine æterno hæreditabit illum. Hoc eſt 7
vltimum beneficium, Quòd multi Reges, & Principes mundi, multi Sapientes, & Philoſophi ſepulti in perpetua obliuione iaceant: Pij tamen hi, licet inopes, idiotæ, & mundi purgamenta, nomine tamen, & fama perpetua apud nos viuunt. *1. Cor.* 4.

SECVNDA PARS.

Qui ſint Sapientiæ exortes.

Homi-

8 *HOmnes ſtulti non apprehendent illã: & homines ſenſati obuiabunt illi. Homines ſtulti nõ videbunt eam: longè enim abeſt à ſuperbia, & dolo. Viri mendaces non erunt illius memores: & viri veraces inuenietur in illa: & ſucceſſum habebunt, vſque ad inſpectionem Dei* Licet dubium eſſet, quos Author vocet ſtultos, & mendaces: at

Stultus. ipſa litera, & eius contextura docet ſtultos eſſe ſuperbos. Nam cùm dixiſſet, Stulti non videbunt eam, ſubiunxit cauſam: longè enim abeſt à ſuperbia. Ergo ſuperbum vocat ſtultum. Iam cùm de dolo dixiſſet, ad-

Mendax. iecit, viri mendaces: vt eos vocet mendaces, qui ſunt doloſi. Ergo ſi vis Sapientiam, coram Deo eſto humilis, & proximis eſto

Pſal. 14. minimè doloſus. Planè qui ingreditur ſine macula, qui loquitur veritatem: id eſt, qui non egit dolum in lingua ſua, is requieſcet in monte ſancto. Quod alijs verbis dicitur,

Pſal. 23. Qui non accepit in vano (ſuperbia vanitas eſt) animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. Contrà igitur, Senſati erunt humiles: & non doloſi, veraces. ¶ Iam expende verba, Stulti ſeu elati non apprehendent Sapientiam. Planè id eſt mirabile dictu. Celſiſſima eſt Sapientia, ſubleuas te, & fugit à te: humilias te, & obuia fit illa tibi: vt ferè non quæſita, occurrat. Planè quia quærendo humilitatem, quæris Sapientiam. Secundò, humiles vocantur ſenſati: quia ſuperbia vana, ſenſu nos vacuat, & ve-

Pſal. 130. lut excerebrat. Lege Pſalmũ, Domine non

eſt

eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.&c. Si nõ humiliter ſentiebã,&c. Tertiò ſtulti non vident Sapientiam. Quantò enim illi magis ſe exaltant, tantò illa ſe altiùs attollit, ac ideo ab oculis eorum diſparet. Quartò, mendax indignus eſt cui fidas, ac ideo quærendus eſt tibi verax. Vbi verò eum inuenias? Certè in Sapientia. Id eſt, quære pium, in quo habitet Sapientia, & iam veracem inueniſti. Demum dicit, veracibus omnia rectè ſucceſſura. quia quæcunque facient proſperabuntur. Nam dili- Pſal. 1. gentibus Deum omnia cooperantur in bo- Rom. 8. num. Vſque ad inſpectionem Dei, id eſt, vſque ad mortem : in qua Deus cuncta noſtra opera examinabit, inſpiciet, & iudicabit. Nam tunc iuſtitias iudicabit. Pſal. 74.

9 *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris : quia à Deo profecta eſt Sapientia. Sapientiæ enim Dei adeſt laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi.* Huius literæ commentarius eſt litera Græca, quæ ſic habet : Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Quia à Deo non eſt miſſa illi. Et ſenſus eſt : Quæ à ſpiritu humano proficiſcuntur, non ſunt ſpecioſa : vt illa, quæ à Deo profecta ſunt. Cùm igitur laus in ore peccatoris, à Deo non ſit illi miſſa, non erit ſpecioſa. Quum enim Sapientia ſit à Deo profecta, laus ſimiliter erit à Deo profecta, (eſt ſiquidem laus Sapientiæ ſequax.) Ergo laus à Deo data abundabit in viro fideli, quia Deus dabit eam illi. ¶ Notabit vir pius, Sapientiæ adeſſe laudem. id eſt, pectus

in quo Sapientia eſt, in Diuinas laudes ſub-
inde prorumpit. Si Deum nō frequens lau-
das, neque Dei Sapientiam habes. Rectè er-
Pſal.49. go, Immola Deo ſacrificium laudis. &, Lau-
da Ieruſalem Dominum. Huic noſtro tex-
Eodem. tui cōſonat illud, Peccatori dixit Deus, &c.
Iſaiæ 1. Et item Iſaiæ 1. Ierem. 6. Amos 5. vbi feſtiui-
Ierem. 6. tates peccatorum Deus faſtidit.
Amos 5.

TERTIA PARS.

Quòd defectus Sapientiæ non ſit reijciendus in Deum.

10 *NON dixeris, Per Deū abeſt. Quæ enim odit, ne feceris. Nō dicas, Ille me implanauit. Nō enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus: & non erit amabile timentibus eum.* Quia dixerat Sapientiā à Deo proficiſci, & eius ſimiliter laudem: poterat peccator, videns ſe Sapientia carere, Deum accuſare: vt qui Sapientiam non ei conceſſerit. Diceret igitur, per me, Sapientia in me non eſt, ſed per Deum, qui illam non mihi dedit. Deum verò noſter Author excuſat, peccatorem accuſando, & dicit: Ne feceris tu peccata, quæ Deus odit, & tunc dabitur tibi Sapientia. Similiter ne dicas, quòd Deus te implanauit, decepit, & impium fecerit. abſit. nec enim Deus eget impijs, vt eos faciat. Cùm enim ille omne execramētum, id eſt, omnem rem execrabilē ſummo odio proſequatur, quomodo eam efficiet? Cùm ergo Deus omnem abominationem peccatorum,

torum,& errorum odiat, odiant etiam qui eum timẽt. Surgit iam implicatiſſima Quęſtio de prædeſtinatione, & reprobatione: de gratia, & natura. quæ quia in Scholis vulgatiſſima eſt, à me relinquitur. Maximè cùm de ea tractet Author fusè, infrà c. 33. *Eccli 33.* Solùm id annotet lector, vt conſtitutiſſimũ & catholicum: Deus eſt inſtigator, & effector ſanctitatis, & probitatis in iuſto. Nam Sapientia quæ iuſtos facit, vt nunc audiebamus, à Deo profecta eſt. Abſit verò, vt Deus ſit inſtigator aut effector peccati in homine. Cùm enim peccatum odio vehementiſſimo inſectetur, & profligare contendat, quomodo id efficiet? Sola voluntas ſui peccati cauſa eſt, nõ Deus. Dices, quomodo igitur Deus indurauit Pharaonem, tradidit *Exod. 7. 8.* Gentiles in reprobum ſenſum: immiſit in *Rom. 1.* alios ſpiritum erroris: alios excæcauit? *Iſaie 6.* Reſpondeo. Caue omnino credas, Deum in *Iohan. 12.* his effeciſſe aut cor malum, aut reprobum ſenſum: minimè. Sed hęc illi adſcribit Scriptura, quia non adhibuit remediũ efficax, ne illa mala hominem inuaderent: & certè non adhibuit, aut quia merebatur homo, ne adhiberetur: vel certè non adhibuit, quia non tenebatur adhibere. Hanc reſponſionem habes ex Scholis: quæ eam ex D. Auguſtino, & alijs Sanctis acceperunt: au- *D. Auguſt.* diamus iam, quid ad eam noſter Author reſpondeat.

Deus ab initio conſtituit hominem: 2. Et reliquit eum in manu conſilij ſui. 3. Adiecit mandata, 11

& præ-

cepta ſua: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te: 4. Et in perpetuum fidem placitam ſeruare. 5. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Quoniam multa Sapientia Dei, & fortis in potentia. Expendamus ſingula verba. Primus locus videtur alludere ad illud, Pſal.8. Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: vt perinde valeat, conſtituit, ac, dominum effecit, & principem, nulli creaturæ ſubiectum, quantum ad animam. ¶ Secundum verbum caue intelligas cum Durando, quòd poſt factum hominem, ſe Deus auertit ab eo, relinquens eum, vt ſine Deo faceret, quæ vellet: minime id. Sed intellige, quòd dederit homini poteſtatem ſui: dederit libertatem arbitrij, vt poſſet facere, & poſſet non facere. Sed ex natura Diuinitatis ipſe Deus concurrere debet ad omne opus hominis bonum. ¶ Tertiò quod ait, conſeruabũt te, ita intellige: Tum quòd Deus conſeruat conſeruantẽ Diuina mandata: Tum ipſum exercitium mandatorum auget virtutes in anima: quæ auctæ vires dant homini, ne dæmoni, & tentamentis ſuccumbat. Tum demum, quòd conſeruatio mandatorum minuit cupiditatem, quæ venenum eſt charitatis: aucta enim vna virtute, neceſſe eſt ſuam contrariam decreſcere. ¶ Quartò illud, in perpetuum fidem placitam ſeruare. verbum mancum eſt, videtur

Durandus.

tur

tur ita intelligendum: Si volueris in perpetuum fidem placitam ſeruare, ipſa fides te ſeruabit. Vocatur porrò fides placita, quæ cum operibus eſt, ea ſ. quæ per dilectionem operatur: quam non ſat eſt ad tempus ſeruaſſe, & in tempore tentationis deſeruiſſe: ſed ſeruãda illa in perpetuũ eſt. ¶ Quintò, ſi placet, intellige per aquã (ſupra quam Spiritus Domini ferebatur) ſpiritualia bona: quæ lauant, refrigerant, & ſitim temporalium reſtinguunt. Per ignem, quid niſi ignem inferni intelligas? Ergo intellige ad dexteram hominis conſtitui aquã, bonum, & vitam: ad ſiniſtram, malum, mortem, ignem. ¶ Sextò tu intellige verbum, dabitur illi, hoc modo: Aqua, bonum, vita dabitur illi à Deo. At malum, mors, ignis, ipſa ſe homini dabunt. Ex his omnibus vult Author reſponſum eſſe ad quæſtionem, quæ erat, Si Sapientia eſt donum Dei, cur Deus me accuſat, cùm eam ille mihi non dederit? Reſponſio eſt: Ante te ſunt bona ſpiritualia, & mala æterna. Si illa volueris, caue hæc, & tibi illa dabuntur. Si non dãtur, tua culpa eſt, quòd mala volueris. ¶ Sed quia Theologus vrgebit, Eo impium eligere mala, quia Deus efficaciter non dedit bona: Ideo adiecit verbum Author, ſ. Multa Sapientia Dei, & fortis in potentia. Vt ſit ſenſus: Adeò eſt ſapiens Deus, vt non niſi quibus voluit gratiam dedit: & nihilominus ijs quibus dare non voluit, omnem conquerendi occaſionem amputauit. Nec enim

Galat. 5. *Matth. 13.* *Geneſ. 1.*

eos in ignem conijciet, quia non eis gratiam dedit: ſed quia illi hãbẽtes bona coram ſe & mala, ad mala extenderunt manum ſuam. Multa eſt igitur Dei Sapientia, quæ reprobis querelæ occaſiones reſcidit: fortis eſt Diuina potentia, quæ non niſi quæ voluit, fecit. Rodat igitur reprobus oſſa hæc. Nõ damnabitur in igne perpetuo, propter negatam ſibi gratiam: ſed propter culpam admiſſam à ſe. Caueat ille, vt poteſt, malum, & cauit etiam ignem. Id altiſſimè dixit Author, illis verbis: quod placuerit ei, dabitur illi. Ne igitur impiè credas, aliud tibi dari, quàm quod tu tibi delegiſti.

12 *Videns omnes ſine intermiſſione. Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit omnem operam hominis. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi. Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Quia dixerat, quod placuerit ei, dabitur illi: videri poterat id difficile, quomodo enim Deus tot hominum opera poterit agnoſcere, vt cuiuis eius prẽmium conſignet? Reſpondet, Deus videt omnes iugiter. Speciatim quidem oculi Domini ſuper timentes eum, quibus eos amanter contuetur: nihilominus omnem operam hominum, nulla dempta, cognoſcit. Mox redit ad cœptum ſuprà reſponſum, dicens: Deus nulli mandat, vt malè agat, & nemini dat ſpatium peccandi. ô mirabilem Dei tenorem! Per totam hominis vitam, nec momentum ei datur, in quo poſſit ille peccare. Relaxant Principes

aliquan-

aliquando ſuarum legum rigorem. At Deus nunquam vel per minimum horæ peccare concedit. ô odium inteſtinum contra peccatum! Videlicet eſt Deus bonitas eſſentialis. Quòd ſi Deus in anno vel horam, ad peccandum concederet, Deus bone, quot in illa, peccata perpetrarentur! Demum dicit, Deo non placere multos filios, ſi fide careant. Imò & ſi fidem habeant, ſi inutiles alioqui ſunt, & iniqui. id eſt, ſi fidem habent ſine vtilitate operũ. ¶ Surget Theologus, Quomodo Deus nulli mandat impiè agere, ſi ſibilabit ad Aſſyrium, vt deſtruat Iudæos? Si *Iſaiæ 5.*
adducet contra eos aquas fluminis fortes, *Iſaiæ 8.*
& multas? Regem ſ. Aſſyriorum. Si ipſe Deus dicit, Væ Aſſur, ad gentem fallacem (ſ. *Iſaiæ 10.*
Iudæos) mittam eum: & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, &c. & item, Ego mandaui ſanctificatis *Iſaiæ 13.*
meis, ſ. Aſſyrijs, &c. & alia innumera. Reſpondetur: Rex poteſt præcipere Iudici, vt meum crimen caſtiget. ſi ille ex odio, aut ſupra quàm ęquum eſt caſtiget, id malum non præcipit rex: ſed ſolum bonum caſtigationis, & iuſtitiæ. Ergo Deus Aſſyrium ad caſtigandum adduxit, vt Iſaiæ 10. dicitur, *Iſaiæ 10.*
Si ille in ea caſtigatione peccauit, non Deus peccatum præcepit: ſed pœnam.

CAPVT XVI.

PRIMA PARS.

Pulchra contra peccatores admonitio.

1 *Ne iucunderis in filijs impijs, ſi multiplicentur: nec oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis.* Manifeſtum eſt, Iudæos habuiſſe, vt magnum ſanctitatis pręmium, multos filios habere. Iuxta illud, Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ. & illud Liæ, quæ ſe beatam prædicabat, quòd ſex filios viro ſuo peperiſſet. At Eccleſiaſticus docet, non eſſe lætandum in copia filiorum, ſi non timeant Deum.

Pſal.127.

Geneſ.30.

2 *Ne credas vitæ illorum, & ne reſpexeris in labores eorum. Melior eſt enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et vtile eſt mori ſine filijs, quàm relinquere filios improbos. Ab vno ſenſato inhabitabitur patria, & à tribus impijs deſeretur.* Ne credas vitæ illorum, id eſt, ne credas, quòd illi ſint diu victuri. & ne reſpexeris in labores eorum, id eſt, ne credas eorum labores fore vtiles, nec videantur tibi alicuius eſſe momenti. Magis æſtimato vnum timentem Deum, &c. Fateor, inquit, probro fuiſſe Iudæis ſterilem eſſe, filijsq́ carere. At non id tantopere probrum, quàm filios impios relinquere. Cùm enim hi Deo iniuriam faciant, & proximos damno afficiant, num non id maius malum eſt, quàm prole carere? Subdit Author, ab vno ſenſato, id eſt,

eſt, propter ſanctitatem vnius, patria habi-
tabitur, & propter trium impietatem deſe-
retur. Vnus Ioſeph gentem ſeruauit Iudæo-
rum. Duo, ſ. Hemor & Sichem, fuerunt ſuæ Geneſ. 34.
patriæ cauſa ruinæ. Vnus Samuel reſtituit 1. Reg. 8.
patriam, quam duo, Ophni & Phinees, ſua 1. Reg. 2.
iniquitate deſtruxerant. ¶ Hic nota, miſe-
rationes Dei eſſe ſuper omnia opera eius.
Nam ad ſeruandam patriam, pio vno con-
tentus eſt: porrò ad perdendam, tres, vt mi-
nimum, requirit. Ergo fortaſſis, ſi Loth eſ- Geneſ. 19.
ſet, non peregrinus, ſed indigena, terra So-
doma adhuc ſtaret. ¶ Interim lector ſcito,
Græcis eſſe, tribus impiorum deſeretur. id
eſt, familia impiorum. Sed placet noſtram
lectionem explicaſſe. quæ fortaſſe erat, à
tribubus impijs deſeretur.

Multa talia vidit oculus meus, & fortiora his 3
audiuit auris mea. Id eſt, multa exempla eo-
rum, quæ dixi, ego vidi, & maiora audiui.
Quæ verò ſint hæc maiora, ſubdit. *In ſynago-
ga peccantium exardeſcet ignis, & in gente incre-
dibili exardeſcet ira.* Hoc eſt primum exem-
plum de ſynagoga Dathan, Abiron, & Core,
& cùm eit, ducenti quinquaginta viri, quæ
vocatur congregatio Abiron: in hac ſyna-
goga, propter tres illos duces exarſit ignis.
Ita enim habet Pſalmus: Exarſit ignis in Pſal. 105.
ſynagoga eorum: flamma combuſſit pec-
catores. Porrò noſter Author hos Abironi- Num. 16.
tas vocat gentem incredibilem, ſeu infide-
lem. nam infrà c. 45. vocabit eos alienos, ſ. à Eccli 45.

gente Iudæa. *Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes virtuti ſuæ.* Hoc eſt ſecundum exemplum de
Geneſ.10. gigantibus, propter ſuperbiã, cum ſuo Nemrod deſtructis. Deſtructionis cauſa fuit, quia adeò deſipuerunt, vt non crederent eſſe neceſſe Deum orare pro peccatis: ſed ſatis eſſe turrem ædificare, quâ Dei potentiam effugerent. *Non pepercit peregrinationi illorum, & execratus eſt eos præ ſuperbia verbi illorum.* Eſt tertium exemplũ de Sodomitis. quòd enim de eis intelligi debeat, oſtendit litera Græca, quæ habet, non pepercit peregrinationi Loth. Ergo ſenſus eſt, non pepercit Sodomi-
Geneſ.19. tis, inter quos Loth peregrinabatur: ſed execratus eſt, propter ſuperbiam verbi, quo dixerunt, te magis, quàm hos affligemus. quod verbum adeò ſuperbum fuit, vt id Deum permouerit, ad eorum perniciem, & excîſionẽ. quaſi dicat, necdum Deus ignem contra Sodomam euomebat. verbum illud tam ſuperbum fecit euomere. *Non miſertus eſt illis, gentem totam perdens, & extollentem ſe in peccatis ſuis.* Hoc eſſe quartum exemplũ, collige ex litera Græca, quæ ita habet: Non miſertus eſt gẽtis perditionis, qui egrediebantur in peccatis ſuis. Innuit ſe loqui de Aegy-
Exod.14. ptijs, quorum gens tota egreſſa eſt cõtra Iudæos. Egreſſa verò eſt extollens ſe, in tribus, & peccato idololatriç ſuæ. At Deus non eſt miſertus illis, ſiquidem eos in mari rubro vniuerſos ſuffocauit. Video referri poſ-

ſe ad

ſe ad Sodomitas. *Et ſicut ſexcenta millia peditum, qui congregati ſunt in duritia cordis ſui.* Hoc eſt quintum exemplũ de filijs Iſrael, egreſſis ex AEgypto, qui fuerũt ſexcenta millia: Exod.12.
omnes verò proſtrati ſunt in deſerto, propter duritiam cordis ſui. deſperantes quip- Num.14.
pe ingredi ſe poſſe terram promiſſionis, lapidare voluerunt Moſen, ſuum ſanctum ducem. *Et ſi vnus fuiſſet ceruicatus, mirum, ſi fuiſſet immunis. Miſericordia enim, & ira eſt cum illo.* Ceruicatus Græcis eſt, is qui non poteſt flectere ceruicem, quò vult, ſ. duræ ceruicis. Manifeſtè verò, eſt hic locus difficilis. Videtur tamen germanè ſic intellige: Si illa ſexcẽta millia fuiſſent vnicus homo, peruicax, & ceruicoſus, mirandum eſſet, ſi Diuinam iram effugeret. Vt enim eſt Deus infinitus in miſericordia, ita eſt & in ira. quam damnati in inferno ſuo malo ſatis manifeſtant. Faciliùs ita intelligas: Non ſolùm illa ſexcenta millia: ſed etiam peruicax vnus, ſi in hoc ſeculo Diuinam iram euadat, mirabile penitus erit. quia reuera non euadet.

Potens exoratio, & effundens iram ſecundùm 4
miſericordiam ſuam: ſic & correptio illius hominem ſecundùm opera ſua iudicat. Verbum, potens exoratio, eſt difficile. ex Græcis ſignificat, potens exorari. id eſt, qui facilis ſit, vt exoretur. qui facilè oratione vincatur. Ergo diſcriminat Author Deum miſerentem, & corripientem. Nam Deus eſt facilis, vt exoretur: (ac ideo Latinus textus eum vo-

cat exorationem) & ſi iraſcitur, effundit iram, non penitus totam: ſed miſericordia tenet iram. At nihilominus correptio Dei taxatur iuxta ſcelera hominum. Vt ſit ſen-
Iſaiæ 28. ſus: Ira Dei, alienum opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum opus eius ab eo. Sed nolite illudere, ne fortè conſtringãtur vincula veſtra. Alienum planè eſt à Deo iraſci, qui diues eſt in miſericordia: & potens in exoratione. ac ideo effundit iram non ſecundùm iram: ſed, ſecundùm miſericordiam: at ſcelera noſtra conſtringunt Deum, vt ea corripiat. Ac ideo iuxta ſcelera eſt correptio Domini. ¶ Habet Theologus nomen Dei nouum. Deus eſt exoratio, imò potens,
Rom. 3. & multa exoratio. vt & Paulus dixit Chriſtum eſſe noſtram propitiationem. ¶ Intelligimus item, quòd correptio Dei iudicat opera. vt ſ. verum, & iuſtum iudicium ſeruetur.

5 *Non effugiet in rapina peccator: & non retardabit ſufferẽtia miſericordiam facientis.* Videtur ſenſus eſſe, correptio Dei iudicat opera noſtra. ideo non effugiet iudiciũ eius raptor: licet aliquando Iudicis terreni virgam euadat. Contrà verò, cùm ſit Deus adeò miſericors, non multùm tardabit, quin virum pi-
Abacuc 2. um, ac miſericordem conſoletur. Nam ve-
Pſal. 33. niens veniet, & non tardabit. Iuxtà eſt his, qui tribulato ſunt corde. Non igitur multum moræ habebit ſufferentia. non diu durabit, quin Deus ei accurrat.

Omnis

Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundùm meritum operum ſuorum, & ſecundùm intellectum peregrinationis ipſius. 6 Egregiè quadrat hæc doctrina Euangelio. Hoc enim dicit, In die iudicij opera miſericordiæ datura ſanctis locum in cælis. Matth.25. Idem dicit Eccleſiaſticus. ¶ Nota multa. Primũ eſt: Omne opus miſericordiæ, etiam calix aquæ frigidæ, facit danti locum in cælis. Matth.10. Secundum eſt: Planè Chriſtus iuit parare locum ſeruis ſuis in regno ſuo: Iohan.14. ſed expectat opus miſericordiæ, vt hoc locum taxet operanti. Chriſtus parauit aulam regiam, & thronos in aula: atqui opera miſericordię præſcribũt, quis cui locus ſit exhibendus. Tertium eſt: Miſericordia facit locum cuique, ſine perſonarum acceptione. Papa cum paucis operibus, minorem locum habebit, quàm ruſticus cum multis. Quartum eſt: Multi ſunt in cælo loci, vt multi ſunt in eos admittendi. Nam in domo Patris mei manſiones Iohan.14. multæ ſunt, ait Dominus. Tum non omnes loci ſunt æquales: ſed alij altiores, alij humiliores. vt nec merita hominũ ſunt æqualia: ſed maiora fuere Virginis Sacræ, quàm Apoſtoli Petri. Quintum eſt: Habes hoc loco, expreſſam meriti mentionem. Igitur opera miſericordiæ merita ſunt locorum cæleſtium: & maiora merita, ſuperiorum locorum. Sextum, & id eruditum eſt: Ex duplici capite accreſcit operi miſericordiæ meritum. ſ. intrinſecè ex charitate, cuius effectus eſt opus miſericordiæ. & extrinſecè

Ex D.Thoma in 1.2. ex intentione, quæ licet ſit opus voluntatis, præſupponit tamen operationem intellectus. qua ratione dicitur oculus, & lumen. Hanc intentiqnem propterea Author vocauit intellectum peregrinationis noſtræ. Lumen ſiquidem noſtræ vitæ, & peregrinationis, intẽtio eſt. Ergo doctè Author dixit, opus miſericordiæ ex vi intrinſeca meriti ſui, & extrinſeca intellectus, ſeu intentionis, facere cuique locum in cælo.

7 *Ne dicas, A Deo abſcondar: & ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar: quæ eſt enim anima mea, in tam immenſa creatura! 2. Ecce cælum, & cæli cælorum: abyſſus, & vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu illius 3. commouebuntr: montes ſimul & colles, & 4. Fundamenta terræ: & cùm conſpexerit illa Deus, tremore concutientur. 5. Et in omnibus his inſenſatum eſt cor. Et omne cor intelligitur ab eo. 6. Et vias illius quis intelligit? & 7. procellam, quam nec oculus* Geneſ.3. *videbit hominis.* Adam poſt peccatum putauit ſe à Deo abſcondi poſſe. Atqui, ô Adam, Pſal.138. ſi aſcenderis in cælum, illic eſt: ſi deſcenderis in infernum, adeſt. Si dixeris, tenebræ conculcabunt me: ea nox ſicut dies, coram Ariſtoteles. Deo eſt. Alij, in quibus Ariſtoteles, putarunt, Deum ex ſummo, ſingula, quæ in orbe fiunt, non agnoſcere. Et equidem videbatur tanta maieſtas minima quęque minimè curatura. At verò noſter Author omnino contrarium docet, ſ. ſumma & ima: maxima, vſque ad exiguam procellam, quæ in

mari fit, à Deo intimè conſpici. Ac ideo ſtultè dicas, Quis ego ſum, inter tam multas creaturas, vt à Deo conſpiciar? ¶ Nota primùm, tres eſſe cælos. Primum eſt hic aer, in quo volucres volantes volucres cęli dicuntur. Alij cæli ſunt orbes cæleſtes: in quibus ſunt planetæ. Tertij ſunt cæli beati, in quos Paulus rapitur. Ideo dixit Author, cæli, & cæli cælorum. notans tres eſſe cælos. Secundò nota, Abyſſum vocari mare. vt in Geneſ. habetur. Tertiò nota illud verbum, commouebuntur. cuius ſenſus eſt, iudicio meo: nullum ſenſum motus hæc dabunt, quin à Deo conſpiciatur. id eſt, nec tantulum mouebuntur, quin Deus ea videat. Quartò nota verbum, fundamenta terræ, & liceat mihi id comminiſci. In medio terræ eſt vaſtiſſima vorago, vbi infernus eſt. Eſt verò cauitas illa fornicata, lapideo arcu cõſtructa. Fornix illa ſaxea eſt fundamentum terræ, vt enim oſſa ſunt animalium fundamenta: ita lapideæ venæ ab illo fornice incipientes, oſſa terræ, ac ideo eius fundamenta ſunt. Qua cauſa meritiſſimè ſubdit Author, quòd Deo hæc fundamenta reſpiciente, tremor terram quatit: quia oſſibus animalis concuſſis, concutitur & corpus animalis. Idem dicitur in Pſalmo, Qui reſpicit terrã, & facit eam tremere. & item, A facie Domini mota eſt terra. Vt enim velle Dei facit cælos & terram ſtare: ita eius reſpicientia, cum volũtate, vt terra moueatur, facit eam tremere. Quinto nota illud, in omnibus his inſen-

Matt. 8. & 13. *Geneſ. 1.* *2. Cor. 12.* *Geneſ. 1.* *Vide Iob 38.* *Pſal. 103.* *Pſal. 113.*

inſenſatum eſt cor. Id quod admirabundus dixit Author. Terra conſpecta tremit, cor hominis conſpectum minimè tremit. Veretur quiuis cōſpectum proximi, ac ideo non peccat: nos nihil veremur conſpectum Dei, vt non peccemus. Si nec nutum oculi abſcondere potes ab oculis Dei, cur coram tanta maieſtate audes illam offendere? Sextò, licet variè explicetur illud, vias illius quis intelligit? credo tamē ita faciliùs explicari. Omne cor (inquit) intelligitur ab eo: & vias cordis quis (ſupple niſi Deus) intelligit?
Ierem.14. Dicente Ieremia, Prauum eſt cor hominis, præ omnibus, & quis intelliget illud? Et Deus eſt qui nouit procellam in medio mari factam, quam nemo videt mortalium.
Iob 38. Quod ferè dicitur à Deo, alijs verbis, vt plueret ſuper terram, abſque homine, in deſerto, vbi nullus mortalium commoratur. & ideo ſubdit Author. *Nam plurima eius opera ſunt in abſconſis.* Si cupis noſſe, quæ ſint Dei opera in abſconſis, lege dictum caput Iob. ſ. Theſauri niuis, theſauri grandinis, pluuia in deſertis, origo roris, gelu, & glacies, &c.

8 *Sed opera iuſtitiæ eius quis nuntiabit, aut quis ſuſtinebit?* Quia dixerat plurima eſſe opera Dei, quæ mortalium oculos lateant: addit, opera iuſtitiæ eius, quibus præmio afficit bonos, quis nuntiabit? & quibus afficit malos, quis ſuſtinebit? Si enim aut felicitas æterna, aut infelicitas inferni explicari ab homine poſſet, nec infelicitas eſſet extrema, nec felicitas ſumma. *Longè enim eſt teſta-*

mentum

mentum à quibuſdam, & interrogatio omnium in conſummatione eſt. Dixit impios non habituros vires ad toleranda ſupplicia Diuina, addit, multos eſſe tales. ſ. à quibus longè ſit lex Dei. (quam teſtamentum dici, nemo neſcit.) Verbum quod ſubditur, mihi videtur magna Authoris admiratio. vt ſit ſenſus: Cùm omnium hominum interrogatio, inquiſitio, & examen futura ſint in eorũ conſummatione, id eſt, in morte: quomodo patiuntur homines, ſe longè eſſe à lege Dei ſui? Dogma illud, quòd interrogatio omnium erit in conſummatione, dictum mihi eſt ſuprà. c.11. & c.14. *Eccli 11.14.*

9 *Qui minoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens, & errans cogitat ſtulta.* Id eſt, nihil cogitant de felicitate, aut infelicitate viri, qui ſunt corde exiguo, imprudentes, & errantes. hi enim ſola cogitant temporalia, planè inania, & ſtulta. ¶ Nota primùm, peccatores vocari corde minimo. Nec enim animus eorum dilatatus eſt, vt Deum intra ſe ſuſciperet. Necdum habent charitatem, quæ cor dilatat, & extendit. ¶ Secundò nota, res temporales vocari inanes, & ſtultas. iuxta illud, Qui non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. & illud, Qui diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? & planè imprudens, & ſtultus eſt, qui ſpiritu caret Sapientiæ, & intellectus. *2.Cor.6.* *Pſal.39.* *Pſal.4.* *Iſaiæ 11.*

SECVNDA PARS,

eſt proœmium ſequentium capitum.

Audi

10 A*V D I me fili, & diſce diſciplinam ſenſus, & in verbis meis attende in corde tuo. Et dicam in æquitate diſciplinam, & ſcrutabor enarrare Sapientiam. Et in verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate ſpiritus virtutes, quas poſuit Deus in opera ſua ab initio, & in veritate enuntio ſcientiam eius.* Quia hoc præmiſit proœmium dicendorum, facit in eo diſcipulum attentum, vt diſcat diſciplinam ſenſus. nõ ſ. ſtultam, qualem nonnulli Philoſophorum: ſed quam ſenſus percepit à Deo. Rurſum facit attentum, quia dicet in æquitate ſpiritus. Græcis eſt, dicam in pondere. & eſt ſenſus: Lanx mei ſpiritus æqualis erit, ad nullam opinionem falſam ex affectu inclinabit: ſed in veritate, à Deo reuelata, conſiſtet.

TERTIA PARS.

De mirabilibus operibus Dei.

11 I*N iudicio Dei opera eius ab initio. 2. & ab inſtitutione ipſorum diſtinxit partes illorum. 3. & initia eorum in gentibus ſuis.* Incipit dicere magna illa opera Dei. Primum eſt, quòd opera Diuina ſunt facta iudicio. Quod Pſalmus
*Pſal.*103. dixit, Omnia in ſapientia feciſti? & alibi,
*Pſal.*135. Qui fecit cælos in intellectu. Stulti quidam
Philoſophi dixerũt caſu hæc prodijſſe, quæ
videmus. At quomodo id incidere in hominis
mentem potuit? attendant hominis
oſſa, cartilagines, neruos, muſculos, ſingula
Galenus. la ad ſuas functiones præparata. Legãt Ga-
Veſalius. lenum de Vſu partium, Veſalij Anatomiam, &

am, & tunc iudicent. ¶ Tu interim lector intellige, hoc loco Authorem tractare de cælis. Id tibi perſuadebis, cùm poſtea videris eum tractare de terra. Secundum membrum ita intellige, ab inſtitutione cælorum diſtinxit partes eorũ. Non enim fecit vnã cæli machinam confuſam: ſed eam diſtinxit in tres partes. ſ. cælum hoc aereum, & cæleſtes orbes qui ſunt nouem, & cęlum extremum, quæ eſt Sanctorum habitatio. Tertium membrum legendum eſt in hunc ſenſum, Initia eorum in generibus ſuis. Sunt autem initia, ſeu quod Græci dicunt ἀρχαί, id eſt, principes, capita, duces. Ergo ſenſus eſt, quòd Deus addixit cuiuis cælo initium ſuum, principem, ducem. Quos Philoſophi vocant Intelligentias motrices, Theologi vocant Virtutes cælorum. Igitur cùm tria eſſent genera cælorum, vt nunc dicebam, cuiuis generi, imò cuiuis cælo, ſuum Angelum accommodauit. Fortaſſe verò, etiam alium ſenſum docuit Author, ſ. quòd gentes cælorum ſunt ſtellæ. Qui milites cælorum dicuntur, & vocati dicunt, Adſumus: vt Baruch aſſerit. Habent, inquit Author, ſtellæ initia ſua, ſ. ſuos angelos ſibi deputatos: vt etiam Philoſophi volunt.

Matt.8. & 13. *2.Cor.12.* *Angeli motores cælorum.* *Baruch 3.* *Metaphyſ.12.*

12 *Ornauit in æternum opera illorum, nec eſurierunt, nec laborauerunt, & non deſtiterunt ab operibus ſuis. Vnuſquiſque proximum ſibi non anguſtiabit in æternum.* Si pro, illorum, legas ſua, apertior ſenſus eſt. Deus enim ornauit cæleſtes

orbes,

orbes,Sole,Luna,ſtellis.Sed altior ſenſus eſt in noſtra lectione. Dixerat,quòd conſtituerat Deus Angelos, quorum operatio eſt cælos mouere: addit nunc, quòd hæc Angelorum opera Deus ornauit, ſ.Lumine diei, tenebris noctis, influxu virtutis quam in inferiora demittunt,pluuijs,grandinibus &c. Secundò dicit, quòd Angeli illi, nec in perpetua illa motione ſudant, eſuriunt, aut laborant, nec per momentum ceſſarunt ab opere. Rem profectò admirandam. Tertiò dicit, inter hos Angelos, ſeu cælorum virtutes, ſummam eſſe concordiam: adeò, vt nunquam alius alij ſit impedimento. Nec ſuperior premit inferiorem, nec inferior ſubſultat aduerſus ſuperiorem. Quia verò hæ res ſunt admirabiles, ſubdit Author, *Ne ſis incredibilis verbo illius.* Id eſt, quæ tibi dico, verba Dei ſunt, caue ſis incredulus eis.

13 *Poſt hæc Deus in terram reſpexit, & impleuit illam bonis ſuis.* Habes lector Authorem locutum hactenus de cælis, iam nunc de terra. Et ſenſus eſt, die quinto & ſexto à creatione mundi Deus impleuit terram animalibus, & homine: dando illis, in aquis piſces: in aere volucres: in ipſa terra herbas, quibus veſci poſſent.

14 *Anima autem omnis vitalis denuntiabit ante faciem ipſius: & ipſa iterum reuerſio illorum.* Pro denuntiabit, Græcis eſt, operiet: vt ſit ſenſus, omnis vitalis anima,ſeu omne animal, operiet faciem terræ. id eſt, viuet ſuper faciem

ciem terræ. Et tandem terra eſt, in quam, eſt
animalium reuerſio. Cùm enim terra ſint, Geneſ.3.
in terram reuertuntur. Noſtra verò lectio
ſenſum pulchrum habet, ſ. omnis vitalis
anima denuntiabit, & declarabit coram
omni terra, id quod nunc dictum eſt, ſ. Ter-
ram plenam bonis, quæ Deus ad vitam ani-
malium ordinauit. Cùm enim animalia vi-
uant ex bonis terrę, facilè id denuntiabunt.
Eſt ergo terra theſaurus, & horrea, vnde ani-
malia viuunt: licet ſit & ſepultura, in quam
tandẽ omnia reuertuntur. Eſt verò vtrum-
que admiratione digniſſimum, quòd cùm
infinita ſint animalia, nulli deſunt bona,
quibus viuãt: & cùm infinita ſint, omnia in
terram conuertãtur, nec creſcit illa tamen.

CAPVT XVII.

PRIMA PARS.

De hominis creatione, & inſtitutione.

DEVS creauit de terra hominem, & 1
ſecundùm imaginem ſuam fecit il-
lum. Et iterum conuertit illum in
ipſam, & ſecundum ſe veſtiuit illum
virtute. Numerum dierum, & tem-
pus dedit illi. Et dedit poteſtatem eorum, quæ ſunt
ſuper terrã. De terra creatus eſt homo. Nam Geneſ.2.3.
fecit illum Deus de limo terrę, vt ſolet figu- Geneſ.2.
lus facere lagenas. Ideo Deus vocatur fictor Rom.9.
noſter, nos figmentum eius. Dicunt verò Pſal.102.
quidam, ex agro Damaſceno fuiſſe terram

deſumptam, vnde Adam creatus eſt. Addit Author, hominem conditum ad imaginem Dei. Super quo Theologi nimiùm multa de imagine: quæ vera ſunt ſanè: ſed ſimpliciſſimus loci ſenſus eſt: Filius Dei apparebat olim in ſpecie humana: vt Concilium Smyrnę, Baſilius, & Cyrillus docuerunt. videlicet meditabatur iam tunc, quod futurum erat. Ergo condidit Deus hominem ad ſimilitudinem & ſpeciē humanam, in qua ille apparebat, & in qua ab Adam, etiam poſt peccatum, viſus eſt. Tertiò inquit, conuertit illum in ipſam, ſ. terram: quod dolenter videtur mihi Author dixiſſe. fecerat enim hominem, ne in terram verteretur: ſed quia peccauit, in pœnam criminis, in terram conuerſus eſt. Quartò dicit, Deum veſtiſſe hominem ſecundùm ſe. Græca litera docet, illud ſecundùm ſe, non referri ad Deum: ſed ad homines. ait enim, veſtiuit homines, ſecundùm eos. Vt ſit ſenſus: veſtiuit Deus homines robore, & potentia, ipſis hominibus accommodis. Quod arbitror dictum, quia Deus inſufflauit in faciem hominis halitum & vires, quibus & in anima, & in corpore poteſt, quæ vix, niſi videas, credere poteris. Sciat tamen vir deuotus, quòd non rarò in Scripturis loquētibus de Deo, nomini plurali tribuitur verbum ſingulare, vt myſterium Trinitatis innuatur: vt initio Geneſis, In principio creauit Excelſi cælum, & terram. Ita nunc poteſt dici, ſenſum huius loci eſſe: Induit Deus ſecundùm ſe

Concilium Smyrnæ. Baſilius. Cyrillus.

Geneſ. 3.

Geneſ. 1.

dùm ſe ipſos, hominem virtute: vt referatur ad perſonas Diuinas, ad quarum imaginem homo virtute indutus eſt. Quintò ait: Numerum dierũ, & tempus dedit illi. quod variè à multis explicatur. Sed arbitror ſenſum eſſe, quòd Deus dedit homini longum vitæ tempus, in quo viueret. viuebant enim homines tunc ad mille ferè annos: vt literæ ſacrę tradunt. Geneſ.6.7. Quòd ſi nunc breuior vita hominis eſt, id non exiguũ Dei beneficium eſt: cùm enim in tam breui vita, tam ſint multi dolores, grande beneficiũ eſt, eos euadere poſſe. Sextò data eſt homini poteſtas ſuper terrã: vt Geneſis c.1. dicitur. Ait enim Dominus: Implete terrã, ſubijcite eam, dominamini piſcibus maris, volatilibus cæli, Geneſ.1. vniuerſis animantibus terræ. In cuius rei ſignum omnia animantia prona coram Adam venerunt: Geneſ.2. & nunc etiam homo vniuerſa venatur.

Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium. 2 Vt lex Euangelica non ſolùm præcipit, ſed quæ præcipit in corde noſtro efficit: ita Deus non ſolùm præcepit animalibus, vt eſſent homini ſubiecta: ſed effecit etiam in illis timorem, quo homini ſubderentur. Dicitur in Geneſi, Terror ac tremor veſter ſit ſuper cuncta animantia terrę. Geneſ.9. Ideo leo etiã hominem veretur: & ſi putat ſe ab hominibus nõ videri, in fugam hominis ſe eripit. Nec obſtat huic veritati, quòd nonnũquam audet in hominẽ fera. Audet enim nonnunquam

in patrem filius: & ſi audet in vnum, non
3 ita audet in multos. *Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi: conſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & diſciplinâ intellectus repleuit illos* Adiutorium ſimile Adæ ex ipſius coſta fabricatum, fuit Heua. quod nemo neſcit. Iam verò mirandum eſt maximè, quòd homines habeant conſilium ad res bene gerendas. Nec enim ducuntur ab Intelligentia non errante, vt formicæ, & apes. Sed re vtrinque diſputata, nouit homo ſententiam dicere, & conſilium ſequi. Iam mihi mirabiliſſimum eſt, quòd lingua excipiat & explanet, quod conſilium longo tempore deliberauit: & id æquè mirabile, quòd aures poſſint percipere, quod longo tempore lingua diſſeruit: & id item, quòd oculi mei nunc excipiãt quicquid diu ſcribo. ô res nunquam ſatis laudatas! Iam quis non miretur artes, quas cor hominis excogitat? maximè verò id mirandum eſt in Adam, ex quo in poſteros omnes artes manaſſe dicuntur. Quod verò vltimò dicit, Diſciplina intellectus repleuit illos, locus eſt, quem Theologus annotet. Ex eo enim colligitur, quòd Adam nouerit omnem ſcientiam naturalem: dicit enim textus, quod Deus repleuit eum omni diſciplina intellectuali. Verum ergo videtur, Adam docuiſſe mortales omnem ſcientiam naturalem.

Geneſ. 2.

4 *Creauit illis ſcientiã ſpiritus, & ſenſu impleuit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis.* Sicut nunc

docuit

docuit nos Author, Adam nouiſſe omnem
ſcientiam naturalem: ita nunc docet, eum
nouiſſe Theologiam. Id eſt, quòd habuerit
fidem principiorum Theologię,& inde ſci-
entiam concluſionum. Hæc enim eſt ſciẽtia
ſpiritus. Fuit igitur Adam doctiſſimus Phi-
loſophus, fuit & abſolutiſſimus Theologus.
Quæ enim ex Dei infuſione habentur, non
parca ſunt, aut maligna: ſed egregia, atque
præclara. Secundò inquit, ſenſu impleuit
cor illorũ. Id eſt, dedit eis acumen, & pene-
trantiam ingenij, quo quæ illis infuſa erant
profundiſſimè intelligebant. Tertiò dicit,
bona & mala oſtendit illis. Id eſt, oſtendit
illis ſplendorem boni, & fœditatem mali.
Non vt nos, qui bona, & mala audimus,
pulchritudinem illorũ, horrorem iſtorum
ignoramus: at patres illi pondera illorum
& iſtorum cognoſcentes peccarũt: ô ingen-
tem miſeriam! *Poſuit oculum ſuũ ſuper corda* 5
*illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt
nomen ſanctificationis collaudẽt: & gloriari in mi-
rabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.*
Id eſt, Amauit illos: vt de domina Ioſephi
dicitur, quòd iniecit oculos in eum: & Do- *Geneſ.39.*
minus ait, Firmabo ſuper te oculos meos. *Pſal.32.*
Hęc lector intelliget, ſi meminerit verbi Fi-
lij Dei dicentis, Deliciæ meæ eſſe cum filijs *Prouer.8.*
hominum. Decreuerat enim Filius Dei fa-
miliariſſimè & amantiſſimè hominem tra-
ctare: adeò delectabatur factura ſuâ. Et quia *Pſal.91.*
(vt ipſe ait) Amicos vos dixi: quia omnia *Iohan.15.*
quę audiui à Patre meo, nota feci vobis. ideo

Chriſtus vt oſtenderet ſuum erga homines amorem, ſtatuit oſtendere illis magnalia operum ſuorum. Et quia inter omniũ operum magnalia, maximum eſt opus incarnationis Verbi, ideo hinc videtur probari, Adam nouiſſe filij Dei incarnationem. Quâ
Geneſ.2. cauſa dixit, Relinquet homo patrem & matrem,
Epheſ.5. & adhærebit vxori ſuæ. inde enim erat Filius Dei carnem ſumpturus, ſ. ex Patribus, qui ex Heua erant naſcituri. Porrò quod ait, vt nomen ſanctificationis collaudent: Hebræi referunt ad nomen Dei tetragrammaton, quod reuelauit Deus Adæ. Ita
Capnio. Reuchlinus adduxit. Sed meliùs diceretur, quod Filius Dei reuelauit ſuum nomen Ieſus: in quo ſanctificamur. Si enim incarnationem Deus reuelauit, nónne facile erat, & cõſequens, nomen incarnati reuelare? Subdit, & gloriari in mirabilibus. ita planè, ſi Deus hominibus ſuam incarnationem reuelauit, habent homines planè, de quo gloriari poſſint. Quid enim glorioſius, quàm talem fratrẽ habere? Si glorioſum eſt, eius
Galat.6. ſtigmata in corpore portare: nónne glori-
2.Cor.10. oſum, fratrem eſſe? Sed quia qui gloriatur, in Domino glorietur: ideo ſubdit, vt magnalia enarrẽt. Id eſt, gloriẽtur homines de Deo homine: ſed eam gloriã in Deum tantarum rerum operatorem reijciant. Et hactenus de hominis in lege naturæ inſtitutione.

6 *Addidit illis diſciplinam, & lege vitæ hæreditauit illos. Teſtamentum æternum conſtituit cum illis, & iuſtitiam & iudicia ſua oſtendit illis.* Commemorat

morat ingens beneficium, quod Deus Iudęis contulit, dãdo eis legem veterem. Non enim fecit taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis. præcellunt enim Iudæi multùm per omnem modum, quia Deus ſua eis eloquia credidit. Vocatur lex vetus diſciplina, quam Iudæi, vt docibiles Dei, ab eo addiſcerent. Vocatur item lex vitæ, quia licet ipſa vitam ex ſe non præſtaret, vt lex noſtra pręſtat: at verò qui fecerit (ait Paulus) ea homo, viuet in illis. Id eſt, qui eã legem ſeruabat, viuebat. Vocabatur teſtamentum, fœdus, ſeu pactum, ſpeciatim lex circuncitionis, dicente Deo, Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me & vos. Tota etiam lex vocabatur fœdus. ideo volumen legis dicitur volumen fœderis. Cauſam habes in Exodo. Vocabatur teſtamentum æternũ. durauit enim lex iuxta oraculum Elię duobus millibus annorũ. Et nunc etiam durat, in ſpiritu, licet non in litera. Vocatur etiam Iuſtitia, & iuſtificationes, vt paſſim habetur Pſal. 118. Iuſtus enim erat, qui eam legem ſeruabat. Demum vocabatur Iudicia. quia per leges illas Iudices erant iudicaturi. De laudibus huius legis habes in Pſalmis multa, ſpeciatim eo loco, Lex Domini immaculata, &c.

Pſal. 147. Rom. 3. Galat. 3. Geneſ. 17. Exod. 24. Pſal. 118. Pſal. 18.

7 *Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum. & dixit illis, Attendite ab omni iniquo. Et mandauit illis vnicuique de proximo ſuo.* Magnum fuit beneficium, quòd Dominus ſe Iudęis videndum

oſtendit. Fuit hoc honorabiliſſimum inter
magnalia Dei. Eo enim Dominus,& hono-
rem ſibi conciliauit inter Iudæos, & quan-
tum eos vellet honorare demonſtrauit. At,
Exod.24. inquit, viderunt Deum, & comederunt at-
que biberunt. Erat porrò viſio, quaſi opus
lapidis Sapphirini, & quaſi cælum, cùm ſe-
renum eſt. & infrà, quaſi ignis ardens. Se-
cundò inquit, honorem vocis,id eſt,hono-
Exod.19. & 20. ratiſſimam vocem audierũt, Deo ſ.loquen-
te, & Moſe reſpondente. Ait enim ideo Do-
minus, Vos vidiſtis, quòd de cælo locutus
ſim vobis. Summa verò legis eſt: Attende
ab iniquo,& dilige proximũ. Eſt enim lex,
Declina à malo, & fac bonum. Porrò tota
Rom.13. lex in hoc vno verbo inſtauratur, Dilige
proximum. Nam qui diligit proximũ, le-
gem impleuit. Ideo de dilectione proximi
Matth.25. erimus in die Iudicij maximè examinandi.

8 *Viæ illorum coram ipſo ſunt ſemper, & non ſunt abſconſæ ab oculis ipſius.* Habuit enim Deus ſpe-
cialem Iudæorum rationem. Nam habita-
1.Cor.6. bat cum illis, & inambulabat inter illos.
Certè vt eos pũderet coram Domino præ-
ſente peccare.

9 *In vnamquamque gentem præpoſuit rectorem: & pars Dei, Iſrael facta eſt manifeſta.* Id eſt,alijs
nationibus dedit Regem,quo rectore, gu-
bernarentur. At Iſrael factus eſt hæreditas,
& pars ſolius Dei, in qua ille volebat ſolus
gubernare. Ac ideo grauiſſimè tulit, quòd
alium Regem ſibi peterent Iudæi,quando
1.Reg.8. Saul in Regem electus eſt. Non te, inquit

Deus Samueli, reiecerũt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Quod poſtea appellat malum 1.Reg.12.
grande, quod feciſtis, inquit, vobis petentes Regem.

Et omnia opera eorum velut Sol in conſpectu 10
Dei : & oculi eius ſine intermiſsione inſpicientes in vijs eorum. Non ſunt abſconſa teſtamenta propter iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conſpectu Dei. Duæ priores partes explicatæ ſunt ſuprà nu.8. Illud verò, non ſunt abſconſa teſta. omnes huius loci enarratores intelligunt Deũ non abſcondiſſe teſtamentum, & pactum ſuum ab hominibus illis, quanuis eſſent illi ſcelerati. Forſan alius eſt ſenſus : Non ſunt abſconſa pacta, & fœdera hominum, ſuper ſuas iniquitates. Nam aliqui libri habent, per iniquitates: alij, ſuper iniquitatem. Ergo, quanuis illi ſuper iniquitate, occultiſſima teſtamenta & fœdera ineant, ſunt tamen, vt Sol, clariſſima Deo.

Eleemoſyna viri, quaſi ſacculus cum ipſo : 2. & 11
gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit. 3. Et poſtea reſurget, & 4. retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipſorum : & 5. conuertet in inferiores partes terræ Prima laus eleemoſynæ, de qua tradit Author, vt de opere quo Deus magnopere colitur, eſt, quòd ſit velut ſacculus, ſ. pecunię. quaſi dicat, qui ſaccum pecuniæ ſecum defert, emit, quod vult. Ita qui eleemoſynam dat, licet abijciat pecuniam, affert tamen eam ſecum. Qua fauorem Dei contra mala, bonorum copiam in terra, &

demum felicitatem ſibi comparet in cælo. Græcis, pro ſacculus, eſt ſigillum. & eſt ſen-
Rom.4. ſus: Vt Abraham accepit circuncisionem, velut ſigillum, quo Deus teſtabatur eum eſſe iuſtum: ita eleemoſynam faciens, ſigillo Dei munitus eſt, quo oſtenditur eſſe iuſtus.
Matth.25. Qui enim dat cibum fameſcenti, potum ſitienti, &c. iuſtus habetur in die Iudicij. & vt literas ſigillo munitas non temere quiuis audet violare: ita nec dæmones facilè violant eum, qui miſericordiâ eleemoſy-
Pſal.40. nas largitur. Siquidem in die mala liberabit eum Dominus. Secunda eleemoſynæ laus eſt, quòd conſeruat diligenter, & curioſè gratiam. Præclariſſimam planè laudem. Cùm enim gratia animæ noſtræ adeò pateat inuidiæ dęmonum, fragilitati carnis, cupiditati, & impugnationibus mundi: eleemoſyna eſt, quæ contra tot hoſtium furentium phalanges gratiam cõſeruat, & defendit. id eſt, Deum attentè in cęlo precatur, vt
Pſal.40. defendat. iuxta illud, Dominus conſeruet eum, & viuificet &c. Tertia laus eſt: Poſtea reſurget, ſ. in die Iudicij, vbi licet Deus ſit omnia noſtra opera examinaturus, nullius tamen diſertis verbis dicitur facturus mentionem, niſi eleemoſynæ. Ita enim di-
Matth.25. cet, Eſuriui, & dediſtis mihi, &c. Hoc ergo eſt reſurgere: non in obliuione iacere ſepultam: ſed caput inter omnes erigere, & eius tam illuſtrem haberi mentionem. Quarta laus: Retribuet cuique. dictum eſt hoc mi-
Eccli 16. hi ſuprà c.16. annot.5. Potiſſima ſanè ratio habe-

habebitur eleemoſynæ in die Iudicij, non ſolùm vt beati in cælo collocentur: ſed vt pro ratione eleemoſynæ altiores locos poſſideant. Cùm enim eleemoſyna ſit à charitate, & huius habeatur in Iudicio potiſſima ratio: habebitur etiam, & eleemoſynæ. vt Dominus docuit. Quinta laus eſt, quòd *Matth.25.*
conuertet in inferiores partes terræ. Id eſt, non ſolùm prodeſt facienti in hac vita: ſed etiam facta pro defunctis, illis prodeſt, & ſe ad illas inferiores Purgatorij partes conuertet. Non ſolùm ea eleemoſyna, quam quis poſt ſuam mortem facere iubet: ſed & quam viui pro defunctis largiũtur. vt Ma- *2.Mach.12.*
chabęus Iudas ſuo præclariſſimo exemplo *Eccli 14.*
docuit. Dictum eſt de hac re nonnihil ſuprà c.14. annot. 8. Dicant nunc, qui negant Purgatorij locum, quomodo hunc textum euadent? quomodo enim eleemoſyna conuertet in inferiores partes terræ, niſi iuuando purgantes?

Pœnitentibus autem dedit viam iuſtitiæ, & con- 12
firmauit deficientes ſuſtinere, & deſtinauit illis ſortem veritatis. Tractat Author de ſummo beneficio, quo Deus fragilitatem humanam affecit. In multis ſiquidem offendimus. &, *Iacob.3.*
Septies in die cadit iuſtus. Nec enim eſt ho- *Prouer.24.*
mo qui non peccet. Et planè poterat Deus *Eccles 7.*
noſtris peccatis offenſus nulla ratione reconciliari. vt faciunt Principes, qui non quærunt ſuos offenſores ad reconciliationem, ſed ad caſtigationem. At benigniſſimus Deus incredibili beneficio nos affecit,

pro-

promittens cuiuis pœnitenti, ſe amicum fore: & perinde eum habiturum, ac ſi iuſtus eſſet. id dicit Author, pœnitentibus aperuit portam, & viam, qua iuſti eſſent, & haberentur apud Deũ. ô viſcera Dei noſtri, Deo noſtro planè digniſſima! Pergit Author porrò. Confirmauit, inquit, Dominus deficientes, qui vim tentationum non potuerũt

2.Reg.12. ſuſtinere, & prolapſi ſunt. Vt confirmauit Dauidem tam fœdè peccantem. Confirmauit & Petrum. Neutrum abijciens, è ſolio

Iohan.21. ſuo. Demum pœnitentibus deſtinauit ſortem veritatis. ſ. æternã felicitatem. Eſt enim duplex ſors. Altera felicitatis terrenæ, quæ conceditur impijs. Planè ſors vanitatis, ſo-

Pſal.4. mnij, mendacij, & tenebrarum. Altera felicitatis ęternæ. Hęc eſt ſors veritatis. Quod ſi intelligis, ſat eſt.

SECVNDA PARS.

Prouocat mortales ad conuerſionem.

13 *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: Precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuſtitia, & nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitias & iudicia Dei.* Cõmunis Theologia eſt, peccatorem ſe auertere à bono incommutabili, & conuertere ad bonũ commutabile. Author prouocat, vt conuertatur ad incommutabile. Inde, vt Theologi dicunt, in genere cauſæ formalis ſequitur relinquere peccata; vt ad ingreſſum lucis formali-

maliter ſequitur fuga tenebrarum. Tunc tertiò ſequitur, precari Deum pro venia delictorum. Hunc enim ordinem in pœnitentia docet Author. Primum eſt, Deum tam bonum reſpicere, & amare. Secũdum, peccata, quæ eum offenderant, deteſtari. Tertium, pro eorum venia precari. Quartum inde, occaſiones peccati fugere, & minuere. Ergo qui voles ad Deum conuerti, & ex pœnitentibus, quos nũc dixerat, eſſe, hæc quatuor ſunt tibi præſtanda. ¶ Addit, reuertere ad Dominum. Idem dicit alijs verbis. Quod verò ait, nimis odito execrationem, explicatur ita: Nimis odito execrandum peccatum. vt quod ita Deum offendit, ita tibi nocuit, ita diabolo placuit. Demum ait, cognoſce iuſtitias & iudicia Dei. Arbitror ex phraſi Hebræa ſenſum eſſe: Cognoſce, ama, tracta, meditare legem Dei, eiuſq; mandata. Hæc enim ſunt iuſtitiæ Dei, & iudicia. Quãuis & hoc alium ſenſum poſſit habere, ſ. vt expendamus & timeamus iudicia, quæ Deus in peccatoribus exercuit, ne nos in illa incidamus. ¶ Tu Theologe ex Concilio Tridentino ordinem iuſtificationis require, & eum huic loco coapta. Nam poſt illa quatuor, quæ in cõuerſione docuit Author eſſe neceſſaria, docuit etiam, quod nunc dicebamus quintum, ſ. nimis odire peccatum. nimis ſ. ſuper omne quod odiri poteſt. vt Deus debet amari, ſuper omne quod poteſt amari. Docuit item ſextũ, ſ. conoſcere iuſtitias, id eſt, proponere ſeruare diuina mandata. *Concil. Trid.*

sta in

14 *Sta in ſorte propoſitionis, & orationis altiſſimi Dei. In partes vade ſeculi ſancti, cum viuis & dantibus confeßionẽ Deo.* Locus eſt difficilis, ideo diuinandũ in eo eſt. Videtur tamen ita con-

Exod.37. 40. gruè exponi. Templum Iudæorum habebat panes propoſitionis, & altare thymiamatis, quod orationes ſignificabat: ſicut & panes deſignabãt nos, qui Deo proponi debemus. Iam verò homines temporales ſors ſunt mundi: ſpirituales ſors ſunt Dei, & templi ſui. Tu igitur ſta in ſorte templi, id eſt, propoſitionis, & orationis. Tum vade in partes æternitatis, quæ ſeculum ſanctum eſt. Nam hoc ſeculum noſtrum totum in maligno poſitum eſt. Tu igitur, relicta huius ſeculi cupiditate, vade in æternitatem, comitatus viris pijs (qui verè viuunt: nam impij mortui ſunt) & confitentibus & laudantibus Deum. Poteſt etiam ita intelligi: Contende in ęternitatem, vbi ſunt viui, & confitentes Deo. Nam cælum vocatur terra viuentium. & locus tabernaculi admirabilis: domus Dei, vbi eſt vox exultationis, & confeſſionis, & ſonus epulantis. Poteſt tertiò intelligi: Vade cum viuis & confitentibus, id eſt, ne expectes mortem, vt vadas ad ſeculum ſanctum: ſed cum viuis & confitentibus feſtina introire in requiem illã. Huic ſenſui conſonant ſequentia. *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil perit confeßio. Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miſerationibus illius.* Id eſt, Si contin-

Pſal.141. Pſal.41. Heb.4.

gat

gat aliquando in errorem impiorum labi,
ſtatim eripe te ab eo : ne ibi demoreris : an-
te mortẽ id facito. quia ſi in eo errore mo-
riaris,peribit à te, vt nihil,confeſſio. ¶ Ag-
gredimur locum, qui nimiùm multos tor-
quet. Cùm enim loquatur Author de con-
feſſione laudum Diuinarum, mirum eſt,
quomodo doceat,hanc inter mortuos per-
ire : cùm pij vita functi laudes Dei ſine du-
bio decantent. Sed tu lector expende atten-
tiùs contexturam literæ,& videbis Autho-
rem loqui de ea confeſſione,quâ conuerſus
ad Deum ex peccatis,eum pro tanta miſeri-
cordia laudat. Gloriaberis,inquit,in miſe-
rationibus eius,quas ſ.exhibet peccatori,ſe
conuertenti. Hanc igitur confeſſionem di-
cit Author perire impio mortuo. ac horta-
tur,vt viuens,viuus & ſanus ita confitearis.
¶ Interim (inquit) grande conſilium acci-
pe. Ne demoreris in peccatis.ſ. in peſte, ve-
neno, in quodam demum inferno.eruere
velut damula de manu aucupis. fuge velut *Prouer.6.*
à facie colubri. Secundum item conſilium
placeat. Ante mortem lauda Deum,quia te *Eccli 21.*
à peccatis eripuit. imò viuus & ſanus hoc
facito. quia languore premente,rara eſt hu-
iuſmodi confeſſio: & morte inſtante,rariſ-
ſima. Meretur enim infirmus vt moriens *Auguſtinus.*
obliuiſcatur ſui,qui viuens oblitus eſt Dei.
Tertium demum conſilium eſt, vt qui ſe à
prioribus peccatis liberum videt, laudet
Deum, & glorietur in miſerationibus eius:
quòd cùm multi in piſcina maneant infir- *Iohan.5.*

mi, non ad illos miſerationes Dei venerũt, ſed ad te, qui liberatus es, venerunt.

15 *Quàm magna miſericordia Domini, & propitiatio illius, conuertentibus ad ſe!* Verba ſunt aut Eccleſiaſtici, admirantis Diuinam clementiam erga pœnitentes: vel potiùs ſunt laudes, quas quiuis è peccatis conuerſus dicere debet. Quaſi dicat, Viuus & ſanus confiteberis Deum, & eum laudabis, ac in eo gloriaberis dicens, Quàm magna eſt miſericordia Domini, &c. Planè magna, & incõprehenſibilis eſt pœna inferni. Sed hoc iudicium Dei, ſuperexaltat, & excellit miſericordia.

Iacob. 2. Magna & incomprehenſibilia ſunt omnia
Pſal. 144. opera Domini. Sed miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

16 *Nec enim omnia poſſunt eſſe in hominibus: quoniam non eſt immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt.* Cauſam quandam reddit, cur ſit magna miſericordia Domini cõuertentibus ſe ad ipſum. Sanè quia non omnia poſſunt impotẽtes homines. Cur ita? quia mortales ſunt, perpetuò ſecum mortem afferentes. Mors enim ab origine penpet. Tum, quia filij hominum ſunt, ex vili ſemine, in vili fœminæ matrice coaliti: fœdo menſtruo nutriti, fœde nati, fœdiùs prouecti. Tum tertiò, quia in vana malitia ſibi complacent. Omnis quippe caro ab adole-

Geneſ. 5. & 8. ſcentia ſua in malum prona eſt. Itaque ni-
2. Pet. 2. hil mirum, ſi Angelis cadentibus non pepercerit Deus, immortalibus, filijs ferè Dei, ad

ad omne bonum creatis: ſed mirum eſſet, ſi Deus hominibus, in peccatis conceptis, non miſereretur. *Pſal.50.*

17 *Quid lucidius ſole? & hic deficit. aut quid nequius, quàm quod excogitauit caro & ſanguis? & hoc arguitur.* Si Sol eclipſatur, & patitur tenebras, cùm nihil ſit eo lucidius: quid mirum, ſi homo tenebras peccati patiatur aliquando, qui ſecum habet carnem & ſanguinem, quæ nullum non malum excogitant? Caro & ſanguis eſt affectus ſine Deo. Nec enim solùm ſenſualitas, ſeu fomes, vocantur caro & ſanguis: ſed etiam voluntas, ſine Dei ſpiritu ſuæ carni cōformis. Vt enim caro ferè mutatur in ſpiritum, cùm ipſum ſequitur: ita & voluntas in carnem quodammodo, cùm ipſam ſectatur. Ab hac igitur carne, velut à fonte, prodeūt ferè omnia mala. Audi Paulum: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidię, homicidia, &c: Tu verò iam ne quæras his nequiora. Cùm igitur homo ſecum iugiter afferat hanc ſentinam fœtentium delictorum, miraris ſi aliquando delinquat? Ne verò quis putet, quòd hæc peccatorum radix, & voluntas ex carnis inſtigatione delinquens, euadet Diuinam vltionem, ideo ſubdit, & hoc arguitur. Neque enim, quia mala ex venenato fonte oriuntur, ideo libera erunt à pœna: imò hæc planè arguentur. *Caro & ſanguis.* *Galat.5.*

Geneſ.4. tur. Quia, vt dictum eſt Cain, ſubter te erit appetitus tuus. Vt dignus ſis pœna, ſi malè pullulantem appetitum non coercueris.

18 *Virtutẽ altitudinis cæli ipſe conſpicit: & omnes homines terra & cinis.* Id eſt, adeò Dominus magnus eſt, vt tota virtus à cælo ad terram, ab ipſo intimè conſpiciatur: interim videt, quòd virtus, & robur hominis eſt terra & cinis. Num non igitur miſerebitur eius? Videt Deus vires Angelorum, cęlorum, elementorum, & omnium aliorum. Videt igitur vires hominis, quòd ſint ex corpore, terra: ex anima, cinis. Miſeretur igitur tam languidæ rei. Quomodo ſit homo ex corpore puluis: quomodo anima cinerem repræſentet, dictum eſt mihi ſuprà. c.10.

Eccli 10.

CAPVT XVIII.

PRIMA PARS.

Laudes magnalium Dei: maximè miſericordiæ eius.

1 *QVI viuit in æternum, creauit omnia ſimul* Duo propoſuit Author in calce cap. præcedẽtis. Alterum, magnam eſſe Dei propitiationem. Alterum, opera carnis arguenda. Vtrunque explicatur hoc cap. Prius verò, hac parte priore. Creauit ergo Deus omnia: ac ideo non mirum eſt, ſi miſereatur omnibus. Iuxta illud, Ego feci, ego feram. ¶ Porrò ex hoc loco D. Auguſtinus, & eum

Iſaia 46. D. Auguſt.

eum ſequutus Caietanus, collegit omnia in *Caietanus.*
vnico inſtanti creata. & diſtinctionem die-
rum ſex, non ita in tempore fuiſſe: ſed in
Angelorum cognitione. At ego ſemper cre-
didi hanc ſententiam longiſſimè à vero di-
ſtare. Quid enim lucidius, quàm ſex diebus
omnia fuiſſe creata, & ſeptimo Deum requi- *Geneſ. 1.*
euiſſe? Quid certius, quàm quòd priùs aquę
cooperiebant terram; ſed Dei mandato,
terra diſcooperta eſt, & aquæ continentur *Pſal. 103.*
velut in vtre, ne iterum cooperiāt terram? *Pſal. 32.*
Quod autē hoc loco dicitur, creauit omnia
ſimul, intelligitur iuxta literam Græcam,
creauit omnia generaliter, nullo excepto.
Quòd ſi vrgeas verbum Latinū, ſimul: pla-
nè nō ſignificat vnicum inſtans, ſed rerum
continuationem. id eſt, non intercidit De-
us operationem ſuam: ſed continenter per
ſex dies creauit: & ſabbato quieuit. Itaque
ſenſim, & continuè extendebat cælos, vt *Pſal. 103.*
pellem: ſenſim, & continuè proferre fa-
ciebat fructus ex arboribus, piſces ex ma-
ri, &c.

2 *Deus ſolus iuſtificabitur, & manet inuictus rex in æternum.* Id eſt, Creauit Deus tam multa: ſed inter omnia ſolus Deus iuſtus inuenitur: & manet rex, quem nullus defectus vincit, in æternum. Solus, inquit, iuſtificatur. vt illud, Nemo bonus, niſi vnus Deus. *Marc. 10.* Quia vniuerſa, Deo collata, ſunt, ac ſi non *Iſaiæ 40.* eſſent. Magis quadrat alius ſenſus. Dauid inquit, Dele iniquitatē meam, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudi- *Pſal. 50.*

bus Dei. vtpote profectis à ſapientiſſimo o-
peratore. Quòd ſi vnquam humanum in-
genium notã inurit magnalibus Dei,cauſa
eſt,quia cùm ſit finitum,nequit inuenire ra-
tionem infiniti cõſilij Diuini.

Cùm conſummauerit homo,tũc incipiet: & cùm 5
quieuerit,operabitur. Id eſt, tam ſunt incom-
prehenſibilia opera Dei,vt cùm homo,à la-
bore ea inueſtigando,deſtiterit,tunc de no-
uo incipienda inueſtigatio erit: & cùm pu-
tauerit ſibi quieſcendum, vtpote qui rem
exhauſerit, & penetrauerit, tunc operabi-
tur. Quò enim plus penetras, plus reliquũ
eſt penetrandum. Alioqui Deus non eſſet,ſi
à te comprehendi poſſet. Rectè igitur illud,
Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: con- *Pſal.138.*
fortata eſt, & non potero ad eam. Ita Pla- *Plato.*
to, Deum inueniſſe non facile, intellexiſſe
impoſſibile. Rex Hiero Simonidem Philo- *Simonides.*
ſophum rogauit, Quid eſſet Deus? Petijt il-
le duos dies ad reſpondendum.tum quatu-
or: ac ita ſemper multiplicatos. Id cùm
miraretur Hiero, ille reſpondit: Quò plus
de Deo cogito, res mihi videtur obſcurior.
Certè cùm hic cõſummare videbatur, tunc
incpiebat.

Quid eſt homo,& quæ eſt gratia eius? & quid 6
eſt bonum, aut quid nequam illius? Numerus die-
rum hominum,vt multum centum anni: quaſi gut-
ta aquæ maris deputati ſunt: & ſicut calculus are-
næ, ſic exigui anni in die æui. Dicturus Author,
qua ratione infinitas magnitudinis Dei mi-

ſereatur hominis, dicit qualis ſit homo. & ſenſus eſt: Quid eſt homo, aut quæ vtilitas eius? Id enim Græcis ſignificat, quæ eſt gratia eius? id eſt, cuius rei gratia eſt ille? Quid eſt homo? ſanè vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. & item, Homo vanitati ſimilis factus eſt. Cuius rei gratia eſt? Planè, vt vniuerſi dies eius doloribus, & ærumnis pleni ſint. vt vita eius ſit militia: vbi rarum eſt vincere, infeliciſſimum vinci. Quid eſt bonum, aut malum hominis? id eſt, quantum durat eius felicitas, aut miſeria in hac vita? Planè numerus dierum eius, vt multum, ſunt centum anni: qui collati ad mare æternitatis, ſunt velut eius guttulæ. & ſicut lapillus vnus arenæ, collatus ad infinitatem arenæ, quæ eſt in litore maris: ita centum anni, collati ad diem æui. ¶ Theologus attentiſſimè expendet, totam æternitatem, ſeu æuum Dei, vocari vnicum diem. Iuxta illud, Ego hodie genui te. Theologi vocant vnicum nunc æternitatis. & ſanè quâ ratione vocatur vnus dies, omnes dies comprehendens, ea vocatur vnum nunc, omnia tempora claudens. ¶ Poſſet eſſe alius ſenſus extremorum verborum, ſ. ô quantum erit bonum hominis, & quantum eius malum, cùm tamen ad hoc bonum, & malum aſſequendum, tam breue habeat viuendi ſpatium!

Pſal. 38. Pſal. 143. Eccles 2. Iob 7. Pſal. 2.

7 *Propter hoc patiens eſt Deus in illis, & effundit ſuper eos miſericordiam ſuam. Vidit præſumptionem cordis eorum, quoniam mala eſt: & cognouit*

ſub-

ſubuerſionem eorum, quoniam nequam eſt: ideo adimpleuit propitiationem ſuam in illis, & oſtendit eis viam æquitatis. Quia homo eſt vniuerſa vanitas: quia ærumnoſi ſunt dies eius: quia eius eſt vita tam breuis, ideo Deus patiens eſt, non ſtatim infert fulmina vindictę: imò pœnitentibus dat miſericordiam ſuam. Dices, Imò breuitas, & vanitas vitæ, rationes erant, vt homo ſanctè viueret: quod ſi non faceret, furorem Dei ſentiret. Reſpondet, videt Deus præſumptionem ac ſuperbiam hominis adeò malam, & ſubuerſionē adeò iniquā, ideo miſeretur. Vbi recordare, quòd ſerpens propoſuit homini cibum interdictum, promittens futurum, vt eſſent dij. Irrepſit hæc Diuinitatis cupiditas in animos omniū. Nemo enim ferè, ſe natum ad obediendum legi Diuinæ, meditatur. Hæc eſt hominum mala ſuperbia. Inde in Adam facta ſubuerſio eſt. Quia ratio, quæ ſummum locum habere debuit, in imo iacet. Contrà cupiditas, quæ erat in imum deiecta, ſummum locum obtinuit. Ergo videns Deus ſuperbiam hominis ex dæmone natam, videnſq́ ſubuerſum hominem, cupiditate in eo tyrannidem exercente, miſeretur tantæ miſeriæ. ô Dei ſummam miſericordiam! Grauiſſimæ iniuriæ, quæ nos ſolent ad grauiſſimam iram prouocare, hæ illū ad ſummam miſerationem ferè compellunt.

Pſal. 38. *Eccleſ. 2.* *Geneſ. 3.*

8 *Miſeratio hominis circa proximum ſuum: miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem. Qui miſericordiam habet, docet, & erudit quaſi paſtor*

gregem ſuum. Id eſt, hominis miſericordia extenditur ad conſanguineum, amicum, aut certè aliâs notum: at miſericordia Dei erga omnem pœnitentem. imò,& cùm ſuſtinet impœnitétem, miſericordiam effundit ſuper eum. Sed ſpeciatim miſeretur piorum, quos erudit velut paſtor gregé. ¶ Nota Authorem loqui tempore ſuo, quo diceba-
Matth.5. tur antiquis, Odio habebis inimicũ tuum. Non ergo erat miſericordia tunc erga alium, quàm proximum. At Deus etiam ini-
Rom.5. micorum mſeretur. vt Paulus affert: quia pro impijs mortuus eſt. ¶ Nota ſecũdò, Authoris tempore, Deum paviſſe gregem ſuum, maximè docendo: quia lex illa docebat, non dabat gratiam. At noſtra & docet, & vires dat ad exequendum, & gratiam ad cælum aſſequendum. Subdit Author aliud verbum. ſ. *Miſeretur excipientis doctrinam miſerationis, & qui feſtinat in iudicijs eius.* Ne credas, quòd Deus miſeretur omnino impiorum in ſua impietate perſeuerantium, explicat tibi Author, quorum miſereatur Dominus. certè illorum, qui excipiũt doctrinã, quam Deus ſua miſeratione illis infundit: & illorum, qui feſtinant ad exequenda Diuina mandata. Tu lector memineris dictum eſ-
Pſal.93. ſe, Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Erat Auguſtinus malus: erat & Saulus. Deus ſua miſeratione erudiuit corda eorũ, doctrina conuerſionis, quæ eſt doctrina miſerationis. Illi eam doctrinam exceperunt. Ideo miſer-

tus eſt Dominus eorum, dans ſ. eis gratiam, & poſtea felicitatem. Ergo priores, quorum Deus miſeretur, ſunt, qui in impietate, ſuſcepta doctrina miſerationis, conuertuntur. Poſteriores ſunt, qui viam mandatorũ curr- Pſal. 118.
runt: qui non deſidioſè opus Dei faciunt: Ierem. 48.
qui feſtinant ingredi in illam requiem: qui Heb. 4.
ſunt ſpiritu feruentes, & orationi inſtantes. Rom. 12.
¶ Poteſt verbum primum exponi aliter, & fortaſſe conuenienter, certè ſequentibus accommodè: Deus miſeretur eius, qui excipit doctrinam miſerendi. id eſt, eius qui aliorum miſeretur, videlicet qui à Deo doctus, & impulſus eſt ad miſerendum.

Fili, in bonis non des querelam, & in omni dato 9
non des triſtitiam verbi mali. Nónne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum melius quàm datum. Nónne ecce verbum ſuper datum bonum? & vtraque cum homine iuſtificato. Stultus acriter improperabit, & datus indiſciplinati tabeſcere facit oculos. Dixerat Deũ miſereri eius, qui excepit doctrinã, quâ miſereatur, Si quæris quæ nam ſit hæc doctrina? Hæc: Si das eleemoſynã, aut aliud bonum, caue ne verbum dicas, de quo conqueratur accipiens, aut contriſtetur. imò potiùs verbum adhibe dulce. Hoc enim magis æſtimabitur, quàm donum. Vtrunque inuenitur in homine iuſto. cùm tamen ſtultus, quod dat, improperat, & donum eius (id enim ſignificat datus eius) triſtes facit oculos recipientis. ¶ Nota, Sicut ros refrigerat ardorem præcedentis diei: ita

verbum ſuaue fouet, & lenit ardorē, quem vrens paupertas effecit. Nota ſecundò: Si pius poteſt, non ſolo verbo conſolatur inopiam: ſed facto. vtrunque enim eſt cum homine iuſtificato. Nota tertiò, quàm ſimus multi ſtulti, qui nunquā non conquerimur importunitatem retentiū: Quòd cùm poſſint laborare non laborant, & ſimilia.

SECVNDA PARS.

Suadet vt habeamus memoriam dici Iudicij.

10 *Ante iudicium para iuſtitiam tibi, & antequam loquaris, diſce Ante languorem adhibe medicinam, & ante Iudicium interroga te ipſum, & in conſpectu Dei inueries propitiationē.* Sine dubio (vt infrà patebit) loquitur de extremo Iudicio, cuius tantus terror eſt, vt digniſſimè admoneamur, paremus opera ſancta, antequam ille dies veniat. Et quia, vt docet Dominus, eo die reſponſuri ſumus Chriſto, interrogantes, quando eum in hoc mundo viderimus: ideo admonemur, vt antequam tunc loquamur, nunc diſcamus, benefaciendo, quod cum lætitia reſpondeamus. Adhibet Author huius rei exemplum. Vt ante languorem, quē credis inſtare, adhibes medicinam: ita ante Iudicium teipſum examina: circunſpice, interroga. quia prauum eſt cor hominis, & occulta eius quis intelligit? Si ita te excuſſeris, in cōſpectu Iudicis inuenies propitiationem. Audi Dauidem dicentem, Cogitaui vias meas: & conuerti pedes

Matth.25. *Ierem.17.* *Pſal.118.*

meos

meos in teſtimonia tua. & Paulus cõfert Euangeliũ cum Apoſtolis, ne in vacuũ currat. *Galat. 2.*

11 *Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis oſtende conuerſationem tuam.* Adhibet ad idem hoc ſecundũ exemplum, cuius ſenſus eſt: Si vis tempore infirmitatis leniter, & humiliter ferre languorem, ante eum lenis eſto, & humilis. nam qualem te exhibueris ſanus, inuenies infirmus. Igitur ita ante tempus Iudicij, in quo omnia trement, humilia te, præpara te. quietè & manſuetè iudicem expectabis, ſi quietè & mãſuetè vixeris.

12 *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis vſq; ad mortem iuſtificari: quoniã merces Dei manet in æternum. Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deũ.* Senſus eſt: Merces quam ſperamus, merces eſt: & Dei merces eſt: & merces in æternum duratura eſt. O infinitam mercedem! ô Deo dignam mercedem! ô æternam mercedem! Nónne ergo digna eſt merces illa, vt nihil ſit impedimento, quo minùs Deum ſemper ores, vt eam tibi largiatur? Nónne digna eſt, vt vſque ad mortẽ non ceſſes, iuſtus eſſe, & iuſta opera facere: nam iuſtitiæ merces illa eſt. Cùm autem admoneo te, vt ores ſemper, non dico, vt imparatus ad orationem venias. alioqui tentare Deum videberis. Si enim cum peccato mortali accedis oraturus, tentas Deum, & prouocas, vt tecum iraſcatur, qui eum adis, cùm ſis eius inimicus. Ergo peccatum, oraturus expelle.

Memen-

13 *Memento iræ in die conſummationis, & tempus retributionis in conuerſione faciei.* Id eſt, memento irę Chriſti Iudicis in die vltimo, quo huius mundi tumultus cõſummabitur. & maximè memento, quando conuertet faciem ſuam lętam Chriſtus in Sanctos, daturus eis retributionem. Conuertet item faciem terribilem in malos, eos condemnaturus. Illud prouocabit te ad bonum: hoc te deterrebit à malo.

Matth. 25.

14 *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & neceſſitatem paupertatis in die diuitiarum. A manè vſque ad veſperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. Homo ſapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia.* Quanuis hæc generalis admonitio videri poſſit, quâ vt ſuprà admonemur, vt in die bonorũ vereamur mala ventura, quia in mundo tam mutabili omnia mutantur, & vir ſapiens debet cuncta vereri: quadrat támen magis, vt ſit admonitio ſpecialis: O viri, ſi quando felicia vobis arriſerint, ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia, veremini peccatum mortale, in quod incidere poteſtis: in quod ſi incideritis, verè in tempus neceſſitatis, & paupertatis incidiſtis. Cùm igitur nemo ſit ſecurus ab eo, vir ſapiẽs in tempore huius vitæ, quod tempus eſt delictorum, cauebit ab inertia. Vel ſpecialius: O vir pie, ſi quando in abundantia tua dixeris, Non mouebor in æternum, memento eius neceſſitatis, & paupertatis, quam, ſi damnaris in die

Eccl. 11.

Tẽpus vitæ, tempus delictorum.
Pſal. 29.
Prouer. 6.

die Iudicij, patieris, cum impijs: & eius rei memor, in tempore huius vitæ caue ab inertia. Diſce à formica, quæ tempore æſtatis congregat, ne tempore hiemis indigeat.

Omnis aſtutus agnoſcit Sapientiam, & inuenienti eam dabit confeſſionem. Senſati in verbis & ipſi ſapienter egerunt: & intellexerunt veritatem & iuſtitiam, & implorauerunt prouerbia & iudicia. 15
Quia Author res graues dixerat, addit: Aſtutus, ſeu vir prudens agnoſcet, & approbabit hanc Sapientiam dictam: & dabit confeſſionem, id eſt, aget gratias ei qui dictam Sapientiam inuenit. Nam viri ſenſati in verbis, quę legunt, & audiunt, ſapienter agunt: non temere audiẽtes, ſed veritatem & iuſtitiam intelligentes. Illud vltimũ, implorauerunt prouerbia & iudicia, Græcis eſt, diſtillauerunt, ſeu pluerunt prouerbia & iudicia. id eſt, protulerunt ex ore ſuo prouerbia, velut ros ſuper herbam: & velut ſtillæ ſuper gramina. *Deut.32.* Verſio noſtra ſignificat Sapientes antiquos, & à Deo, & à maioribus ſuis imploraſſe prouerbia & iudicia, quæ qui exequerentur, eſſent feliciſſimi. Nam Philoſophi experientijs nitentes prouerbia dixerunt, non perpetuò certa: at fideles aſſequuntur à Deo, certiſſima.

Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. 16
Planè hoc eſt prouerbiũ imploratum à Deo: traditum à Paulo in hæc verba, Mortificate *Coloſſ.3.*

membra

membra veſtra: iuſſum à Chriſto, dicente,
Luc.9. te, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Quod niſi fecerim, lętabuntur & exultabunt (ſi ita phas eſt dicere) dæmones,
Pſal.12. cùm motus fuero. Planè qui ſpiritum Chri-
Rom.8. ſti non habet, hic non eſt eius. Si autem ſpiritus Chriſti habitat in vobis, corpus mortuum eſt propter peccatum: id eſt, totum reliquum à ſpiritu, (quatenus repugnat ſpiritui) mortuum eſſe debet: vt ſolus ſpiritus viuat. Itaq; ratio, voluntas, appetitus, ſi repugnarint ſpiritui, mortificanda ſunt. Id dicit Author: à voluntate tua, vt tua eſt, vt Dei non eſt, vt ſpiritui repugnat, auertere. & hanc Theologiam non libet ampliùs in lucem proferre. Hęc tamen eſt totius Chriſtianæ fabricæ (ſi licet dicere) fundamentum, medij parietes, & conſummatio.

17 *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis: aſsidua*
Euſebius Pp. *enim eſt commiſsio illorum.* Euſebius Papa epiſt.2. pro aſsidua legit, adeſt. Sed idem eſt ſenſus:
Rabanus. & placet, quia placuit Rabano. Ne delecteris in turbis, & frequentia multorum. imò, & ſi turba modica ſit, ne oblecteris in ea: quia aſſiduum eſt peccare inter multos. Si-
Prouer.10. quidem in multiloquio non deerit peccatum. & mirandum eſt, quantopere Chriſtiani illi veteres relinquebãt ciuitates, & quę-
Thren.3. rebant ſolitudines, ſ. vbi ſederent ſoli, & tacerẽt, vt dicebat Ieremias. Tu vide, tam noxium eſſe peccatum, vt eius gratiâ ſuam homo naturã deneget. Eſt enim homo animal ſociale. Hoc eſt igitur ſecũdum Sapientum

proucr-

prouerbium, idq; digniſſimũ. Addit tertiũ.
Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore: 18
& non eſt tibi nihil in ſeculo. Eris enim inuidus anima tua. Fateor Græcis, pro ſeculo, eſſe ſacculo, vel marſupio. Sed Euſebius Papa vbi ſuprà, legit ſeculo. & ferè in idem ſenſus redit. Is eſt: Ne contendas multa ex fœnore accipere: ac ita, ex tenui, & paupere, mediocris fieri: ſi alioqui nihil tibi eſt in mundo, vel in arca ad ſoluendum. Nam ſi multa ex fœnore capias, inuidebis animæ tuæ quietem: quia parabis ei lites, carceres, & tormenta.

Euſebius Pp.

CAPVT XIX.

De Vino, & meretricibus.

OPerarius ebrioſus non locupletabitur: 1
& qui ſpernit modica, paulatim decidet. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos: & qui ſe iungit fornicarijs, erit nequam. Putredo & vermes hæreditabũt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. Prouerbium hoc quartum in ordine eſt, & ait: Etiam ſi operarius ſis, nimiumq; opereris, ſi ebrioſus fueris, diues non eris. Modicũ videtur conſumi bibẽdo hodie, & cras: ſed ſi hęc modica ſpernis, videbis te in ebrietatem, & inopiã decidiſſe. Is videtur germanus ſenſus huius ſentẽtię. Sed eſt illa admodum generalis, habens locum in da-

in damnis exiguis domeſticis, vnde magna ſurgere iactura ſolet. Multò maiorē locum habet in ſpiritualibus. Nam qui negligit venialia, incidit in mortalia: & qui non fugit occaſiones, illaqueatũ ſe videbit in eis. Addit, Vinum & mulieres auertere, etiam ſapi-
3.Reg.11. entes, à Dei religione. vt Salomon demonſtrauit. Quod ſubijcit, arguent ſenſatos, quidam volũt ſenſum eſſe, quòd eos reprehenſibiles reddent. Poteſt & alius eſſe, quòd hęc ſit pœna ebrij, & fornicatoris Sapientis, quòd ipſum vinum & mulieres ſenſatos reprehendunt, cum illis corrixantur, & ipſa ſua voluptas conuertitur illis in pœnam, eamq́; vix tolerandam. Demum, Qui ſe iungit mulieribus fornicarijs, hæreditabit vermes. Id eſt, citò morietur, & dicet putredi-
Iob 17. ni, Pater meus es: Mater mea, & ſoror mea, vermibus. Nam nimius coitus haurit vires, & hominem elanguidum tradit ſepulturæ. Cùm autem hæc ſcriberet Author, arbitror Salomonis memoriã ante eius oculos obuerſatam. Ideò dixit, extolletur in ex-
Sap.9. emplum maius. Maximum enim exēplum
3.Reg.3. pœnæ ſummæ fuit ille. Nam cùm ſapientię donum à Deo accepiſſet, factus omnium mortalium ſapientiſſimus: ſimulq́; donum contemplationis acceperit, factus omnium
Cantica. cōtemplantiſſimus, vt eius Cantica docent: is tandem idololatra factus, ablatus eſt de numero fidelium Regum: vtinam, non prędeſtinatorum. ¶ Neque prętereundum eſt, quod dixit, Qui ſe iungit fornicarijs mulieribus,

ribus, erit nequam. id eſt, multis erit ſceleribus obnoxius. Quid enim non poteſt iubere, quod amas, ſcortum? & quod tu eius iuſſum non capeſſes? Planè eris comeſſator, vt minimum, ebrioſus, fur, vt ventri ſatisfacias: nonnunquā homicida,& veneficus.

SECVNDA PARS.

Moderatio linguæ.

QVI credit citò, leuis corde eſt, & minorabitur: & qui delinquit in animam ſuam, inſuper habebitur. Hoc eſt ordine prouerbiū quintum, quod & ſi generaliter ad multa accommodari poſſit, ſed ſpeciatim Author adduxit, contra eum qui facilè credit infamiam de aliquo dictā. Ergo, qui credit citò infamatori, is, vt leuis corde, minorabitur. Nam, vt qui amicum fixum habet, maior ſe fit: ita qui amicum amittit, efficitur minor. Minùs enim ſine amicis, & poſſumus, & ſumus. Iam cùm amicus ſit, velut anima noſtra: (eſt enim alter ego) qui ita in amicum delinquit (id eſt, in animam ſuam) inſuper habendus eſt. quod Latinis ſignificat, fruſtra illum eſſe. ſ. rem eſſe ſuperfluam, & vanam. Sed Græcis eſt, inundabit. id eſt, erit in modum vndæ, & fluitantis aquæ, quam ſ. leuis aura mouet. Talis eſt, qui ex leui rumore à bona amici opinione mouetur. 2

Qui gaudet iniquitate, denotabitur. Qui odit correptionem, minuetur vita: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Iuſtus peccans aliquādo ex fragilitate, dolet, ſuſpirat, & ipſa- 3

met voluptas peccati mille doloribus intercipitur. At verò qui gaudet in ſceleribus, is condemnabitur. (id valet Græcis denotabitur.) Magnum habeat prognoſticum damnationis ſuæ, qui in ſuo ſcelere gaudet. Iam verò, qui odit correptionem, ac ideo in ſceleribus perſeuerat, minuetur vita.
Pſal. 54. Nam viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies: nec enim talia monſtra Deus diutiſſimè ſuſtinet. vt in Cæſaribus malis videre fuit. Demũ qui odit loquacitatem, extinguit mala multa, quæ ex loquacitate oriri videmus. Nam impediendo loquacem, impedis detractiones, & alia mala, quę ille dicturus erat.

4 *Qui peccat in animam ſuam, pœnitebit: 2. & qui iucundatur in iniquitate, denotabitur. Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis.* Secundum huius clauſulę membrũ, dictum eſt in prꝺcedente annotatione. Primum verò verbum dictum eſt in ſecunda annotatione, ſ. quòd qui leuiter credit ei, qui amicum infamat, inſuper habebitur: nunc addit, quòd aliquando eum pœnitebit, quòd ſic in amicum peccarit. Tertij membri Ti-
Tigurini. gurina tranſlatio docet hunc ſenſum: Audiſti ſemel verbum de amico diffamatorium, caue ne id ſecundò effutias. alioqui detrimentum patiêris. Alius ſenſus eſſe poteſt: Dixiſti verbum de proximo durum, id ne repetas. Ita fiet, vt lapſu linguæ, non animo nocendi, dixiſſe videaris. Si repetas, & tu amicum amittis, & vt malus iudicaberis.

Amico & inimico noli narrare ſenſum tuum: & ſi eſt tibi delictum, noli denudare. Audiet enim te, & cuſtodiet te, & quaſi defendens peccatum odiet te, & ſic aderit tibi ſemper. Id eſt, quæ velis eſſe ſecreta, nec amicis, quantò minùs inimicis reueles. Si enim tu tacere nequiuiſti intimũ tuum, quomodo velis id ab amico taceri? Maximè ſi aliquod delictũ occultum admiſiſti, id nulli denudes. Si alicui denudes, audiet ille quidẽ, & obſeruabit te. Ne verò videatur idem crimen admiſiſſe, velut defendens ſe ab eo peccato, odiet te: ac ita iam factus inimicus, velut grauiſſimũ onus aderit tibi ſemper. Euſebius Papa epiſt. 2. pro aderit, legit, adhęrebit. ſed eodem ſenſu. Porrò, quotidiana experientia gloſa huius textus eſt: Si criminis conſcium habes, illum ſemper vereris, & ne te traducat, pertimeſcis. 5 *Euſebius Pp.*

Audiſti verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa fœmori canis, ſic verbum in corde ſtulti. Primum membrum, vtinam, vt clarum eſt, ita ſeruatum eſſet. Secundi ſenſus eſt: Vt verbum contra proximum audiuit fatuus, incipit parturire, eniti, dolere, gemere, donec verbum, velut infantem pariat, effutiat, communicet alijs. Ergo, vt parturiens non quieſcit à dolore & gemitu, donec pariat infantem: ita nec fatuus continere ſe poteſt, donec occultum de proximo verbum palàm efficiat. Addit 6

Author, Sicut canis in fœmore ſagitta percuſſus, non quieſcit donec ſagittam euellat: ita nec fatuus quieſcit, donec verbum quod audiuit, velut ſagittam, qua percuſſus eſſet, in publicum efferat. at ſapiens verbum in ſe ſepelit. Litera Græca, pro canis, legit, carnis. vt etiam legit Euſebius loco prædicto. Sed ſenſus idem eſt. ſiue enim homo, ſiue canis ſagitta percutiatur, non ſe continet donec eam excutiat.

Euſebius Pp.

7 *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat, Non feci: aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne fortè non dixerit: & ſi dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum: ſæpe enim fit commiſſio: & non omni verbo credas. Eſt qui labitur lingua, ſed non ex animo. Quis eſt enim qui non deliquerit lingua ſua?* Euſebius Pp. primũ membrum ita legit: Corripe amicum, ne fortè cùm fecerit iniuriam, & non intellexerit, dicat, Non feci. quod ego, velut gloſſam noſtri textus, accipio. Senſus igitur eſt: Corripe, id eſt, conueni amicum, quærens rationem ab eo, cur te iniuria affecerit. nam ille ſi non intellexit, quòd te iniuria lædebat, reſpondebit, Non feci tibi iniuriam. non intellexi iniuriam tibi fieri: ac ita ſatisfaciet animo tuo. Si verò intellexit, admonitus à te, non iterum eam admittet. Idem quod de iniuria facti dictum eſt, dictum etiam eſto de iniuria verbi. quod eſt ſecundum membrum. Tertij verò membri ſenſus eſt: Corripe amicum, quærens ab eo, cur

cur te verbo læſerit. Sæpe enim fit commiſſio. id eſt, ſæpe dicimus verba, quæ in calumniam rapi poſſunt, vt contra nos dicta. Ne verò tu ſtatim credas, contra te verbum dictum, aut malo animo dictum. Contingit enim linguam labi, non animum. Quando enim non labitur lingua? at animum labi, non perinde facile eſt. Crede igitur lapſum linguæ in amico, non animi.

Corripe proximum antequam commineris: & da locum timori Altiſſimi. Quia omnis ſapientia timor Dei, & in illa timere Deum, & in omni ſapientia diſpoſitio legis. Et non eſt ſapientia, nequitiæ diſciplina: & non eſt cogitatus peccatorũ, prudentia. 8
Ad omnes pertinet hæc Authoris doctrina, ſed maximè ad curiales, qui nullum non verbum proximi rapiũt in malum; ac ideo ſtatim concipiunt odium, effutiunt minas: nullum locum faciunt timori Dei; nihil curant legem Domini: ſed putant ſapientiam eſſe, ſumere de amico vindictã: & prudentiam eſſe, cogitare, quomodo eum lædere poſſint. Sed Author multò aliter. Corripe, inquit, amicum: id eſt, conueni eum, quærens cur te verbo læſerit: antequam iram concipias, & minas parias. Inueniat in te locum timor Dei. Hic enim eſt omnis Sapientia, in qua ſemper inuenitur timere Deũ, & iuxta legis Dei diſpoſitionem, non iuxta animi ardorẽ operari. Illa verò curialium diſciplina, qua iubent, vindicandũ eſſe tale verbum morte, illud fuſte, illud alapa, (&c. quę illi docent) illa inquã non eſt Sapientia,

ſed diaboli inuentum: & illa cogitatio quomodo ſe vindicabunt, non eſt prudētia, ſed ſumma ſtultitia. ¶Sapientia dicitur timor
Pſal.110. Dei,quia initium ſapientię,& plenitudo ſapientiæ,eſt timor Dei. Vocatur hoc loco Sapientia, Dilectio Domini. Cuius initium,&
Eccli 1. cōſummatio eſt timor Dei. vt cap.1. dictum eſt. ¶ O vtinam Sapiētes noſtri aduerterent verbum illud, In omni ſapientia eſt diſpoſitio legis. ô vtinam nemo Sapiens cenſeretur, niſi qui iuxta legis diuinæ diſpoſitionē cuncta diſponeret. Hoc porrò loco, ita lex
Rom.12. diſponit: Mihi vindictā, & ego retribuam.
Deut.32. Cur ergo nobiles ſibi, non Deo, relinquunt vindictam? ¶ Notent verò callidi & aſtuti, non eſt Sapientia, ſua calliditas. vbi nequitia, non ſapientia eſt. Ideo rectiſſimè infert Author. *Eſt nequitia, & ipſa execratio.* Id eſt, prudētia in nequitia, eſt nequitia,& nephas, & res execranda. Vt enim prudentia in bono res diuina eſt, ſine qua nulla virtus eſt: ita prudentia in malo (ſi id nomen de ea vſurpari poteſt) res diabolica eſt, cum qua nulla virtus eſſe poteſt.

9 *Eſt inſipiens, qui minuitur ſapientia. Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu, in timore Dei: quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem Altiſſimi. 2. Eſt ſolertia certa, & ipſa iniqua. Et eſt qui emittit verbum certum enarrans veritatem.* Senſus eſt: Sunt multi quos mundus vocat inſipiētes, minus ſapientię & ſenſus (vt mundus dicit) habentes: at verò timent

ment illi Deum. Hi planè præſtant Sapientibus mundi, violantibus legem Altiſſimi. Secundi membri ſenſus eſt: Eſt calliditas, & aſtutia, quę certa conſilia dat, cùm tamen illa ſit nequitia. quia videlicet eſt aſtuta in malo. Rurſum eſt alia bona aſtutia, quæ in bono conſilia certa prębet. Certè quia multi mortalium valent ingenio, quod, ex illis, alij referunt in malũ, alij porrò in bonum.

Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo. Et eſt iuſtus, qui ſe nimiùm ſubmittit à multa humilitate. Et eſt iuſtus, qui inclinat faciem ſuam, & fingit non videre ſe, quod ignoratum eſt: & ſi ab imbecillitate virium vetetur peccare, ſi inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet. 10 Tradit Author varios hominum mores. & mihi verba ſua expendẽti, videtur ille planè hæc in curia ſcripſiſſe. In ea enim ſunt hypocritę, oſtentantes exteriùs humilitatẽ, cùm intus ſint doloſiſſimi. Alij verò ſunt verè humiles. In magna ſiquidem domo, vt ſunt vaſa multa ſordida, ita ſunt quædam pretioſa: ſed ideo rara. Demum ſunt tertij, qui vocãtur planè iuſti, & abſque dubio tales videntur: qui fingunt, ſe non videre occulta, ſeu ignorata, adeò depreſſos gerũt oculos. at malefaciẽt hi, cùm potuerint, adeò alta mente repoſitum odium gerũt. Exemplum ſit tibi Iudas: ſint & Phariſæi, habitu oſtentantes humilitatẽ: odium verò eorum, in procuranda Chriſti paſſione cognoſcis. *1. Tim. 2.* *Matth. 26.* *Matth. 22.*

¶ Lector aduertat, quàm ſit ſancta humilitas: vt quã eius aduerſarij, vt ſancti videantur,

tur, adeò procurant. Aduertat ſecundò, in Curia non niſi ſuperbiam habere locum: procurant enim locum ſublimiorem. at interim humilitas adeò ſplendet, vt etiam ficta in pretio habeatur, & videntium oculos ad ſe rapiat in ſui admirationem.

11 *Ex viſu cognoſcitur vir: & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Arbitror hunc locum eſſe reſponſum ad interrogationem. Dixiſti tam multos eſſe hypocritas, dic, qua ratione dignoſcemus eos. Reſpondet, primùm ex viſu. Sunt enim oculi, vt plurimum, teſtes ingenij fideles. Profert ſe hominis natura per oculos. Cùm enim

Matth. 6. oculus ſit lucerna corporis, nihil mirum, ſi lucerna quale ſit corpus enuntiet. Igitur per oculos, mores hominis attentus agnoſcit. Secundò cognoſcitur homo ex occurſu faciei. Nam vir trux, primo ſuo occurſu, videtur terrorem incutere. Contrà pius vir, videtur ſuo occurſu exhilarare. Tertiò cognoſcitur ex amictu. Nam amans, vt placeat, comit ſe: qui negligit amictum, parum amat. Quartò ex riſu. Nam per riſum multum poteris cognoſcere ſtultum. Quintò ex ingreſſu. Vir enim grauis grauiter incedit, leuis planè leuiter. ¶ Doctus hîc inſurget

Eccli 13. dicens, in cap. 13. ſuprà, videri dici contrarium huius loci. dicitur enim veſtigiũ cordis boni, & faciem bonam, difficilè inuenies. Reſpondetur, nihil ſibi repugnare huiuſmodi loca. quia in hoc capite ſolùm dici-

tur,

tur, quibus modis de viro coniecturam fe-
ceris : at cap.13.ſolùm dicitur quòd rarò in-
uenies ſigna viri boni. adeò ſunt rari illi.
¶Aduerte hæc ſigna minimè eſſe certa : ſed
coniecturas. Memor ſis Socratem ex vultu, *Socrates.*
viſum impudiciſſimum,&malè moratum.
ſed arte vicit ille naturā. Nec Phyſiogno-
mi docent artem perpetuò veram : ſed ve-
riſimilem.

Eſt correptio mendax in ira contumelioſi : & 12
eſt iudicium,quod non probatur eſſe bonum : & eſt
tacens, & ipſe eſt prudens. Pertinet hic textus
ad cap.ſequens.Senſus tamen eſt:Correptio
cum ira, & contumelijs, non eſt correptio
vera : ſed ficta. verè eſt vindicta, Secundò,
qui ſine probatione ſufficienti iudiciū pro-
fert,manifeſtum eſt,nō id probari bonum.
Tertiò eſt alius, qui videns malum, cui re-
medium nequit adhibere, tacet. & hic eſt
prudens. Hæc tria nunc propoſita cap.ſe-
quenti Author proſequitur.

CAPVT XX.

PRIMA PARS.

Proſequitur tria cap. præcedente propoſita.

Q*Vàm bonum eſt arguere,quàm ira-* 1
ſci, & confitentem in oratione non
prohibere! Pulcherrimum pla-
nè,habētibus inferiores, con-
ſilium. Putamus quòd ira, &

contumeliæ emendant noſtros inferiores: at profectò eos faciunt inuerecundiores, & nos irritatiores. & vt cap. præcedente di-
Eccli 19. ctum eſt, irata correptio, mēdax correptio eſt. Quàm igitur melius eſt, arguere ſine ira, & cum ratione? & quàm melius eſt, non prohibere orationem confitentis? id eſt, ſi inferior crimen fatetur, & veniam orat, non eſt prohibendus flagello: ſed parcen-
Galat. 6. dum ex animo. Conſiderans, inquit Paulus, ne & tu tenteris. Nam vera charitas, in-
Gregorius. quit Gregorius, habet compaſſionem, non verò dedignationem. & alibi, Superior caſtigans, putet ſe, caſtigato peiorem.

2 *Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam: ſic qui facit per vim iudicium iniquum.* Proſequitur ſecundum ſuprà propoſitum, dicens: Vt eſt ſceleſtum, ſpadonem conſtuprare virginem, eius cuſtodiæ commiſſam: ita nephas eſt Iudici per vim iudiciū iniquum ferre. ¶ Habes primùm, iuſtitiam virginem eſſe: vt quæ inuiolata omnino debeat eſſe. Secundò, hanc virginem commiſſam eſſe Iudici in cuſtodiam: vt caſtam eam ſeruet, & à nullo violari patiatur. Tertiò, Iudicem erga iuſtitiam debere eſſe, ad ſpadonis modum. cui ſ. leges Dei, & naturæ, negarint Iuſtitiæ violationem. Quartò, Iudicem qui violat iuſtitiam caſtigandum pœna ſtupratoris. Hactenus ſecundum. Regreditur tamen Author ad primum, dicens:

3 *Quàm bonum eſt correptum manifeſtare pœnitentiam! ſic enim effugies voluntarium peccatum.*

Quia

Quia dixerat primo loco, bonum eſſe confitentem in oratione non prohibere, explicat id, docẽs eſſe eximium, correptum propter culpam, quam admiſit, monſtrare veram eius culpę pœnitentiam: ſiquidem per eam admiſſum peccatum deletur, & ipſum effugit, qui admiſit. O pœnitentiæ vires eximias, quæ ſic peccati captiuum, tyrannum dominũ effugere facit. Nullę ſunt tam ferreę compedes, quibus peccatum peccantem teneat, quas pœnitentia non frangat, & ſeruum peccati non manu mittat.

Eſt tacens, qui inuenitur ſapiens: & eſt odibilis, qui procax eſt ad loquendum. Eſt autem tacens, non habẽns ſenſum loquelæ: & eſt tacens, ſciens tempus apti temporis. Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus: laſciuus autem & imprudens non ſeruabit tempus. Qui multis vtitur verbis, lædet animam ſuam: & qui poteſtatem ſibi ſumit iniuſtè, odietur. 4 Proſequitur tertium ſuprà inchoatum. Vt igitur temere loquens, & linguæ fluentis, odioſus eſt: ita qui ſcit tacere, ſapiens iudicatur. Vt eſt odioſus vir loquaculus: ita ſapiens, qui cuſtodiam poſuit ori ſuo, & oſtium circunſtantiæ labijs ſuis. *Pſal. 140.* Iam verò ſunt qui tacent, quia nõ habent quod loquantur: non hi iudicãtur ſapientes: ſed illi, qui ſciũt tacere vſque ad tempus. Nam laſciuæ & petulantis viri linguæ nunquam obſeruat tempus. Demum huius rei clauſula eſt, Qui multis verbis vtitur, lædet animam ſuam: quia in multiloquio nũnquam *Prouer. 10.*

deeſt

deeſt peccatum,quod animã lædat.ô quàm verum eſt illud,Qui non labitur lingua,hic perfectus eſt vir ! & item, Beatus vir, qui nõ eſt lapſus verbo,ex ore ſuo. Poſtremum illud, Qui poteſtatem ſibi ſumit iniuſtè, odietur, generale eſt, & poterit ad multa coaptari : ſed videtur Author recurrere ad ſecundum illud ſuprà poſitum de Iudice violentè iudicante: ac ideo ſibi vſurpante poteſtatem,quam lex illi penitus negat,is planè odietur. Quid enim odibilius, quàm iuſti & æqui conſeruatorem, eiuſdem iniuſtè eſſe violatorem ? & vt per illum Reſpub. pereat, per quem à perditione erat vindicanda ?

Iacob.3. Eccli 14.

SECVNDA PARS.

De fatuis & imprudentibus.

5 *Est proceſſio in malu viro indiſciplinato, & eſt inuentio in detrimentum. Eſt datum quod non eſt vtile : & eſt datum, cuius retributio duplex.* Proceſſio vocatur augmentum in opibus, aut honoribus. vt illud, Ibat Iſaac proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt. Eſt igitur ſenſus: Opum augmentum viro indiſciplinato, non eſt cẽſendum in bonis : ſed in malis. Non enim in bonum eius eſt : ſed in maioris damnationis cumulum. Et ſimiliter inuentio eius, qua tẽporalia inuenit bona, non eſt in profectum eius,ſed in detrimentum. Quò enim ille plus inuenit,& diutius in malo perſeuerat, eò inuentio acriùs eum in inferno

Geneſ.26.

cre-

cremabit. Nam datum illud, ſ. opes, hono-
res, & deliciæ, quas Deus illi dat, non ſunt ei
vtiles: ſiquidem in maiorem illi pœnam
valebunt. Denique ait, Eſt datum, cuius eſt
retributio duplex. id eſt, eſt datum, pro quo
Deus dans duplicem requirit compenſati-
onem. Non dat Deus omnino gratis: imò
quærit à nobis duplicem retributionem.
Quod dupliciter intelligitur. ſ. ex phraſi
Hebræa, vbi duplex ſignificat multum. vt
illud, Suſcepit duplicia pro peccatis ſuis. & *Iſaia 40.*
illud, Fiat in me ſpiritus tuus duplex. Nam 4. Reg. 2.
duplicatum, vt ſomnium Pharaonis inter- *Geneſ. 40.*
pretatus eſt Ioſeph, ſignificat confirmatio-
nem, & augmentũ rei. Aut ſecundò duplex
retributio ſignificat, quòd cùm Deus ho-
minem dono aliquo (certè, ſi egregium eſt)
afficit, duo petit ab eo: & gratiarum acti-
onem, & commiſſi peccati pœnitentiam.
Vtrunque ſi donatarius non præſtet, du-
plici pœna caſtigabitur: & ingratitudinis,
& doni malè collocati. vt Scholaſtici, ma-
ximè Soto, nos docent. Et hæc poſtrema
verba videntur genuinum literæ textum
explicauiſſe.

Eſt propter gloriam minoratio: & eſt qui ab 6
humilitate leuabit caput. Videtur reſpondere
præcedentibus membris, in hunc ſenſum:
Vt impio felicitas, & augmentum eſt in ma-
lum: ita pio minoratio, & decrementum
permittitur à Deo propter pij gloriam. Et
vt impio inuentio eſt detrimentum: ita pio
humiliatio eſt, vt leuet caput. Viſum eſt id

Iob vlt. in Iob, cui minoratio, & humilitas fuit in duplicatos honores. ſed viſum eſt maximè in Chriſto: qui propterea quòd de torrente in via bibit, exaltauit caput. Ad idem pertinet quod ſequitur. *Eſt qui multa redimat modico pretio, & reſtituens ea in ſeptuplum.* Id eſt, impius multa vili emit, adeò ei omnia feliciter ſuccedunt: ſed tandem ſoluit ea in ſeptuplum. quia aut fide iubet: ac ideo bonis ſuis expoliatur. aut quia aliquid infeliciſſimè ſuccedit, vbi felicitatem priſtinam euomat. aut, vt nihil mali in hac vita contingat, continget in futura. Summa huius & præcedētis annotationis eſt, doctrina Abrahæ cum diuite in limbo loquentis: Memento quòd receperis bona in vita tua, Lazarus ſimiliter mala: nunc contrà, tu torqueris, hic verò in refrigerio eſt. Hæc Author de hominis iniqui proſperitate, & felicitate. Conſequenter de gratijs eius: de fœneratione: de rebus: de parabolis.

Pſal.109.

Luc.16.

7 *Sapiens, in verbis ſeipſum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur.* Id eſt, grauitas, & ſplendor verborum ſapientis efficiunt in auditoribus amorem, & reuerentiam erga dicentem: at licet lepidè & facetè iniqui loquantur, perinde eſt, ac ſi frigidam effundant. Id eſt videre in Concionatoribus ſanctis, qui concionibus ſuis amorem populi, & venerationem extorquent: cùm tamen, qui iniqui eſſe ſciuntur, nihil aliud efficiunt, quàm verba profundere. Hæc de verbis iniqui.

Datus inſipientis non erit vtilis tibi: oculi enim 8
eius ſeptemplices ſunt. Exigua dabit, & multa improperabit: & apertio oris illius inflammatio eſt. Dixit de proſperitate fatui, deq; eius verbis: nunc de donis quæ dat. ait igitur: Donum inſipientis non eſt vtile recipienti. Quia oculi fatui, pro vno quod dant, ſeptem repoſcunt. vnicum & exiguum dat fatuus, & nunquam non eius dati comminiſcitur. & cùm aperit os, quo tibi exprobrat beneficium, perinde ac flammâ cor tuum aduret. Quis enim non vratur, & vulneretur, audiens tam frequentem pro miſero dono exprobrationem? Litera Grȩca habet, apertio oris eius, vt prȩco. id eſt, vt prȩco nũquam non clamat, quæ vendit, & iterum ac iterum pretia rerum inculcat: ita inſipiens nunquam non inculcat pretiũ doni, quod tibi dedit. ſed ſenſus eodem redit. eo enim prȩconio inſipientis, cor tuum vritur, & frigitur.

Hodie fœneratur quis, & cras expetit: & odi- 9
bilis eſt homo huiuſmodi. De fatuo hodie dante pecuniam ſuam ad vſuram, & ſtatim repetente, & extorquente ſermo eſt.

Fatuo non erit amicus: & non erit gratia bo- 10
nis illius. Qui enim edunt panem illius, falſæ linguæ ſunt. Quoties, & quanti irridebunt eum? Neque enim quod habendum erat, directo ſenſu diſtribuit: ſimiliter & quod non erat habendum. Lapſus falſæ linguæ, quaſi qui in pauimento cadens: ſic caſus malorum feſtinanter venient. Dixit de fœnore fatuo-

ſatuorum: nunc de eius amicis, familiaribus, & neceſſarijs. Ait igitur, fatuo nullũ eſſe amicum. Et licet ille bona ſua det, vt amicum comparet: non comparat tamen. quis enim fatuitati velit amicus eſſe? Tum fatui familiares, falſæ linguæ ſunt, coràm arridentes & laudantes dominum ſuum: foris verò efferentes eius vituperia, & fatuitatem accuſantes. O quoties, & quot herum fatuum irrident! cur ita? quia vident eum fatuè ſeruanda diſtribuere: non ſeruanda verò, nec retinenda retinere. vt ſi videant triticum, & vinum in annum ſeruanda, ſtatim abſumi: fructus verò abſumendos ſeruari. Addit acutum exemplũ falſæ linguæ. Id tale eſt: Si vides hominem in pauimento plano (vbi non erat offendiculum) cadere, an non miraberis? ita mirere, quòd miniſter meus labatur linguâ ſua, me accuſans, cùm ego eum bene paſcam, & meis bonis afficiam. Dic ſerue nequam, quæ te ratio, quod offendiculum in bono inueniſti, cuius cauſa me accuſaſti? Nónne me vituperans, cadis in plano? Nam bona quæ tibi confero, non merentur eam accuſationem: ſed potiùs, aut admonitionem, aut certè ſilentium. Poſtremò dicit Author, Sic caſus malorum, &c. & ſenſus videtur: Hac ratione, id eſt, his familiarium fictis laudibus, miſeri inſipientes deliniti feſtinatò cadunt, in inopiam ſ. & miſeriam. Poteſt etiam referri illud, ſic, ad imprudentem diſtributionem. Nam ſi ſeruos non ſeruanda, non

verò

verò ſeruanda ſerues, facilè, & citò pauper eris. Hæc de amicis, & familiaribus fatui.

11 *Homo acharis, quaſi fabula vana: & in ore indiſciplinatorum aſsidua erit. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit eam in tempore ſuo.* Euſebius Papa legit, pro achari, ingratum. *Euſebius Pp.* Et ex Græcis hæc litera ſic ordinanda eſt: Homo fit acharis, ingratus, & illepidus ex fabula vana & intempeſtiua, quam ſ. extra tempus dicit. Sed literæ noſtræ (vt credo) ſenſus eſt: Solent vulgares, fabellas quaſquam narrare. quarum aliquæ carent vtilitate, & gratia. ſunt enim ineptiſſimæ. Ait nunc Author, cùm homo malè gratioſus (quales multi ſunt) aliquid enarrat, perinde illi ſua enarratio cadit, ac ſi fabella ineptiſſima à vulgari vetula narraretur. & tales, inquit, fabulæ aſſiduæ ſunt in ore fatuorum. His enim fatuitatibus ſolent illi delectari: vt ſimiles habeant labra lactucas. Secundum membrum ita accipe: Erat tempore antiquo frequens vſus parabolarum: *Prouer. 1. & c.* nam Salomon, Author, & Chriſtus parabolis vſi ſunt. *Matth. 13.* ait igitur Author, reprobabitur parabola fatui. aut enim fatua eſt: aut ſi non eſt fatua, talis efficitur, vtpote extra ſuum tempus effuſa.

TERTIA PARS.

Varia tradit.

EST *qui vetatur peccare præ inopia, & in requie ſua ſtimulabitur. 2. Eſt qui perdet animam ſu-* 12

Z am præ

am præ confuſione, & ab imprudenti perſona perdet eam: perſona autẽ acceptione perdet ſe. 3. Eſt qui præ confuſione promittit amico, & lucratus eſt eum inimicum gratis. Prima pars apertior eſt. Sunt, ait, quidam, qui nõ peccant, quia non poſſunt: & in ea non peccandi requie, & ceſſatione diſcruciantur à voluntate peccandi. vt Phariſæi, cùm Chriſtum damnare nequibant. Secunda pars poteſt ſic explicari: Sunt qui rogati, vt crimen admittant, præ verecundia admittunt: ac ideo ſuam animam amittunt. amittũt verò, quia perſonę imprudentes ſunt: vel quia ab imprudentibus rogantur. ſed demum propter acceptionem perſonæ perdunt ſe. vt Pilatus qui, ne diſpliceret Iudęis, perſonam eorum accipiens Chriſtum damnauit; & ſe in infernum coniecit. Tertia demum pars clara eſt. Nam ſunt multi, qui promittunt amico, nihil illi præ verecundia negantes: ſed poſtea cùm promiſſa non præſtent, pro amico inimicum reddunt. quia fortaſſe amicus, propter fruſtratam fidem, graue aliquod damnum incurrit. Melius igitur erit non promittere, quàm non præſtare promiſſum.

Iohan. 11. *Matth. 27.*

13 *Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indiſciplinatorum aſſiduè erit. Potior fur, quàm aſſiduitas viri mendacis. perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium ſine honore: & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione.* Id eſt, Grande probrum eſt menda-

dacium in homine. Licet homines,ſine Dei diſciplina aſſiduè mentiantur. Tolerabilior eſt fur,quàm aſſiduè mentiens.Licet ambo mortaliter peccent. Iam mendax alios mores habet,honeſto homine indignos. & demum aſſiduè mentiens, aſſiduè dedecus ſuum ſecum portat.quid enim probroſius, quàm,mendacem haberi? ¶ Quòd mendacium peccatum ſit, arguitur, & probatur, quia Deus eſt verax,& veritas.Diabolus pater mendacij. *Iohan.8.* Rurſum, quia cùm homo ſit animal ſociale, ſocietatem maximè mendacium dirimit. ¶ Quòd graue probrum ſit, inde euincitur: quia vt veraci omnia, ita mendaci nihil fidere poſſis. & à veraci omnia ferè ſunt tibi tuta: à mendaci nihil eſt tutum. non opes,non honor,non aliud quicquam. ¶ Et equidem ego faciliùs feram famulum qui ſemel furatur,quàm qui ſemper mentitur.Et hic eſt ſenſus genuinus huius loci. ¶ Quòd perditionem aſſiduè mentiens ſibi in inferno conciliet, intellige, non quòd ex vno, aut altero mendacio damnetur. nec enim de hoc eſt ſermo,(licet ſi mendacium noxium ſit, mortale etiam ſit) at de aſſiduitate mendacij mentio eſt, quæ perditionis eſt cauſa. quia nō feret veritas,quæ eſt Deus, habitare in anima, quæ diaboli mores perpetuò imitatur. Exemplum ſit vir multū iurans, *Eccli 23.* qui licet ex vno, aut altero iuramento, non repleatur iniquitate, repletur tamen ex frequenti iuratione: vnde ſibi perditionem acquirit.

¶ Habetur ergo hoc loco textus probans, aſſiduè mentientem iturũ in perditionem. Quia permittit Deus propter frequẽs mendacium, eum in crimen inferno dignum incidere. Rectè porrò ſubdit, quòd *Sapiens in verbis producet ſe ipſum.* quia ſ. cauet magnopere à mendacio.

14 *Homo prudens placebit magnatis. Qui operatur terram ſuam, inaltabit acerbum frugum: & qui operatur iuſtitiam, ipſe exaltabitur: qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatẽ.* Planè magnates, & Principes viri magnopere egent familiarium prudentia. Igitur Principi, ſi ſapit, magnopere placebunt prudentes. Et ſicut agricola, qui diligentia ſua operatur terram ſuam, altum, & magnum efficit acervum frugum: ita qui operatur iuſtitiam, altum, & excelſum comparabit honorem. ſ. apud magnates & Principes. Nec enim Deus patitur virum egregiè iuſtũ, ſub modio latére. Verbum vltimum eſt conſilium: Si propter eximiam aut prudentiam, aut iuſtitiam Principi placuiſti, fuge omnem iniquitatem: ne loco, in quem aſcendiſti, decidas.

Luc. 11.

15 *Xenia & dona excæcāt oculos iudicum, & quaſi mutus in ore, auertit correptiones eorum.* Græci, pro mutus in ore, habent frenum adiectum ori iudicis. Ergo iudices xenia accipientes ſunt equus, & mulus, quorum maxillas dona, velut chamo, & freno conſtringunt. Latinam verſionem ita intellige: Dona

Pſal. 31.

ña exæcant Iudices, &, ac ſi eſſent muti ore, auertunt correptiones eorum. ô miſera dona, quæ cæcos, & mutos faciunt! Audite miraculum, Chriſtus venit aperire oculos cæcorum, & linguas mutorum diſertas facere: at dona cæcant oculos apertos, mutas faciunt linguas diſertas, ac proinde ſurdas faciunt patentes aures. Multa de his donis habent literæ ſanctæ: ſed plùs de hac re videmus in experientia, quàm legamus in Biblijs. Lege Exod.23. Deut.16. *Iſaiæ 35.* *Exod.23.* *Deut.16.*

16 *Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Melior eſt q̃ui celat inſipientiam ſuã, quàm homo qui abſcondit ſapientiã ſuam.* Dominus noſter dicit, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. non vt ſub perpetuo ſilentio contegantur. & item, Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. & item damnatur ſeruus, qui in ſudario talentum abſcondit, nec ipſum ad vſuram dedit. ¶ Tu interim docte intellige, malum eſſe abſcondere Sapientiam, quando Deus, aut ſuperior iubent eam in lucem proferre: aut quando neceſſe eſt eam manifeſtare. Alioqui conſultiſſimè ſanctiſſimi illi eremitæ, Dei Sapientia pleni, in abditiſſimas ſolitudines ſe conijciebant. Et planè ſi Sapientia mea vtilis futura eſt Chriſtianæ Reipublicæ, curam Deus habet eam proferendi. Hoc demum non eſt ſilentio prætereundum, Hæc verba, vt arbi- *Matth.5.* *Luc.11.* *Luc.19.*

tror, prooemium eſſe dicendorum. Quaſi vellet Author dicere: Sapientiam meã vobis ſcribo, in ſequentibus capitibus. quorſum enim abſcondam? Cùm Sapientia abſconſa inutilis ſit.

CAPVT XXI.

PRIMA PARS.

De vitando peccato.

1 *FILI peccaſti? non adijcias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quaſi à facie colubri fuge peccata: & ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas.* Si peccauimus, vtpote qui fragiles ſumus, in peccato concepti, & ad peccatum
Pſal.50. Geneſ.8. ab adoleſcentia proni; non adijciamus peccata peccatis. Sat ſit, Deum tam pium dominum, ſemel offendiſſe: ſat ſit, præteritum tempus ad voluntatem gentium conſummandam. non ergo iterum adijcias: ne ſis
2.Pet.2. canis reuerſus ad vomitum, & ſus lota ad volutabrum. Imò contrà pro peccatis præteritis deprecare, vt dimittantur, nõ quantum ad culpam ſolùm, ſed etiam quantum ad pœnam; maximè quantum ad eam, quã Dominus, propter culpam priorẽ, permittit cadere in poſteriorẽ. Ideo enim dictum eſt, De propitiato peccato, noli eſſe ſine metu, de

tu. de quo dixi ſuprà. annot. 4. c. 5. ¶ Inte- Eccli 5.
rim tu expende, peccatum ab Authore vocari ſerpentem, leonem, romphæã bis acutam: & cuius plagæ non fit curatio. Serpens eſt, qui noſtros deiecit parentes: quiq; virus Geneſ. 3.
tam efficaciſſimũ habuit, vt ipſum in omne genus humanum transfunderet: quiq; ex tanta nos felicitate, in tantam miſeriã conjecit. ¶ Leo ille eſt, qui circuit, quærens 1. Pet. 5.
quem deuoret. à quo qui eruitur, ita eruitur, vt cùm paſtor eruit ouis duo crura, aut Amos 3.
extremam auriculam. ¶ Eſt romphæa bis acuta. de qua dicitur, Gladius eorũ intret in Pſal. 36.
corda ipſorum. quæ corda & corpus ita diuidit in malum, vt ſermo diuinus (qui Pau- Heb. 4.
lo dicitur gladius acutus) diuidit in bonũ. ¶ Eius curatio eſt deſperata. quia peccati vulnus viribus naturæ eſt inſanabile: non ſanguine hircorum, ſed agni immaculati Heb. 8.
pretioſo ſanguine ſanari potuit. Ergo ne acceſſeris ad peccata. alioqui ſi acceſſeris, illa prendent te, vt baſiliſcus, vt leo rugiens, vt gladius.

SECVNDA PARS.

Miſcellanea eſt.

Obiurgatio & iniuria annullabunt ſubſtantiam: & domus quæ nimis locuples eſt, annullabitur ſuperbiâ: ſic ſubſtantia ſuperbi eradicabitur. Deprecatio pauperis ex ore vſque ad aures eius perueniet, & iudicium feſtinatò adueniet illi. Id eſt, Superba & auſtera dominorum increpatio, & iniuriç, quibus ſuos, & alios afficiunt, eo- 2

rum opes annullabunt, etiam ſi domus fuerit nimis locuples, vermis ſuperbiæ eam atteret. hoc enim modo domus ſuperborũ eradicantur. Dictu enim mirum eſt, quàm odiat Deus ſuperbiã. Nam diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede. Ergo, credunt domini ſe poſſe nimis ſuperbè concutere, & iniurijs afficere ſuos. At hęc cauſa eſt, quare eorum domus eradicantur. Iam verò deprecatio pauperis obiurgati, & iniuriâ affecti, ex eius ore prolata, ſtatim Dei aures pulſat: nec Deus differt obiurgantem caſtigare. Nam dictum eſt, Tibi derelictus eſt pauper. & item, Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. quod ſignificantius eſt, quàm quod noſter Author dixit. Non enim Deus expectat quòd pauper læſus loquatur, vt audiatur: ſed deſiderium eius auditur. Porrò deprecatio pauperis eſt, qua Deo relinquit vindictam: vt Ieremias, qui Domino cauſam ſuam reuelabat.

Luc. 1. *Pſal. 9.* *Eodem.* *Iere. 11. & 20.*

3 *Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris; & qui timet Deum, conuertetur ad cor ſuum.* Veſtigiũ & argumentũ eſt abſoluti, & conſummati peccatoris, odiſſe correptionem. Nam qui timet Deum, vt corripitur, ad cor ſuum redit, vt ſe emẽdet. Ergo ſunt gradus in hac re. Eſt amare correptionem, eſt pati, eſt odiſſe. Primum eſt ſignum prædeſtinationis: vt vltimnm reprobationis. ¶ Nota phraſin Hebræam, Conuerti ad cor, eſt pium eſſe. vt enim peccando, relicto Deo, qui habi-

tabat in corde, egreditur peccator è corde ad temporalia: ita in iuſtitia viuẽdo, è temporalibus regredimur ad cor, vbi habitat Deus: vt ſimus homines interiores, iuxta Paulum. & vt omnis decor noſter ſit ab intus, iuxta Dauidem. 2.Cor.5. Pſal.44.

4 *Notus à longè potens lingua audaci: & ſenſatus ſcit labi ſe ab ipſo.* Qui linguam audacem habet, ſit tibi non propè, ſed à longè notus: & ſi tibi appropiauerit, ſi ſenſatus es, elabere ab illo. Cùm enim ille linguam ardentem habeat, aduret te, niſi elabaris. Et cùm linguam venenatam afferat, effundet in te virus ſuum. Cùm linguam peſte infectam adducat, peſtis contagio te inficiet. Tu ergo cordatè effugies illum, non eum offendendo: ne in te virus euomat: ſed cauſas afferendo idoneas, cur ab eo maturè diſcedas.

5 *Qui ædificat domum ſuam impendijs alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hieme.* Tempore hiemali non ſunt lapides colligendi, ſed ligna contra frigus. Si igitur in hieme colligas lapides, ſtultus eris: qui non ligna quibus caleſcas, ſed lapides ſine vtilitate collegiſti. ita ſi ære alieno domum ædificas, in qua habites, ſtultus eris: non enim in ea habitabis, ſed potiùs à creditoribus inde expelleris. ¶ Ergo cùm, Domino dicẽte, temporalia, noſtra planè non ſint, ſed aliena: (Si in alieno, inquit Dominus, fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis?) qui ex temporalibus domum ſuæ conuerſationis ædificat in terris, planè ſtultus eſt. Cùm Luc.16. 2.Cor.5.

enim habitare hîc voluerit, inde pelletur.

6 *Stuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio eorum flamma ignis.* Id eſt, quanuis peccantes ſint multi, & validiſſimi, at potentiæ Dei; ſunt velut ſtuppa, quæ accenſa, euaneſcit in flãmam ignis. Dictum mihi de

Eccli 16. hoc eſt ſuprà c.16.annot.5.& ſequentibus. Id

Iſaiæ 24. ſolum notandum, quòd (vt Iſaias docet) in inferno impij colliguntur, & vinciuntur in faſcem. Hoc loco dicuntur ſtuppa collecta,& vincta: vt non credamus miſeros damnatos liberos vagari: ſed potius vinctos iacére,& velut ſtuppa comburi. ¶ Tum illud aduerte,non hoc loco dici,quòd miſeri conſummabũtur,& finientur: ſed quòd eorum cõſummatio erit perpetua ignis flamma, quę continenter ex eorum corporibus velut titionibus ſurſum aſcendet. Verũ er-

Matth.13. go illud: Angeli colligẽt,vel colligabũt impios,& mittẽt eos in caminũ ignis ardentis.

7 *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi,& tenebræ, & pœnæ.* Eſt via peccati per ordinem ſtrata, & plana, ne ſit vbi offendas: ſed in fine adeſt infernus. Idem

Matth.7. Chriſtus, Spatioſa eſt via, quæ ducit ad per-

Pythagoras. ditionem. Idem Pythagoras in ſuo Y docebat. In fine ſunt inferi, locus ſ. in centro mundi,quàm longè à Dei aula diſſitus, tam longè ab omni bono remotus, & omni malo repletus. Ibi ſunt tenebræ, videlicet vbi non eſt Sol aut luna: ſed quantum ignis,damnatos comburentis, lux maligna eorum oculos (vt pœnas videant) illuminat. Ibi

ſunt

ſunt pœnæ, quas mortaliũ nullus oratione
conſequi queat. Certè ſunt ignis,& ſulphur, *Pſal.10.*
& ſpiritus procellarum pars calicis eorum.
Qui custodit iuſtitiam, continebit ſenſum eius. 8
Conſummatio timoris Dei, ſapientia & ſenſus. Non
*erudietur, qui non eſt ſapiens in bono. Eſt autem
inſipientia, quæ abundat in malo: & non eſt ſenſus,
vbi eſt amaritudo.* Senſus iuſtitiæ, eſt quædam *Senſus.*
lux intellectualis, à Deo homini pio infuſa,
qua acutè, intimè, affectuoſè,& amãter Di-
uinam legem intelligit, Deiq; iuſtitiam pe-
netrat,& amat. Ait ergo Author, qui cuſto-
dit iuſtitiam, aſſequetur illum ſenſum eius,
quo viri docti, non pij, deſtituuntur. Vnde
egregiè infert; Perfectus & cõſummatus ti-
mor Dei ſocios habet Sapientiã, id eſt, diui-
nam in affectu dilectionẽ: & ſenſum, id eſt,
Diuinã in intellectu lucem. Hanc lucẽ, hunc
ſenſum, hãc Spiritus ſancti doctrinam, non
accipiet, qui non eſt ſapiẽs in bono. Beatus *Pſal.93.*
enim ille eſt, quem tu erudieris Domine. Is
non eſt ſapiẽs in malo: ſed ſapiens in bono.
Quod addit, Eſt autem inſipiẽtia, Græcis eſt
panurgia, id eſt, aſtutia,& calliditas, quam
interpres nominauit inſipientiam. Quia er-
go Author dixerat, non erudiri luce illa cæ-
leſti, niſi eum qui in bono ſapiẽs fuerit, ideo
ſubintulit, Eſt calliditas ſeu aſtutia, nõ verò
ſapiẽtia, ea quę abundat in malo. de qua ſu-
prà.c.19. Demum addit, nõ luce cæleſti, ſen- *Eccli 19.*
ſuq; diuino eos donari, in quibus eſt amari-
tudo cõtra proximos, quem zelũ amarum *Iacob.3.*
Iacobus dixit, Paulus, radicẽ amaritudinis. *Heb.12.*
Scien-

9 *Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet. Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem Sapientiam non tenebit.* Diuidit duplici diſcrimine Sapientem à ſtulto. id eſt, qui ſpiritu Dei præditus eſt, ab eo qui illo ſpiritu caret. Prius eſt, quòd Sapiens in ſua ſcientia nõ deficit, non decreſcit: imò ſicut inundatio, quæ ſenſim augetur, ita & illa creſcit. Cùm enim non ſit charitati præfixus terminus in via, ſed ſenſim illa creſcit: ita & creſcit ſcientia, quæ eam comitatur. Iam ſicut fons aquæ viuæ nunquam deſiſtit: ita & viri ſancti conſilium, quo decreuit Deo ſeruire, perſeuerat. At fatuus vas fractum eſt. vna aure percipit Sapiẽtiam, quàm Deus illi inſpirat, vel homo docet, & altera, quod percepit, effundit. ¶ Notabis, quomodo vir ſanctus quotidie, ad modum inundationis creſcat. Nec enim charitas ocioſa eſt. ¶ Notabis item, quòd conſilium, quo ſtatuimus cuſtodire iudicia iuſtitiæ Dei, fons eſt vitæ, ſ. vnde noſtra vita procedit: eo enim extincto, actum eſt de vita animæ.

10 *Verbum ſapiens quodcunque audierit, ſcius laudabit, & ad ſe adijciet. Audiuit luxurioſus, & diſplicebit illi: & proijciet illud poſt tergum ſuum.* Alterum diſcrimen Sapientis à ſtulto eſt, quòd ſcius, id eſt, Sapiẽs ſi audierit verbum ſapiens, laudabit illud, & ſibi aſſeruabit, velut theſauro ſuo adijciens. audiet luxurioſus, intemperatè ſ. viuens, & contẽnit illud.

Planè

Planè quia, vt ille pretiū margaritæ cognouit, ita ſeruauit: hic verò, vt qui ſpiritualis non ſit, ſed carnalis, ſpiritualia, vt ſtulta 1. Cor. 2.
contemnit.

TERTIA PARS.

De fatuis.

Narratio fatui, quaſi ſarcina in via. Nam in labijs ſenſati inuenietur gratia. Quia de fatuis 11
dicendi occaſio ſeſe Authori dedit, id argumentum multis proſequitur. Primùm agit de fatui ſermone. qui viris ſapientibus moleſtus eſt: vt eſt moleſta quæuis ſarcina in via. Contrà ſermo viri ſenſati eſt gratioſus; vt qui iuxta Paulum, eſt ſale conditus. Nunquam non tractat ſermo fatuorum de rebus ſordidis, aut, vt minimum, de temporalibus: quem audire moleſtum eſt viris ſpiritualibus. at ſermo Sanctorum, vt plurimum eſt de Deo: de quo audire nunquam eſt pio moleſtum. Coloſſ. 4.

Os prudentis quæritur in eccleſia, & verba illius cogitabunt in cordibus ſuis. Tanquam domus exterminata, ſic fatuo ſapientia: & ſcientia inſenſati inenarrabilia verba. Manifeſtum eſt, Concionatorem prudentem quærendum eſſe in Eccleſia. Ideo enim & Concilia iubent Theologo Canonicatum adſcribi. Iubent etiam, vt Canoniſtæ Canonicatus aſſignetur, vt eius prudentiâ negocia Eccleſiæ rectè ordinentur. Tales verò Concionatores eſſe debent, vt eorum verba ſint velut claui, & ſtimuli infixi in cordibus audientium. quæ ſ. 12 Concil. Trid.

continuò ruminent, & cogitent. At Sapientia fatui eſt, velut domus quæ decidit. quæ iam ſ. nulli vſui commoda eſt, quę tegere ad ſe confugientes non poteſt. Ita oratio hominis ſine ſpiritu audientes minimè tegit. Et item ſciētia eius ſunt ænigmata quædam inenarrabilia. Erat enim tunc, & eſt etiam nunc mos ſtultis quibuſdam familiaris, oſtendere ſe ſapiētem in quibuſdā ænigmatibus inintelligibilibus. quale illud Homeri: Quæ inuenimus, reliquimus: quæ non inuenimus, adducimus. Et illud Samſonis, (niſi maiora ſignificaſſet) De comedēte exiuit cibus. Talia igitur ænigmata ſunt inſenſatorum ſcientia.

Homerus. *Iudic.14.*

13 *Compedes in pedibus, ſtulto doctrina, & quaſi vincula manuum ſuper manum dextram.* Suprà dictum eſt, quòd Sapientia ſit ſtulto grauis lapis: nunc, quòd ſit compedes pedibus, & manicæ manibus. Videlicet, quia cùm ſtultus velit eſſe liber, doctrina, quæ eius libertatem ligat, compes eſt & manica. Et reuera lex Dei vincula ſunt, quibus affectus noſtri (quæ Apoſtolo membra vocantur) vinciuntur. Sed hæc vincula ſtulto ſunt compedes: pio ſunt ornamenta aurea, & argentea, vt ſtatim docebimur.

Pſal.2. *Coloſſ.3.*

14 *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.* Id eſt, Vir ſine ſpiritu Dei in omnibus caret modo, ac ita ſine cauſa, aut leuicula cauſa, ſoluit ſe in cachinnos. Sapiens verò habet in omnibus modū, quem in riſu etiam ſeruat. Nam Sapientia,

quam

quam habet in corde, ita eum modeſtum
& grauem fecit, vt nō facilè, & leuiter à ſua
cōpoſitione diſcedat: imò & ita eum illumi-
nauit, vt multas ei flēdi in hoc mūdo cauſas
oſtenderit, raras ridēdi. Ideo Chriſtus nun-
quā riſiſſe, aut certè ſemel, cùm exultauit in *Matth.11*
Spiritu ſancto: ter tamē fleuiſſe memoratur.

Ornamentum aureū prudenti doctrina, & quaſi 15
brachiale in brachio dextro. Reſpondet anno-
tationi decimætertiæ hæc decimaquinta:
Lex Dei ſtulto eſt compes, & manica ferrea.
Prudenti eſt ornamentum aureum, & pedi-
bus, & manibus. Nam apud Iſaiam anima
ſancta (quæ hîc vocatur prudens, vt & à *Matth.25.*
Chriſto vocatur) dicitur ſpōſa ornata mo- *Iſaia 61.*
nilibus ſuis. Hæc monilia, torques, & ar-
millæ, ſunt legis Dei obſeruationes. Lege
Ezechielē, vbi inuenies armillas, torques, *Ezech.16.*
inaures, circulos, quos Deus ſuæ ſponſæ, id
eſt, animæ ſanctæ dedit, & dare conſueuit.
¶ Notabis, ſolùm fieri mentionem brachi-
alis dextri, quia in anima ſancta nihil eſt ſi-
niſtrum. Sanè quia, vt impij ſunt ad ſini- *Matth.25.*
ſtram: ita pij ad dexteram.

Pes fatui facilis in domum proximi: & homo 16
peritus confundetur à perſona potētis. Stultus à fe-
neſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris
ſtabit. Stultitia hominis auſcultare per oſtium: &
prudens grauabitur contumelia Id eſt, Nihil ve-
retur fatuus in quamuis domum intrare, &
quemuis adire: at prudens grauatè intrat in
domū potentis. erubeſcit enim faciem eius.

Ergo

Ergo ſi nihil cunctaris quemuis adire, ſtultus es: prudens, ſi cunctaris, & dubitas, expendens, quâ ratione allocuturus es dominum domus. Tum ſtultus irrumpit facilè in domum, & per feneſtram intuetur quid fiat intus: at prudens foris pulſat, & niſi admiſſus non intrat. Demum, auſcultare per oſtij rimas, quid fiat in domo, ſtultitia eſt. Prudens id non faciet, quia ſi in eum iaciatur contumelia, ab his qui intus ſunt, grauatè eam audiet. quod nihil ſtultus timet. Aut certè grauabitur ea auſcultatione, quá vt contumeliam reputat ille.

17 *Labia imprudentum ſtulta narrabunt: verba autem prudentium ſtatera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: & in corde ſapientum os illorum.* Ita planè, prudentes antequam loquantur, ponderant in trutina verba ſua: ſi ſunt alicui noxia, ſi carent neceſſitate, aut

Matth.12. vtilitate. Siquidem de omni verbo ocioſo reddetur ratio. Tum, tam parum cor ſtulti ab eius lingua diſtare videtur, vt ſtatim lingua hauriat, quod cor gerit. At Sapiens trahit linguam ad cor, vbi moderatur, quæ dicturus eſt. Planè ſtultus homo exterior eſt: ideo cor habet exteriùs in lingua. at pru-

2.Cor.5. dens interior homo eſt: linguam igitur reuocat ad cor.

18 *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.* Simpliciſſimus ſenſus erat, ſi diabolum ſumeres pro aduerſario. vt ſit ſenſus: Si maledicis aduerſario, maledixiſti

tibi:

tibi: quia eum prouocas, vt ſtatim maledictum in te regerat. At ſi diabolum propriè ſumas, ita explicatur: Diabolus ex ſe malus non erat: malitia eum malum, & diabolum fecit. ac ideo quia malus eſt, malè ei dicimus. Cùm igitur tu etiam malus ſis, malè de malo dicens, malè de te dicis. imò ſi malè imprecaris illi, quia malus: imprecaris & tibi, vtpote malo. vt enim qui iurat in altari, iurat per Deum qui eſt in altari: ita qui malè precatur diabolo, malè precatur malitiæ, quæ eſt in eo. & cùm ea malitia ſit in te, malè etiam precaris tibi. *Matth. 5.*

19 *Suſurro coinquinabit animam ſuam, & in omnibus odietur: & qui permanſerit, odioſus erit. Tacitus & ſenſatus honorabitur.* Vt maledicens diabolo, maledicit ſibi: ita ſuſurro detrahens honori aliorum, & culpans alios, cùm eadem frequenter in eo culpa inueniatur, planè ſui ſuſurro eſt: ſe accuſat, & de ſe maledicit. Tum grandem ſibi maculam irrogat. quod enim vilius probrum, quàm ſuſurro vocari? Is etiam odioſus omnibus eſt. & qui cum eo perſeuerat, ei ſ. familiaris, ſimiliter odioſus erit. Contrà, quàm honorandus erit, qui tacet, nec vitia aliorum, vt ſenſatus, traducit?

CAPVT XXII.

Varia tradit.

1 IN *lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius. De ſtercore boum lapidatus eſt piger: & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus ſuas.* Litera Græca diuerſa eſt, aperit tamen Latinæ intelligẽtiam. Nam, pro lapidatus, legit comparatus. vt ſit ſenſus: Piger comparatur lapidi ex luto conſpurcato, & ſordenti. Comparatur ſimiliter ſtercori boum. Vt enim qui lapidem ita ſordidũ, aut ſtercus boum inopinatè tangit, ſtatim vtrũque è manibus excutit: ita qui miniſtrum habet pigritantem, excutit & repellit à ſe. Ita enim miniſtros pigros fugimus, vt ſtercus, vt lutatos lapides. Ex hac Græcæ literæ explicatione habemus ſenſum Latinæ, qui eſt hic: Talis eſt piger, ac ſi eũ lapidaſſemus lapidibus luto ſordẽtibus, aut ſtercoribus boũ. ita enim ſordet ille, in oculis hominum, ac ſi rebus ſordidis conſpurcatus eſſet. ac ideo omnes loquentur ſuper eius aſpernatione, dicẽtes, quàm ſit ille ſpernendus: imò & excutiendus, & repellendus. ¶ Si piger contemnitur à dominis temporalibus, ſi ab eis excutitur, & repellitur, quàm ſpernetur, & repelletur à Deo? Nam quia tepidus es, incipiã te euomere ex ore meo. & quia opus Dei facis deſidioſè, maledictus eris. O quantũ eſt à Deo maledici, & repelli? ſ. in ignem æternum.

Apoc. 3. *Ierem. 48.* *Matth. 25.*

Conſu-

Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato: filia autem fatua in deminoratione fiet. Filia prudens, hæreditas viro ſuo. nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. Illud, in deminoratiõe fiet, poterat forſan habere hunc ſenſum, quòd minor confuſio, & ignominia ſit filia fatua, quàm filius. Natiuum, & ferè commune id vitiũ fœminis eſt: ac ideo minoris eſt ignominię. Alter ſenſus eſt: Filia fatua eſt in deminorationem vitæ patris, honoris, quietis, & opum paternarum. Omnia enim abſumit eius fatuitas. Secunda pars, viros admonet, vt vxores ducturi, prudentes quærant. nam quæ prudẽtes ſunt, lucroſæ ſunt: & perinde eſt eas habere, ac hęreditatem habere. Vide quæ de muliere forti Salomõ dicat, quæ facta eſt velut nauis inſtitoris. &c. Porrò illud vltimum apertum eſt. Mulier enim quæ probroſa facit, quæ ſ. vita turpi eſt, genitoris, & generis ignominia eſt. ¶ Ita planè ſancta anima multa Deo lucratur: at miſeræ animæ noſtræ contumelia ſunt creatoris. Num verò impunè? 2

Prouer. 31.

Patrem & virum confundit audax, & ab impijs non minorabitur: ab vtriſq; autem inhonorabitur. id eſt, Fœmina audax, quæ cancellis verecundiæ non continetur, ignominiâ afficit patrem, & virũ ſuum. Nec impijs viris inferior eſt: ac ideo à patre & marito eſt exhonorãda, vt ſaltẽ eo dedecore coerceatur. ¶ Nota, audacem fœminam non eſſe minorem ſceleratis viris. Nullũ enim non ſcelus 3

audax audebit. Cùm enim natura pudorem ei velut frꝛnum iniecerit, hoc frꝛno reiecto, quoduis nephas ab ea expectato.

4 *Muſica in luctu importuna narratio: flagella & doctrina in omni tempore ſapientia.* Id eſt, Licet ſit importuna narratio, muſica tempore luctus: at ſapientia eſt, quòd ſint in omni tempore doctrina, & flagella. O miſeram carnem noſtram, quę omni tempore requirit flagella! ô inſipiētem animam noſtram, quæ omni tempore eget doctrina! ¶ Non ergo miremur, ſi nos Deus flagellis frequentiùs verberet. Nec enim eſt pater, qui non aſſiduat filio flagellum. & qui parcit virgæ, odit filium.

Heb.12.
Prouer.13.

5 *Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam. Qui narrat verbum non audienti, quaſi qui excitat dormientem de graui ſomno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat ſtulto ſapientiam: & in fine narrationis dicet, Quis eſt hic?* Operam perdis, ſi velis teſtas glutinare: fatuum docere. & vt qui graui ſomno premitur, grauatiſſimè ſe excitari fert: ita rebus alijs occupatus, & ſpiritualia audire nolens, ſi tua concione vellicetur, vt expergiſcatur, grauiſſimè fert. Iam ſi integram horam inſumpſeris ſtultum admonendo, crede illum dormiſſe. nam tandem dicet, Quis tu es, qui me admonere contendis? Græcis eſt ſignificantius: In fine narrationis dicet, Quid hoc? quorſum ſ. hæc? ¶ Nota, Fatuus, Dei ſpiritu carens, diuiſit ſe à Deo, à cælo, à gratia, &

à ſpiritualibus bonis. Operam ô Concionator perdas, ſi ſola tua narratione, eum velis glutinare cum his quæ diximus bonis. Manus Dei potens requiritur, vt is iterum glutinetur. Chriſti vox requiritur, vt Lazarum quatriduano ſomno depreſſum vigilantem efficiat. Dormiens hic, mortuus eſt. dicat igitur Chriſtus, Surge qui dormis: exſurge à mortuis. Plùs igitur Concionator orationi nitatur, quàm verbo. Iohan. 11. Epheſ. 5.

6 *Super mortuum plora, defecit enim lux eius: & ſuper fatuum plora, deficit enim ſenſu. Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requieuit. Nequiſſimi enim nequiſſima vita, ſuper mortem fatui. Luctus mortui ſeptem dies: fatui autē & impij omnes dies vitæ illorū.* Dominus dicit, Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus: quo ſ. frueris rebus his temporalibus. Plora igitur mortuum, quia videre hęc, & his frui iam non poteſt. vt dixit Ezechias: Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium, non aſpiciam hominem vltrà. Plora ſimiliter fatuum, quia caret ſenſu, & luce interiore, quo ſpiritualia videre, & eis frui debuerat. Porrò ſuper mortuum, ſeu bonum, ſeu malum, modicum plora. ſuper bonum, quia venit ad requiem: ſuper malum verò, quia peius eſt eum viuere, quàm mori. quod ſignificat illud obſcurum verbum, ſ. nequiſſimi enim nequiſſima vita, ſuper mortem fatui. quæ verba ſic ordina: Nequiſſimi fatui nequiſſima eſt vita, ſuper mortem. Ne- Matth. 6. Iſaia 38.

quius eſt eum viuere, quàm mori. nam moriendo, peccare deſiſtit. Vel ita intellige: Nequam eſt mors fatui: ſed ſuper hãc mortem vita nequiſſimi, eſt nequiſſima. Peius ſ. eſt viuere eum, quàm mori. Demũ docet morem ætatis ſuæ, ſ. ſatis eſſe ad mortuum lugendum ſeptẽ dies. At, qui fatuus eſt, omnes eius dies, quibus viuit, lugendus eſt. ¶ Patet primùm, non eſſe malum defunctos lugere. Nam & Dominus Lazari mortem fleuit. quod dictum ſit contra quoſdam nimiùm Stoicos. ¶ Patet ſecundò, quàm miſerũ ſit, ſenſu Domini (vt Paulus dicit) carere: animalem hominem eſſe, prudentiam carnis ſequi. ¶ Patet tertiò, non nimis indulgendum lachrymis in morte noſtrorum. Ne enim contriſtemur, ſicut & cęteri, qui ſpem non habent. ¶ Patet quartò, temperandas lachrymas in morte impiorũ. Melius enim fuit eos mori: ne ſuã augerent damnationẽ. ¶ Patet quintò, ſatis eſſe planctũ ſeptemdialẽ. Nam doctis octaua tribuitur felicitati ęternæ, in qua abſterget Deus omnẽ lachrymam. aut certè vt Chriſtus octauo die, id eſt, dominico, reſurrexit: ita & nos octauo ſurgamus, ad nouã ex fletu lætitiã. ¶ Patet ſextò, lętos fatui dies à viris, qui ſenſum Dei habent, amaro planctu defleñdos: vt in quorum fine ſint inferi, tenebræ, & pœnæ. Ideo Paulus deflebat inimicos crucis Chriſti,

Iohan. 11. *1. Cor. 2.* *Rom. 8.* *1. Theſſ. 4.* *Eccli 21.* *Philip. 3.*

7 *Cum ſtulto ne multum loquaris, & cum inſenſato ne abieris. Serua te ab illo, vt non moleſtiam habeas, & nõ coinquinaberis peccato illius. Deflecte*

ab il-

ab illo, & inuenies requiem, & non acediaberis in ſtultitia illius. Super plumbum grauabitur? & quod illi aliud nomen, quàm fatuus? Arenam, & ſalem, & maſſam ferri facilius eſt ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium. Non acediari, eſt non contriſtari, non mœrore affici. Illud, Super plumbum grauabitur? legendum eſt, Super plumbum, quid grauabitur? id eſt, quid eſt grauius plumbo? Si quæras, quid ſit grauius? nullo nomine nominatur, niſi fatuus. Eſt igitur fatuus grauior plumbo. ¶ Tu vide, cùm in mundo nihil ſit grauius plumbo, arena, ſale, ferro, his grauior eſt fatuus. Si enim deorſum ferri, grauitatis eſt ſignum: fatuus in infernum deſcendit, quò plumbũ, & alia grauiſſima deſcendere nequeunt. Et quidem fert Deus omnia, quia in manu eius ſunt omnes fines terrę. & fert omnia verbo virtutis ſuę. Fatuũ non ſuſtinet. ait enim, Laboraui ſuſtinens. & tãdem pondus in infernũ excutiet. *Pſal. 94. Heb. 1. Iſaie 1.*

8 *Sicut loramẽtum ligneum colligatum in fundamento ædificij non diſſoluetur: ſic & cor confirmatum in cogitatione cõſilij. Cogitatus ſenſati in omni tempore, vel metu non deprauabitur.* Memor ſum cùm in patria mea ædificaretur Collegium Cæſaris, per totum quadrũ ædificij, ac per medios parietes, vidiſſe me collocari ligna, in angulis parietũ firmiſſimè nexa, clauiſq; coniuncta: ea enim ratione dicebãt firmiſſimum fore ædificiũ, lignorum cõnexione impediente, ne parietes à ſe reſilirent. Hæc

connexio lignorum, hîc vocatur loramentum ligneum clauis colligatum, in fundamentum,ſiue firmamentum ædificij. Nam ſic eſſe intelligendum, docet litera Græca. Ergo ea cõnexio intra parietes firmiter colligata,nunquam diſſoluitur: ita cor confirmatum propoſito,&decreto firmo ſeruiendi Deo,non diſſoluitur. Igitur vir bone,vis à Diuino cultu nunquam reſilire, firmum tui cordis propoſitum, ac decretum tecum conſtitue. Hoc propoſitum dum perſeuerat, nullo nec temporis ſucceſſu ſeneſcit, nec tyrannorum metu corrumpitur.Si ędificiũ ſanctitatis dirui debet, priùs hoc propoſitum à corde eſt auferendum. At Dauid
Pſal.118. inquit,Iuraui,& ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

9 *Sicut ornatus arenoſus in pariete limpido,& ſicut pali in excelſis, & cæmenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt: ſic & cor timidum in cogitatione ſtulti contra impetum timoris non reſiſtet. Cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non metuit: ſic & qui in præceptis Dei permanet ſemper.* Non me latet,quàm variè legatur in multis libris textus hic. Decreui ego tamen textum, vt iacet, interpretari: nihil ex eo refugiens. Ergo ornatus arenoſus eſt cruſta illa calcis & arenæ, quæ parietibus ſuperinducitur, vt albi & pulchri videantur. ſed ſi hæc cruſta nihil calcis habeat, ſed ſit totum arena, facilè à pariete limpido, id eſt, leni, & plano decidit.

Pali

Pali in excelſis ſunt ligna,ſeu cannæ,ex quibus fiunt pergulæ, ſuper tecta domorum: vt per eas vitis ſarmenta repant. quæ pergulæ facilè à ventis diſſoluuntur. Cęmenta ſine impenſa, ſunt fundamenta domus ex luto,ſine calcis & arenæ impenſa. Hæc igitur tria iniurijs ventorum patent, & ab eis rapta cadunt: ita & cor timidū ſtulti, quouis minarum timore, ſuccūbit,& cadit. vt omnes hi qui martyrij metu à fide deſtiterunt. Iam addit rem digniſſimam,quòd ſ. cor fatui, ad quemuis temporalem caſum timet.hoc tamen cor,omni tempore Deum nihil timet: mortem nihil timet: dæmones nihil timet: demum infernum nihil timet. timor harum rerum nunquam pulſat fores domus eius. Contraria tamen ratione, qui nunquam peccatum admittit lethale,ſed in præceptis Dei ſemper perſeuerat, is etiam nihil timet: ſed confidit ſemper. quia perfecta charitas foras mittit timorem. *1. Iohan. 4.* Ergo cor fatui ad temporalia trepidum, ad ſpiritualia nihil metuit: ita & cor ſanctum non ita metuit: ſed confidentiſſimum ſuam mortem non horret,ſed cupit.vt Andreas,Ignatius,Polycarpus. *Andreas. Ignatius. Polycarpus.*

Pungens oculum deducit lachrymas: & qui 10
pungit cor, profert ſenſum. Id eſt,vis cognoſcere, quali ſenſu quilibet eſt? Punge cor eius, illum aliquo verbo extimula, aliqua iniuria affice. Vt enim naturale eſt oculo pūcto lachrymas proferre: ita cordi puncto ſui ſpecimen, & indicium producere. Facilè

abſcondas cor tuum,ſi tibi datur cogitandi locus: at ſi ſubitò pungaris, ſubitò profe-res,quis ſis. ſ. manſuetus, patiens, humilis: aut contrà.

11 *Mittens lapidem in volatilia,deijciet illa: ſic & qui conuitiatur amico,diſſoluit amicitiam. Ad amicum ſi produxeris gladium, non deſperes: eſt enim regreſſus ad amicum. Si aperuerit os triſte,non timeas. eſt enim concordatio: excepto conuitio, improperio, & ſuperbia, & myſterij reuelatione, & plaga doloſa. in his omnibus effugiet amicus.* Apertum eſt, quod dicit. ſ. nulla ratione diſſoluitur amicitia, niſi conuitio, improperio, ſuperbia,ſecreti reuelatione,& plaga doloſa. Eſt autem improperium beneficij collati exprobratio. vt ſi dedit mihi amicus donum,& ego doni vilitatem exaggero.Superbia eſt, qua ex tumore animi amicum deſpicio. Plaga doloſa,eſt vulnus dolo factũ. hæc diluunt amicitiam: non verò, ex ira gladium contra eum ſtrinxiſſe. O Chriſto gratia, cum quo reconciliatio patet, etiam ſi his omnibus eũ læſerimus. Eidẽ ſit etiam

Matth.5. gratia,qui iuſſit,vt etiam his omnibus læſi, proximo reconciliemur. Si enim non di-

Rom.12. mittimus ex cordibus noſtris,nec dimitte-

Matth.18. tur nobis. Ergo tempora illa veteris legis non ita exigebant amicitiam noſtram, vt Euãgelica tempora. Tunc enim dicebatur,

Matth.5. Odio habebis inimicum tuum. nũc autem, Diligite inimicos veſtros.

12 *Fidem poſſide cum amico in paupertate ipſius,* *vt*

vt & in bonis illius læteris. In tēpore tribulationis illius permane illi fidelis, vt & in hæreditate illius cohæres ſis. Ergo cùm Chriſtus in pauperibus ſuis paupertatem habeat, & tribulationem, (Ait enim, Saule, quid me perſequeris?) ſi- *Actor. 9.*
mus illi fideles, communicando minimis eius bona noſtra: vt poſtea nobis ille communicet ſua. ¶ Nota vſum olim fuiſſe amicos ex teſtamento partem aliquam aſſis relinquere: vt in hiſtorijs Romanis videre eſt. Videtur eò alludere quod Author ait, in hæreditate illius cohæres ſis.

Ante ignē camini vapor, & fumus ignis inaltatur: ſic & ante ſanguinem maledicta, & contumelia, & minæ. 13
Non accenditur ignis in lignis camini, niſi vapor, & fumus præcedant, & fumus exaltetur ſurſum: ita non effunditur ſanguis in rixa, niſi præcedant conuitia.. Hæc reſcinde, & ſanguinem non effundes. Sanè antequam in inferno accendatur ignis in titionibus damnatorum, præceſſit fumus peccatorum noſtrorum: & ante ſanguinem, quem Dei gladius educet ex miſeris, præceſſerunt eius minæ, & maledicta contra peccata, & noſtræ contra eum contumeliæ.

Amicum ſalutare non confundaris. A facie illius non me abſcondam: & ſi mala mihi euenerint per illum, ſuſtinebo. Omnis qui audiet, cauebit ſe ab eo. 14
Amicum, quanuis in infimum, aut periculoſum locum, eum fortuna deiecerit, nunquam ſalutare, & officijs amici proſe-

qui verecundabor, nec ab eo me abſcondam. Quòd ſi, quę humana ingratitudo eſt, per amicum illum poſtea aliquod mihi malum contigerit, ictum illum ſuſtinebo. At, qui me læſum ab illo audierit, cauebit
Rom.12. ab eo. ¶ Obligamur amico, & inimico in ſua tribulatione fauere: nec ab hoc vinculo nos liberat timor mali, quod nobis poſtea ab eo contingere poteſt. Sed ſi certum eſt malum mihi inde obuenturum, non ita obligor illi ſuccurrere: vt iam ſuprà dictum
Eccli 12. eſt, cùm Author præcipiebat ne panem iniquo demus, ne fortè factus nobis fortior, nos gradu deijciat.

15 *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum? vt non cadam in ipſis, & lingua mea perdat me.* Abſque dubio pars hæc ad caput ſequens ſpectat, & ab ea caput ſequens bene inchoaretur. Vtcunque ſit, planus eſt ſenſus eius. niſi quòd ſignaculũ certum, Græcis eſt, ſignaculum aſtutum. id eſt, quod ſeſe accommodet tempori: vt taceat, cùm tacendum eſt: aperiat ſe verò, cùm loquendum erit. Sumptus eſt hic textus ex il-
Pſal.140. lo Dauid, Pone Domine cuſtodiã ori meo, & oſtium circunſtãntiæ labijs meis. ¶ Nota, quàm difficile ſit linguam moderari, ad quod tam ardẽter à Deo petitur auxilium. nec enim eſt opis humanæ: Diuina neceſſaria eſt. ¶ Nota ſecundò, lapſum linguæ aliquando eſſe lethale peccatum. Tunc ſ. cùm grauiter Deum, aut proximum lædit.

CAPVT

CAPVT XXIII.

PRIOR PARS.

Linguæ & affectuum moderationem rogat à Deo.

D*OMINE pater, & dominator vi-* 1
tæ meæ, ne derelinquas me in cogi-
tatu, & conſilio eorum: nec ſinas me
cadere in illa exprobratione. Id eſt,
ne relinquas me in impetum,
& appetentiam labiorum meorum: nec ſi-
nas me cadere in probrum illud, quo effrę-
natæ linguæ ſim, & dicar. Ergo conſilium,
& cogitatus labiorum, eſt effręnata libertas
dicendi, quæ velint. Hæc verò exprobratio
eſt contra virum pium. ¶ Nota, Deum eſſe
patrem vitæ, quia vir pius per gratiam fili-
us eſt Dei. Dedit enim nobis poteſtatem, vt 1. Iohan. 3.
filij Dei nominemur, & ſimus. Nam per ſpi- Rom. 8.
ritum clamamus, Abba pater. ¶ Rurſum
Deus eſt dominator vitæ: quia quantum
vult, vita durat.

Quis ſuperponet in cogitatu meo flagella, & in 2
corde meo doctrinam ſapientiæ: vt ignorationibus
eorum non parcant mihi, & non appareant delicta
eorum: & ne adincreſcant ignorātia mea, & mul-
tiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent:
& incidam in conſpectu aduerſariorum meorum,
& gaudeat inimicus meus? Domine pater, & Deus
vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.
Pars rationalis eſt intellectus (qui vocatur

Ap-

Authori cogitatus) & voluntas (quæ vocatur cor) optat igitur, vt intellectui Deus ſuperponat flagella, & voluntati doctrinam. ¶ Tu ſtatim ſurges, Voluntati non eſſe adhibendam doctrinam, ſed intellectui: voluntati potiùs erant flagella adhibenda. Reſpondendum eſt, non poſſe adhiberi flagella voluntati, niſi priùs adhibeantur intellectui. Hic verò flagella quæ videt, minas, & caſtigationes, oſtendit voluntati. quæ, ſi eam oſtenſionem acceptet, doctrinam recepiſſe dicitur. Ergo ſapienter non dixit, doctrinam cogitatui, ſed cordi: docens, tunc doctrinam intellectus proficere, cùm ex intellectu & cogitatu trāſit ad cor, ſeu voluntatem. Petit igitur flagella, & doctrinam, quę ignorationibus cogitatus & cordis nullo modo parcant. Si enim non pepercerint, non apparebunt delicta voluntatis, & intellectus. Nec ignorantiæ eorum creſcent, &c. Nam ſi hæc creuerint, & abundauerint, cadet miſer homo coram dæmonibus, mundo, & carne. qui exultabunt, ſi motus fuero. (dicit Dauid) & dicent, Præualui aduerſus eum. vt idem attulit. Quare inſtanter Author rogat Deū, ne derelinquat pios, in cogitationes inimicorū ſuorum. Nam cogitant illi, parare laqueos pedibus noſtris: incuruare animas: fodere foueā ante nos: iacere laqueos, & rete ante oculos pennatorum. ¶ Aduerte, auxilium gratiæ Dei illuminare intellectum: afficere voluntatem. Porrò hoc auxilium petitur, quia ſine eo in vanum

Pſal.12. *Eodem.* *Pſal.56.* *Pſal.66.* *Prouer.1.*

vanum laborauerunt, qui ædificant: & fru- Pſal. 126.
ſtra vigilat, qui cuſtodit. Nam ſine me (in- Iohan. 15.
quit) nihil poteſtis facere. ¶ Notet Theologus item, Licet ignorationes propriè ſint intellectus, hoc loco tamen etiam tribuuntur voluntati. Quia omne peccatum ignoratio eſt: vtpote quod ex ignoratione dependet. Dictum enim ideo eſt, omnis malus eſt ignorans. ¶ Notet vltimò pius, licet aliud nihil mali eſſet in peccato, quàm cadere coram inimicis noſtris, & præbere eis gaudium hoc, id vnicum ſufficere debuiſſet, vt peccatũ abominaremur. Sed heu ſunt alia multa damna, longè maiora.

Extollentiam oculorum meorum ne dederis 5
mihi, & omne deſiderium auerte à me. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me. Quod Author vocat extollentiam oculorum, Dauid nominauit
oculos ſuperbos, & alicubi, elatos. Non eſt, Pſal. 17.
inquit, exaltatum cor meum, neque elati
ſunt oculi mei. & item, Superbo oculo, & Pſal. 100.
inſatiabili corde, &c. Salomon vocat ocu- Prouer. 6.
los ſublimes. Sunt verò tũc oculi ſublimes, quando velut in excelſo poſiti, reliquos, vt infimos præ ſe deſpiciunt. Hoc verò deli-
ctum vocat Dauid maximũ. in quod quia Pſal. 18.
nemo incidit, niſi ob præcedentia crimina, (iuſto ſ. Dei iudicio) ideo dicitur, eos oculos dare. Permittit enim eos ob crimina priora. Id Author auerti à ſe rogat. Iam ve-

rò

rò deſiderium vocat, impatientem, & impotentem aliquem affectum: vt odium, inuidiam, iram, & ſimilia. cuius tyrannidem
Rom.13. deprecatur. Ventris concupiſcentias Apoſtolus vocat comeſſationes, & ebrietates. Concupiſcentias concubitus vocamus ſpiritum fornicationis. à quo ſpeciatim nos liberari prudentiſſimè Eccleſia rogat. Demum animam irreuerentē atque petulantem eam vocat Author infrunitam. Deum immortalem, quantum malū eſt, animam perdere reuerentiam erga Deum. & quàm infelix eſt, frenum amiſiſſe. eo enim amiſſo, preceps anima in omne ſcelus cadit. Nec enim maior nota de iudice dici potuit,
Luc.18. quàm quòd Deum non timeret, & homines non reuereretur. ea eſt petulans anima. Pro infrunito, Græcis eſt, inſatiabilis. ſ. qui nullum modum peccatis apponit.

4 ¶ Specialis eſt oris inſtitutio.

Doctrinam oris audite filij: & qui cuſtodierit illam, non periet labijs: nec ſcandalizabitur in operibus nequiſſimis. Procemium eſt ad ſequentia, quo captat beneuolentiam, vt audiatur. Tum quia pater eſt, ac ideo audiendus à filijs. Tum quia, qui doctrinam eius cuſtodierit, non peribit, peccando mortaliter: nec incurret in grauiſſima, & nequiſſima crimina: qualia ſunt periurium, blaſphemia, & ſimilia. Contrà verò, qui hanc non ſeruarit, & in peccato ſuo comprehendetur, & in crimina dicta labetur. & hoc eſt quod textus ſubdit, *In vanitate ſua apprehendetur peccator,*

cator, & ſuperbus & maledicus ſcandalizabitur in illis. Id eſt, is vanus (qui hãc doctrinam non cuſtodit) in ſua vanitate comprehendetur, & peribit. & ſuperbus & maledicus offendent in illis operibus nequiſſimis, ſ. periurij, & blaſphemiæ. ¶ Habet lector, cur multi labantur in periuria, & blaſphemias. ſ. quia ſuperbi ſunt, & maledici. ô iuſtum Dei iudicium!

Iurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa. 2. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo. 3. & nominibus Sanctorum non admiſcearis: quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim ſeruus interrogatus aſſiduè, à liuore non minuitur: ſic omnis iurans, & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga. 5
Primum præceptum Authoris eſt, non ſolùm vt non iuremus per Deos alienos: nec ſolùm, vt per Deum noſtrum falſò non iuremus: ſed quòd per eum non iuremus aſſiduè, etiam veritatem. Ratio eſt, quia multi ſunt caſus in aſſidua iuratione. videlicet, quia aſſuetus iurationi veræ, aliquando iurabit falſum, aut dubium. Secundum præceptum eſt, quòd nec nomen Dei ſit aſſiduum in ore noſtro. Ratio eſt, quia res adeò ſacratiſſima, non eſt paſſim ore calcanda. Eſt autem Dei nomẽ omnem ſanctitatem exuperans. Tertium prçceptum eſt, quòd non iuremus per nomina Sanctorum, neque ea identidem habeamus in ore. Si enim reli- *Eccli 27.* *Matth. 5.*

quiæ eorum ſunt tam venerandæ, cur non item eorum nomina ſacra? quòd ſi ſæpius ſine delectu, eos nominaueris, non eris immunis, quin de te ſumant vindictam. Subiungit Author exemplum horum triũ præceptorum. Vt ſeruus, qui frequenter verberibus interrogatur, nunquam liuore carebit, nec vibices eius minuentur: ita iurans, & nominans Deum, aut Sanctos, nunquam plenè erit à peccato liber. Speciatim verò, qui multùm iurat, etiam ſi verè iuret, hâc pœnâ à Deo multabitur, vt pleniſſimè incidat in crimina: & item, vt nunquam plaga ab eius domo diſcedat. ¶ Tertio præcepto lux infertur ex vſu Iudæorum, ſæpius per Abraham, Iſaac, & Iacob iurantium. Ita Iacob iurat per timorẽ patris ſui Iſaac. ¶ Exemplum preceptorum docet nos, iuramentum aſſiduum, eſſe flagellum Dei aſſiduum. & vt ex flagello aſſiduo, ſequitur liuor, qui non minuitur: ita ex iuramento aſſiduo lapſus frequentior in peccata. ¶ Vltima verba ſunt prophetia prænuntians fore, vt qui multùm iurauerit, infelix ſit in hoc mundo, vt à quo nõ deerit calamitas: & damnabitur in futuro, vtpote qui plenus ſit iniquitate. ¶ Surges contra ſecundum præceptum, nam Paulus habet Chriſtũ frequentiſſimè in ore. nunquam enim tuba Paulina non Chriſtum reſonat. At da tu mihi reuerentiam Pauli, feruorem & amorem, & nomina Chriſtum continenter. Hîc enim ſolùm vulgaris vulgarium ſine vlla reuerentia

Geneſ. 31.

Paulus nunquam nõ ferè Ieſum Chriſtum nominat.

ren-

rentia Dei nominatio prohibetur.

Et ſi fruſtrauerit fratrem, delictum illius ſuper 6
ipſum erit: & ſi diſsimulauerit, delinquet dupliciter: & ſi in vacuum iurauerit, non iuſtificabitur: replebitur enim retributione domus illius. Tres malè iurãdi modos affert. Primus, fratrem, fruſtrando. & tunc ſi quid frater fruſtratus propterea deliquerit, hoc delictum grauat iurantem, vt qui eius delicti cauſam dederit. Ergo ſi frater fruſtratus nocuerit, ei qui fidem violauit, eius criminis culpa in periurum recidit. Secũdus modus eſt, diſſimulando veritatem coram Iudice. & qui ita veritatem diſſimulat, dupliciter delinquit: nam delinquit contra Deum, & contra Iudicem, cui ſimpliciter ad eius mentem reſpondendum eſt. ſi modò iuridicè interrogat. Tertius modus eſt, iurando quidem verè, ſed abſque neceſſitate, aut vtilitate. & tũc non euadit culpam: replebitur enim domus eius retributione. vt ſicut iurans caret reuerentia erga Deum: ita mala careant reuerentia erga domum: ſed irreuerenter, & temere domum intrent, vt temere Deum ille iurabat. ¶ Nimis ſapienter Author docet modum, quo participamus in crimine alieno, ſ. ſi ei cauſam damus. id eſt, violaui tibi fidem. ea cauſa tu cadis in crimen, eius criminis macula mihi hæret.

Eſt alia loquela contraria morti, non inueniatur 7
in hæreditate Iacob. Etenim à miſericordibus omnia hæc auferuntur, & in delictis non volutabuntur. Iudæi adeò horrebãt blaſphemiam, vt eam

non nominarēt: & cùm eam nominabant, vocabant, benedicere Deum. Ita Naboth
3.Reg.21. accuſatus eſt, quòd benedixerit Deum. &
Iob 1. Iob pro filijs orat, ne benedixerint Deum in cordibus ſuis. Hæc loquela blaſphemiæ, quam benedictionem vocabant, erat contraria morti: quia benedicere Deum erat contrarium morti. eſt enim benedicere viuere, non mori. Ergo blaſphemia, vt per antiphraſin, & per contrarium vocatur benedicere: ita per contrarium vocatur contrarium morti, cùm tamen ſit penitus mortiferum. Certè benedictio Dei eſt contraria morti. vt ergo blaſphemia vocata eſt benedictio, ita vocatur contraria morti. Aut certè erat contraria morti, id eſt, maledictioni, quæ mors erat. Ait igitur Author, eſt alia loquela, ſ. benedicendi Deum, quæ contraria eſt maledictioni mortis, cùm ſit tamen blaſphemia. Vtinam hæc non inueniatur inter Iſraelitas. Etenim ab electis, qui vocantur miſericordes, hæc omnia delicta Deus auertit: ne propter ea in delictis volutentur. ¶ Nota, pios vocari miſericordes.
Matth. 25. Eo enim in die Iudicij electi erunt, quia miſericordes fuerūt. ¶ Nota ſecundò, propter blaſphemiām Deū permittere, vt blaſphemus in delictis volutetur.

8 *Indiſciplinata loquela non aſſueſcat os tuum: eſt enim in illa verbum peccati.* Præceptum hoc, eſt maximi momenti. Ne ſ. aſſueſcas loqui quod velis, quod libet, quod in buccam venerit: habeto diſciplinam in ore, loquere

quod

quod æquum eſt. Alioqui ſi loquaris temere, aderit ſtatim peccatum. Nam etiam curando, & fręnando linguam, vix cauemus peccatum: quantò minùs cauebitur, ſi eam non fręnemus. adeò modicus ignis linguæ, Iacob. 3.
tam magna exaltat.

9 *Memento patris & matris tuæ: in medio enim magnatorum conſiſtis. Ne fortè obliuiſcatur te Deus in conſpectu illorum, & aſsiduitate tua infatuatus, improperium patiaris: & maluiſſes non naſci, & diem natiuitatis tuæ maledicas.* Præceptum hoc, non ad omnes, ſed ad eum, qui in curia inter magnates verſatur, referri debet. Ait enim, in medio magnatorum cõſiſtis. Tum referri omnino debet ad eum, qui magnatorum fauorem habet, ac ideo cum eis verſatur aſſiduè. dicit enim, aſſiduitate tua, &c. Ergo quia fauor magnatorum quoſdam degeneres elatos facit, adeò, vt pudeat eos, de ſuis parentibus loqui: ideo præcipit Author iſtis, vt mentionem faciant parentum ſuorũ. Tum quia in medio magnatorũ ambulamus, qui vehementer delectãtur, cùm audiunt nos de parentibus, etiam vilibus, loqui. Tum quia ſi parẽtum obliuiſcimur, curabit Deus, vt magnates illi obliuiſcãtur noſtri. Tum tertiò, quia nos infatuati, ex fauore, & aſſidua magnatum familiaritate, aliquando ab eis improperiũ patiemur. Dicent enim indigniſſimos nos eſſe, qui parentes noſtros dedignemur. Tunc planè optaſſemus non fuiſſe natos: & diei natali male-

dicemus. Hæc Authoris inſtitutio quotidiana in curijs experientiâ cõprobatur. Quotidie enim audimus,quoſdã qui ſuos,etiam ruſticos, parentes honorarunt, à Regibus magnopere honoratos. Alios verò, qui parentes dedignati ſunt, Regibus magnopere diſplicuiſſe, ac ideo ab eorum fauore deiectos.

10 *Homo aſſuetus in verbis improperij, in omnibus diebus ſuis non erudietur.* Senſus germanus eſt: Caue,ne lingua aſſueſcat iacere in alios contumelias.Alioqui id ſignum æternæ reprobationis eſt. non enim tales homines à Deo erudiuntur. (Pſal. 93.) At verò,vt beatus eſt, quem tu erudieris Domine: ita reprobus, ac ideo omni infelicitate infelicior, quem tu non erudieris. Alium ſenſum mihi vſus oſtendit.is eſt:Ne credant domini miniſtros ſuos improperijs emendandos. imò verò miniſter his improperijs aſſuetus, nũquam erudietur. Igitur non ſolùm nõ aſſequitur herus ſuis conuitijs miniſtri emendationem: imò verò eum facit conclamatum.

PARS POSTERIOR.
Contra auaritiam,fornicationem, adulterium.

11 D*VO genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem. Anima calida quaſi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat. Et homo nequam in ore carnis ſuæ non deſinet, donec incẽdat ignem. Homini fornicario omnis*

panis

panis dulcis, non defatigabitur tranſgrediens vſque ad finem. Id eſt, Duo ſunt genera peccatorum, quæ ſunt cauſa multorum aliorum. Tertium verò genus vltra peccata adducit iram & perditionẽ temporalem. Primum genus eſt animæ calidæ, ſ. auaræ, quæ velut ignis ardet ad quæſtum, nec extinguitur, niſi cùm glutit. vbi glutierit, redit ad flammam. Auarus dicitur ardere, & eius ſitis non extingui. vbi notatur hydropiſis: quæ à flãmeo humore originem ducit: ac ideo nũquam dicit, Sufficit: ſemper dicit, Affer, affer. Prouer.30. Secundum genus eſt hominis nequam in ore carnis ſuæ. ſ. fornicariorum. ij metaphoricè dicuntur nequam, in ore carnis; cui omnis panis dulcis. ij ſunt qui non quieſcunt, donec appetitum impleãt. ad quem implendum non morantur pulchram, aut fœdam: iuuenem, aut ſenem: omnis panis eſt dulcis. Nec defatigantur ab hoc impudico crimine, tranſgrediẽtes Dei præceptum, vſque ad finem vitæ. Exemplum fuit Tiberius Cæſar, qui cùm ſenex non poſſet, quæ vellet, mille genera impudicitiarum commeminit: vt qui opere non poterat, viſu ſibi ſatisfaceret. Tiberius.

Omnis homo qui tranſgreditur lectum ſuum, 12
contemnens in animam ſuam, & dicens, Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunſpicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſsimus. Et nõ intellexit quoniam omnia videt oculus illius,

quoniam expellit à ſe timorem Dei huiuſmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum. Tertium genus peccatorum eſt eorum, qui tranſgrediuntur lectũ ſuum. Hi ſunt adulteri, qui non contenti lecto vxoris ſuæ, inuadunt alienũ. Hi contemnunt in animam ſuam, quia non verentur periculum ſibi à viro violatæ vxoris imminens. Dicunt enim, Nullus hominũ me videt. (vt quem tenebræ & parietes tegunt.) Deus hoc crimen non videt. (Altiſſimus enim eſt, & cardines cæli perambulat) non ſunt ei curæ mea delicta. Sed ô miſeri, non intelligunt, quòd omnia oculus Dei videat? Ah, ſolos homines timere, & eorũ ſolùm periculum vereri, timorem Dei expellit: & oculi hominum, illum timorem ſolùm timentes, timorem Dei expulerunt. Hic videtur ſenſus extremorum verborum. ¶ Tu lector vide, quò perueniat humanus affectus, ſ. ad blaſphemiam. Nam cùm adulter non videat hominem, quem timeat: fides verò ſancta docet Deum criminis conſpectorem timere: ne crimen deſerat, fidem deſerit: ne non ſit adulter, hæreticus efficitur.

Iob 22.

13 *Non cognouit quoniam oculi Domini multò plùs lucidiores ſunt ſuper Solem, circunſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia ſunt agnita: ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.* Pulcherrimè litera Græca habet, oculi Domini Altiſſimi

ţiſſimi infinities Sole lucidiores ſunt. Ita planè, quia Deus lux eſt infinita, ac ideo finitam Solis lucem infinities vincens. Vt igitur Sol circuit omnia, à ſummo cælo egreſſus, & occurrẽs vſque ad ſummum eius: ita Deus non circũeundo, ſed intimè omnia penetrando neceſſariò vniuerſa intuetur. ſiquidẽ omnibus intimus eſt. Addit Author, Deum nouiſſe omnia, antequam crearentur, & poſtquam ſunt perfectè creata. planè agnouit omnia in ſeipſo, antequã crearentur: quia ſua eſſentia cõtinet omnia, & perfectiùs videtur res in Diuina, quàm in propria Eſſentia. at poſtquam res creatæ ſunt, agnoſcit eas Deus tam in ſua, quàm in creaturarum eſſentia. Quod dictum eſto contra quoſdam capitoſos Theologos, id enim dicit Author. Si enim vellet tantùm creaturas in Deo à Deo videri, nõ ſubderet, quòd poſt eas perfectas, Deus eas reſpicit.

Eccles 1. *Pſal.* 18.

Theologi quidam.

Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quaſi pullus equinus fugabitur: & vbi non ſperauit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus, eo quòd non intellexerit timorem Domini. Quia dixerat adulteros vltra peccatum, adducere ſibi iram & perditionem temporalem, id nunc explicat, dicens: Putabat adulter, ſe tenebris, & parietibus abſconſum: at vindicta de eo ſumetur in media platea ciuitatis, vbi eſt morte plectẽdus. nam Lex antiqua iubebat mœchum & mœcham morte mulctari. Quòd ſi eum Iudex non primo ictu apprehenderit, mœchus miſer fugam arripiet, velut pullus 14

Leuit. 20. *Deut.* 22.

Ierem.5. equi. vt qui ad vxorem proximi hinniebat, vt equus: fugam rapiat, vt equus. ſed demum, Domino ita volente, vbi non ſuſpicatur apprehendetur, & occidetur. ac ita ſuæ cognationi dedecus erit. Hæc fuſiùs Salomon, Prouerbiorum 6. 7. (Prouer. 6. 7.)

15 *Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio Primò enim in lege Altiſsimi incredibilis fuit: & ſecundò in virum ſuum deliquit: & tertiò in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi. Hæc in eccleſiam adducetur, & in filios eius reſpicietur. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum. Derelinquent in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur. Et agnoſcent qui derelicti ſunt, quoniam nihil melius eſt, quàm timor Dei: & nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis Domini.* Clara hæc ſententia eſt. Illud, ſtatuens hæreditatem, ſignificat, quæ ſtatuit filium adulterinum, vt ſit hęres cum legitimis. quod infrà dicit, ex alio viro filios ſtatuit. 2. Illud, incredibilis fuit, ſolet explicari, pro inobediens fuit. innuit tamen, adulterij furorem poſſe perducere ad fidei violationē. 3. Notet Theologus, quòd licet in violatione legis Dei, qua dicit, Non mœchaberis, videri poſſint claudi tria ſequentia peccata, ſ. peccare in virum, in ſe, & in filios: doctè tamen Author hæc explicauit. Nam & ſi vir det facultatem vxori, & filij matri, vt adulteretur: adhuc crimen violati thori per ſe claudit iniuriam Dei, viri,

vxoris,

vxoris,& filiorum. 4. Dicit,Hæc in eccleſiã adducetur, id eſt, in cœtum Iudicum. vt & adultera illa, quæ corã Chriſto adducta eſt. Iohan.8. Cùm enim ex lege mœcha eſſet lapidanda, ſtatuendum priùs erat in Concilio docto- Leuit.20. rum,an eſſet adultera,vt lapidaretur. 5. Inquit, in filios reſpicietur. ſ. fiet examen, an ſint filij legitimi, an ſpurij: vt ſi ſint ſpurij, hæreditate deijciantur. & hinc patet, hunc fuiſſe eius temporis vſum. 6. Non tradent radices. id eſt, filij illi adulterini, non diu viuent: nec in vita fructus edent illuſtrium operum. 7. Filij illi illegitimi relinquent matris ſuæ memoriam in maledictum: vt ei ſ. omnes maledicant. 8. Et agnoſcent reliqui nihil melius, aut dulcius obſeruatione mandatorum Domini. Planè palato affectibus temporalibus infecto, non eſt dulce Diuina ſeruare mandata. At verò palato libero,ſeruare mandata habet ſaporem Diuinum, quo nihil eſt dulcius. Guſtate, in- Pſal.33. quit, & videte, quoniã ſuauis eſt Dominus. & item, Spiritus meus ſuper mel dulcis, & Eccli 24. hæreditas mea ſuper mel & fauum. & alibi, Iudicia Domini dulciora ſuper mel & fa- Pſal.18. uum. Habẽt planè humana ſuum ſaporem: ſed quantum vincũt diuina res temporales, tantum ſapor diuinorũ terrenos ſapores.

Gloria magna eſt ſequi Dominum: longitudo 16
enim dierum aſſumetur ab eo. Non ſolùm optimum,& dulciſſimũ eſt,ſeruare mãdata: ſed erat etiam magnus honor: erat etiã longitudo dierũ, quam Deus aſſumebat,& dabat

ſua

Pſal.54. ſua mandata ſeruanti. Vt enim viri ſanguinum non dimidiãt dies ſuos: ita Deus olim in præmium dabat pijs, vt longũ viuerent, vt viderent filios, & nepotes. vt de Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & Tobia dicitur. Philip.1. Nunc tamen viuere mihi Chriſtus eſt, & mori lucrum. &, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

CAPVT XXIIII.

Sapientia pronuntiat encomium, & laudes ſuas.

1 *SApientia laudabit animam ſuam, & in Deo honorabitur, & in medio populi ſui gloriabitur, & in Eccleſiis Altiſſimi aperiet os ſuum, & in conſpectu virtutis illius gloriabitur. & in medio populi ſui exaltabitur, & in plenitudine ſancta admirabitur. & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens.* Hoc caput neceſſariò ad literam intelligendum eſt de Sapientia Diuina, quæ Dei Verbum, Deiq; filius eſt. Solus enim ipſe eſt primogenitus ante omnem creaturam. Solus ab initio, & ante ſecula creatus, id eſt, genitus. & reliqua omnia quæ in hoc cap. de Diuina Sapientia dicuntur. Quòd ſi beatiſſimę Virgini huius cap. aliqua pars tribuitur, tribuitur ſanè per quandam accommodationem: ea lege, quâ, quæ de capite dicuntur, dicuntur ſuo modo de membris, maximè verò

verò de Virgine, quæ Chriſti tam illuſtriſſimum eſt membrum. Ergo ſtat ſententia, velint nolint Iudęi: imò & velint nolint Chriſtiani quidam, Soli Sapientiæ genitæ, id eſt, Filio Dei caput hoc cõuenit. Agnouit enim Author noſter hunc Filium Dei. Ait quippe in cap. vlt. Inuocaui Dominũ, patrem Domini mei. *Eccli vlt.* Huius Domini, quem Sapientiam Dei nominat, laudes, & panegyrim hoc capite proſequitur, dicens: Sapientia laudabit animam ſuam. Id eſt, Sapientia laudes, encomium, & panegyrim de ſe dicet. Eſt enim phraſis Hebræa, animam pro perſona ſumere. vt illud, Omnes animæ, quæ egreſſæ ſunt de fœmore Iacob. *Geneſ. 42.* & illud, Iurauit Deus in animam ſuam. id eſt, per ſeipſum. *Amos 6.* Ita nunc laudabit animam ſuam. id eſt, laudabit ſe. Orationem laudatoriam ſui dicet.

Quia verò Author dicit, quòd Sapientia laudes ſuas dicet, in futurum, dubiũ eſt, non leue, quando hæc Authoris prophetia impleta eſt? Quando Sapientia hòc ſui encomium dixit? Et primò quidem non poteſt dici, quòd ante conditũ mundũm. Ait enim ipſa in hoc encomio, Ego feci, vt in cælis oriretur lumen. *Hoc cap.* gyrum cęli circuiui, in fluctibus maris ambulaui, &c. Ergo cùm Sapientia hanc orationem habuit, iam cæli, lumen, mare, & terra condita erant. Secundò nec poteſt dici habitam hanc orationem à Sapientia ante latam legem Moyſi: imò nec ante Dauid. Ait enim in hac panegyri, Legẽ manda-

mandauit Moſes. & item, Poſuit Dauid puero ſuo. Ergo orationẽ hanc præceſſit Lex, & Dauid. Tertiò nec poteſt dici habitã orationem ante ætatẽ Authoris. Nam ipſe non dicit, Sapientiam iam laudaſſe animam ſuam: ſed quòd erat laudatura. Quartò fatendum eſt, has laudes ſuas Sapiẽtiam cantaſſe ante incarnationem ſuam. Ait enim in hac oratione, Poſuit Dauid puero ſuo excitare regem ex ipſo fortiſſimum. quod de Meſſia tunc nondum excitato, intelligi neceſſariò debet. Quintò demum rem ita accipe lector. Eccleſiaſticus hic accepit per reuelationẽ, futurum, vt Sapientia genita, ſeu filius Dei, coram Deo, & coram omnibus Hierarchijs Angelorum (omnibus Angelis aduocatis è mundo in cęlum) hanc luculentiſſimã orationem in ſui laudem habitura eſſet. Et ego probabiliſſimè credo, eam orationẽ habuiſſe, quo die incarnari voluit. Quo die coram Deo, & tota curia cęleſti eam habuit: & poſtquam habuit, magnum audiẽtium applauſum ſibi conciliauit. Hoc ergo dicit, *Sapientia laudabit animam ſuam.* id eſt, Sapientia habebit orationem in die incarnationis ſuæ, quâ ſe laudabit. *Et in Deo honorabitur.* Credo ſenſum eſſe, nõ vanè, aut falsò ſe ipſa
1.Cor.10. honorabit: ſed in Deo. iuxta illud, Qui gloriatur, in Domino glorietur. *In medio populi ſui gloriabitur.* Id eſt, adducet curiam cæleſtem, in cuius medio (vt ab omnibus adoraretur) gloriã ſuam dicet. Cùm enim Angeli ſpiritus ſint, vndiq; Dei faciem vident.

Ideo in circuitu ſedis Dei, Angelos, & Seniores ſtare, Apocalypſis teſtis eſt. *Et in Eccleſiis Altiſſimi.* id eſt, in ſingulis Hierarchijs. Nec enim credas ſpiritus cæleſtes confusè miſcellam facere. Imò diſtincti, per hierarchias ſuas ſunt collocati. & cùm hierarchię ſint decięs millies centenorũ millium, iure intelligas vocatas illas non vnã, ſed multas Eccleſias. quo nomine infinitatem auditorum ſignificauit. *Et in conſpectu virtutis Dei.* Deus dicitur Dominus Sabaoth, id eſt, exercituum, ſeu militiæ, quæ virtus Dei dicitur. Ita enim nos Deum virtutum, Dominũ noſtrum nominamus. Habuit igitur Filius Dei hanc orationem coram militia cæleſti: ne hæc abfuiſſe credatur. Quia verò poſt hanc orationem habitam, tota audientium concio exaltauit & admirata eſt Sapientiam orantem, ideo ſubdit. *In medio populi ſui exaltabitur.* Id eſt, populus ille audiens, dicẽti acclamauit. *Et in plenitudine ſancta admirabitur.* id eſt, tota illa plenitudo innumerabilis admirabitur dicentẽ. Illud enim verbũ, admirabitur, ad plenitudinẽ admirantem referri debet. *Et in multitudine electorũ habebit laudem.* Id eſt, non ſolũ ſanctus ille cœtus amauit, & admiratus eſt Sapientiã dicentẽ: ſed in eius laudes ſe effudit. Licet non referat Author, quas illi dixerint laudes, niſi quod addit. *Inter benedictos benedicetur.* Id eſt, pronuntiauit illa Concio, quòd Diuina Sapiẽtia ſuper oẽs benedictos, & laudatos, eſſet laudanda, & be-

Apoc. 4.
Dan. 7.
Iſaie 6.

Philip.2. & benedicenda. Ita planè: quia in eius nomine omne genu ſe flectet, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. & omnis lingua conſi. &c. Audiamus iam hanc orationem.

¶ Oratio Sapientiæ, quâ ſe laudat.

1 *EGO ex ore Altiſſimi prodiui.* Adducit hunc Sixtus Pp. textum Sixtus Papa epiſt.1. ad probandum Filium eſſe Patri, & coæternum,& eundem in eſſentia. Tu iam attentiſſimè vide. ¶ Primùm, dicens Sapientia, Ego, oſtendit ſe eſſe perſonam. nullum enim accidens poteſt dicere, Ego. ¶ Secundò dicens, ex ore, docet ſe eſſe verbum. nam quod ex ore procedit, Verbum eſt. ¶ Tertiò cùm ait, Altiſſimi, forſan docet myſterium. Cùm enim Deus produxit cælum, non produxit, vt Altiſſimus: ſed vt ideam cæli habens. Similiter cùm terrã. Iam cùm hominem, ait, ad imaginem Dei fecit illos. At cùm Filium dicit, vt Altiſſimus, omnia continens, & comprehendẽs dicit. ¶ Quartò cùm dicit, prodiui, docet ſe eſſe à Patre diſtinctum. Neceſſariò enim verbum eſt ab ore diuerſum. ¶ Quintò docet, ſe perfectè à Patre prodijſſe, non imperfectè. Nam dicit, prodiui, vt res iam perfecta. Nam licet verè etiã nunc à Patris ore prodeat, ita tamẽ prodit, ac ſi iam prodijſſet. Iuxta illud, Hodie genui te. ¶ Sexto in his verbis docet, quòd ſicut verbum Pſal.2. noſtrum, à nobis intelligentibus, quod ore proferimus, prodit: ita Verbũ Patris à Patre intelligente procedat. Docetur ergo modus proceſſionis Verbi Diuini, ſ. intelligendo, &

do,& proferendo. vt neceſſariò,& Sapientia dicatur,& Verbũ. Habes Verbi proceſſionẽ.
Primogenita ante omnem creaturam. Hæc eſt 2
ſecunda Sapientiæ laus. Et licet verum ſit, hanc literam non inueniri in litera Græca: inuenitur tamen in textu quem citat, vt ſacrum, Sixtus Papa. Sacer ergo,& canonicus *Sixtus Pp.*
eſt. Quo tota Arij hæreſis victa iacet. Quomodo enim creatura eſt Sapientia, ſi eſt primogenita ante omnẽ creaturã? Ergo quod Ioannes dicit, In principio erat Verbum. id *Iohan.1.*
eſt, in principio totius mundi, & omnium creaturarum iam erat Verbum. hoc dicit Sapientia de ſe, ſ. ſe eſſe primogenitam ante omnem creaturam. En laudes Sapientiæ à Patre. Sequũtur eius laudes ab effectis ſuis.
Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens. 3
Si in Geneſi dicitur, quòd Deus fecit lucem, *Geneſ.1.*
& Sapientia dicit, ſe lucem feciſſe: ergo Sapientia Deus eſt. Speciatim verò dicit, ſe feciſſe lucem. Cùm enim ipſa ſit lux vera, meminit lucis à ſe factę. lucis ſ. primùm corporalis: ſecundò, lucis legis ſcriptæ: tertiò, lucis *Iohan.1.*
gratiæ: & demum, lucis gloriæ. Porrò cùm dicit, lumen indeficiens, docet, etiam poſt diem Iudicij, lucem non defuturam. *Et ſicut nebula texi omnem terram.* Quidam codices habent, omnem carnem: ſed correcti habent terram, vt & Sixtus legit epiſt.1. Eſt igitur quarta Sapientiæ laus, quòd ipſa texerit terram ad modum nebulæ. eſt enim nebula hoc loco, nominandi caſu. Porrò explicatur hic textus ex Dei verbis apud Iob, *Sixtus Pp.*

Iob 38. dicentis, Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens, Cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Nam cùm facta eſt terra, facta eſt aquis
Geneſ. 1. adoperta. terra verò & aqua cooperiebantur nebula, id eſt, aere hoc noſtro obnubilato. in quibus nebulis gloriatur Sapientia ſe fuiſſe, & eis terram obtexiſſe. ſicut & Spiritus ſanctus ferebatur ſuper aquas. Illuſtriſſimam planè laudem. Niſi enim Sapientia has nubes pluuiarũ genitrices prouidiſſet, de vita animantiũ actum fuiſſet. & portendebatur, quòd ſicut pluuia corporalis eſt vita rerũ temporalium: ita & pluuia Euãgelij eſſet vita in hoc ſeculo rerũ ſpiritualiũ.

¶ *Ego in altiſſimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Deus dicitur, qui in altis habi-
Pſal. 112. tat: ſimiliter Sapientia dicit, quòd in altiſſimis habitet. Planè, Sapiẽtia repleuit orbem
Sap. 1. terrarum, ſicut repleuit ſpiritus Domini. At ſicut Deus, qui vbique eſt, in altis habitat, quia ibi ſuam gloriam oſtendit: ita & Sapientia. At verò quãdo Sapiẽtia venit ad nos, ſ. quãdo operatur in nobis, tunc dicitur habere thronum in colũna nubis. Ita enim di-
Pſal. 17. cit Dauid, Poſuit tenebras latibulũ ſuum, in circuitu eius tabernaculũ eius: tenebroſa aqua in nubibus aeris. Ergo tabernaculum, thronus, & ſedes Sapientiæ collocatur in tenebroſa aqua, & in nubibus, cùm grandẽ ex ſe pluuiam producũt. Porrò portendit hoc Sapientiæ antiquum in nubibus tabernaculum,

lum, eas nubes, in quibus die Iudicij ſuum thronũ habitura eſt. vt ipſa dicit his verbis, Videbunt filium hominis veniẽtem in nubibus cæli, &c. Hæc laus quinta Sapientiæ, quam vide apud Marcellinũ Papam epiſt. 1. *Matth. 24.* *Marcellinus Papa.*

Gyrum cæli circuiui ſola, & profundũ abyßi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti. Apud Iob dicit Deus, Nunquid noſti ordinem cæli, & pones rationẽ eius in terra? & aliquanto ſuperiùs, Nunquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti? & infrà, Nunquid conſideraſti latitudines terræ? Videlicet, quia hęc omnia ſoli Diuinitati conueniũt. At Sapientia, vt quæ Deus ſit, hæc vẽdicat omnia ſibi. Quia videlicet ſua eſſentiâ cõplectitur omnia: ſua ſciẽtiâ videt omnia: ſua prouidentia gubernat omnia, etiã minutiſſimas arenas, abditiſſimos fluctus. vt ſuprà dictũ eſt. Porrò Euariſtus Pp. dicit: Vt nihil nocet Filio, quòd ſolus Pater habitet lucẽ inacceſſibilẽ: ita nihil nocet Patri, quòd eius Sapientia ſola gyrũ cęli circumierit. Nam vtrobique, ſolus, excludit non à perſona: ſed ab eſſentia. ¶ Tu nota: Angeli, & beati ſunt intra conuexum cæli vltimi. At Sapientia extra cælum gyrat: quia cùm ſit infinita, cælo non clauditur. ¶ Hæc ſexta Sapientiæ laus. 6 *Iob 38.* *Eccli 16.* *Euariſtus Pp.* *1. Tim. 6.*

Et in omni populo, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium & humilium corda virtute calcaui. Septima Sapientię laus eſt, (vt Græca litera noſtrã exponit) omnẽ gentem, & populũ poſſedi: & omnes Principes, 7

& ſubditos mea virtute calcaui. vt laudetur infinitas eius potentię, quæ cunctos, quia fecit, poſſedit: & infinitas clementiæ, quę ſuffert ſe offendi, ab his quos vt ſcabellum pedum habet.

Pſal.109.

8 *Et in his omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate eius morabor.* In his omnibus, ſ. populis, & gentibus. Ergo ſenſus eſt: Cùm omnē populum & gentem ſub mea ditione continerem, quærebam tamen in eis, populum, in quo requieſcerem, per amorē ſ. & gratiam. Secunda pars, mihi videtur apoſiopeſis, quę minus exprimat, quàm ſentiat. Senſus eius eſt: In omni populo quęrebam requiem. eſt ne aliquis populus, in quo requieſcam, & in eius hæreditate, polliceor me moraturam? ¶ Habemus hinc, quòd licet, Iudæos, Gentes, Mauros, nunc Chriſtus ſub pedibus habeat, non tamen habet requiem, niſi in populo Chriſtiano. id eſt, in his, quibus ille ineffabilia bona largitur. & vbi dicit ſe vſque ad cōſummationem ſeculi moraturum. vt etiam dęmon egreſſus ex anima ſancta, licet in animabus malis moretur, non tamen habet requiem, donec reuertatur ad domum, vnde egreſſus erat.

Matth.vlt. *Matth.12.*

9 *Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Attende lector Authorem non dicere, Tunc pręcepit mihi: ſed ſolùm, Tunc præcepit. Id eſt, Pater ęternus videns, quòd ſibi optabat Sapientia requiem,

quiem, præcepit intra ſe, decreuit, & animo firmauit. Scit enim Theologus Thomiſta, primum imperiũ eſſe in ratione imperantis, & intra ſe dicentis, Hoc eſt faciendum. Ergo decretũ Patris intra ſe dicentis, Sapientia habitet in Iacob, hoc fuit præceptum. quod nihil arguit dominij in Patre erga filium. Secundò, quod Sapiẽtia dicit, Creator omniũ, & qui creauit me, explicatũ eſt à me ſuprà. c. 1. annot. 4. & 7. Tertiò illud, Requieuit in tabernaculo meo, ne ita accipias, ac ſi Pater venerit ad Sapiẽtiam, & in ea de nouo habitarit: ſed ex Græcis, ſenſus eſt, decreuit circa tabernaculũ, in quo eram habitatura: & in eo decreto requieuit. vt ita intelligatur, requieuit in negotio tabernaculi. Hiſpanè dicimus, Aſſento en eſto. id eſt, firmauit ſe circa tabernaculũ. Dixit igitur Pater Filio, In Iacob ſit requies tua, Iſrael ſit hæreditas tua, & in meis prædeſtinatis mitte radices amoris, & deuotionis. ¶ Vnde colligere eſt, nullum electũ fuiſſe inter Iudæos, qui non habuerit affectum & amorem erga Filiũ Dei. nihil moror, implicitè, an explicitè. Vt verũ ſit, quòd nõ eſt in alio aliquo ſalus, niſi in nomine Ieſu. & verũ ſit, quòd cùm in S. literis mẽtio eſt de Salutari Dei, ſit mentio de Chriſto, qui ſolus eſt ſalutare omnium. ¶ Collige ſecũdò, quòd licet prædeſtinatus, qui eſt in peccato mortali, nõ ferat folia, & fructus amoris: ſentit tamẽ in pectore amoris inſitam radicem. ideo nõ dixit, in electis meis mitte ramos. ſed ſolùm, mitte radices.

S. Thom. 1. 2. q. 17. art. 1.

Eccli 1.

Luc. 2.

10 *AB initio & ante ſecula creata ſum, & vſq; ad futurum ſæculū non deſinam: & in habitatione ſancta corā ipſo miniſtraui.* Senſus eſt: Ego quærebam requiem: Pater mihi dixit, vt requies mea eſſet in domo Iacob. Ego igitur, quæ æterna ſum à parte priore, & æterna à poſteriore, ego inquam poſſeſſionem eius domus cepi, & in ea ſancta domo miniſtraui. ¶ Si Arius dubium mouet in verbo, creata ſum, reſponſum illi eſt ſuprà c.1. annot.4.7. ¶ Tu nota, Sapientiam rectè collegiſſe ex æternitate anteriore poſteriorē. Valet enim collectio, Hæc res æterna eſt anteriùs, ergo & poſteriùs. ¶ 3. Nota, habitationem ſanctam tempore Moyſi fuiſſe tabernaculū teſtimonij: poſtea verò templo fabricato, habitatio Dei fuit in templo. Ibi enim inter duo Cherubim ille ſedebat, in propitiatorio. ¶ 4. Nota, In hac habitatione Sapientia miniſtrabat, dando reſponſa Iudæis: preces eorum audiendo; peccata condonando: ac inde fauendo. ¶ Et 5. nota, non dici, ei miniſtraui: ſed, corā ipſo miniſtraui. Quæris, cui miniſtrauit? neſcio, an dicere audeam, miniſtraſſe hominibus: non ex ſubiectione, ſed dignatione. miniſtrabat tamen, velut læta: velut quæ ita Patri præſenti placeret. ¶ Iam facilè intelligis, reſponſa quæ in tabernaculo olim dabantur, ſpecialiter à Sapientia data fuiſſe. Quia vt Patres nos docuerunt, cùm Deus apparebat olim viſibilis, Sapientia ſeu Filius erat qui apparebat.

Pſal.79.98.

Matth.20.

Concilium Smyrna.

11 *Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſancti-*

ficata

ficata ſimliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Id eſt, non ſolùm in templo habitaui: habitaui etiam in arce Sion. Dictum enim eſt, Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi. erat verò arx Sion, regia Regum Iuda. Nec in arce ſolùm, (inquit) ſed in ciuitate ipſi arci adiacente, quæ vocabatur ciuitas Dauid, ac ideo ſanctificata. Nec ſolùm in hac Sionis ciuitate, ſed in tota ciuitate Ieruſalem, quæ quatuor ciuitates continebat, ideo dicta tetrapolis. Nec in Ieroſolyma tantùm: ſed in toto populo, qui ideo honorificatus eſt, quia fidelis, & amicus Dei eſt. Nam nimis honorificati ſunt amici tui Deus. Planè, vt quos gratia Diuinos effecit. Illud verbum, In partes Dei mei hæreditas illius. eſt difficile. Exiſtimo tamen hũc eſſe eius ſenſum: Ego radices amoris egi in populo honorificato. amat enim ille me. nec fruſtra tamen, nam ideo in partibus, & diuitijs Dei, hæreditatem habet populus ille, qui me amat. clariùs: hæreditas illius populi honorati eſt in partibus & hęreditate Dei. Demum ait, In plenitudine ſeu perfectione Sanctorum eſt detentio mea. ô beatam animæ perfectionem, & virtutum plenitudinem, in qua Diuina Sapientia detinetur! Ergo vbilibet eſſent plenè ſancti, ibi Sapientia detinebatur.

Pſal. 131. 2. Reg. 6. Pſal. 138.

Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion. Quaſi palma exaltata 12

ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Hiericho. Quaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquã in plateis. Si vis & hæc, & ſequentia vno verbo complecti, ita habeto: Sapiẽtia dicit de ſe, quòd habeat omnes perfectiones perfectiſſimas, omnium rerum perfectiſſimarum. Hæc ſumma. cuius duplex eſt ſenſus: & quòd Sapientia has perfectiones habeat; & quòd eas æſtimetur habere. vterque veritas eſt. ¶ Dicenda nunc mihi eſt litera Græca, quæ, pro Sion, habet Hermon: pro Cades, habet Gaddi: pro campis, habet campo amœno. ¶ Quantum ad Hermon, non eſt inter literam noſtram, & Græcam, grande diſcrimen. Nam eſt duplex Sion. Alter in Ieroſolyma, cuius non eſt hîc mentio. Alter ſubiectus monti Hermon, de quo dicitur in Pſalmo: Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. de hoc eſt mentio nobis. ¶ Quantum ad Gaddi, credo literam noſtram eſſe veram. Neque enim memor ſum legiſſe me, in Gaddi eſſe palmas: ſed vineas balſami, quas Cleopatra in AEgyptum tranſtulit. At memoria eſt, fuiſſe in Elim ſeptuaginta palmas. & Cades eſt in deſerto Sin, & prope Sin eſt Elim, vt eſt in tabulis apud Zieglerum videre. Fortè etiam in Gaddi erant procerrimæ palmæ. ¶ De roſis Hiericho dicit Saligniacus, prope fontem Hiericho, quem ex ſalſo dulcem reddidit Eliſæus, in ſpinoſis arboribus pulcherrimos naſci flores, quas roſas Hierichuntinas vocant.

Pſal. 132. *Cleopatra.* *Exod. 15.* *Saligniа, Tomo 9. c. 6.* *4. Reg. 2.*

æ id habent gratiæ, vt nocte natalis Domini ſeſe aperiant, poſtea ſe concludant. ¶ De platanis mira tradit Plinius, dicit enim in Licia platanum fuiſſe, intra quam eſſet ſpecus, vbi 19. viri cœnarent. ¶ His dictis tu lector aduerte, cedrum, cupreſſum, palmam, platanum, celſiſſimas arbores eſſe: ſed cedro conuenit immortalitas: cupreſſo, rectitudo: palmæ, victoria: platano, iucunditas vmbræ: oliuæ, pretium olei: roſæ, odoris gratia. Hæc igitur vniuerſa ſibi adſcribit Sapientia. ſ. quòd cùm ſit rerum omnium celſiſſima, ſibi cõuenit melior immortalitas, quàm cedro: melior rectitudo, quàm cupreſſo: melior vincendi poteſtas, quàm palmæ; melior vmbra, (id eſt, protectio, fauor, & auxiliũ) quàm platano: odor iucundior, quàm roſæ: maius miſericordiꝫ ſuæ pretium, quàm oliuæ. Et quia Chriſtus quod habet, dat, ideo immortalitatem dat ſuis; rectitudinem, iuſtis: victoriam, pugnantibus; afflictis, ſole tentationum, vmbram ſuæ protectionis: deuotis, æternitatis odorem: (nam dictum eſt, In odorem vnguentorũ tuorum curremus) demũ omnibus, ſuæ miſericordiæ oleum largitur. ideo enim Chriſtus, id eſt, vnctus dicitur. ſ. oleo exultationis præ conſortibus ſuis.

Plinius lib. 12. c. 1. · *Matth. 13.* · *Cant. 1.* · *Pſal. 44.*

15 *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris: quaſi ſtorax, galbanus, & vngula, & gutta.* Scio, pro balſamo, in Complutenſi editione legi, palathi: id eſt, maſſam aromatum.

In Germanica verò legi, pro balſamo aſpalathum. Sed vera lectio noſtra eſt. Quia hoc loco Sapientia comparat ſe ijs aromatibus, ex quibus thymiama pretioſiſſimum conficiebatur, quod ſibi Deus in templo offerri iubebat. atqui aſpalathum non ingrediebatur huius thymiamatis confectionem: ſed illa ſeptem, quæ Eccleſiaſticus adduxit in textu. lege Exodi 30. ad finem. vnde noſtro textui lux inuehitur. Sacris enim & Deo dicatis, ijsq; nobiliſſimis aromatibus ſe Sapientia comparauit. ¶ Cinnamomum eſſe inter omnia aromata pretioſiſſimum, aſſerit ex Galeno, Andreas Lacuna ad Dioſcoridē lib. 1. c. 13. Habet porrò Galenus libro de Antidotis hæc verba: Optimū cinnamomum dignoſces, ſi ſit odoratiſſimum, & indicibilem quandam odoris gratiam, ſuper alia aromata referat. ¶ Plinius verò lib. 2. c. 25. dicit balſami odorem omnibus odoribus præferri. ¶ Galenus lib. de Antidoti dicit, Myrrham eſſe gratiſſimi odoris. & certum eſt eam à corruptione corpora præſeruare. eiusq; vtilitates habes apud Dioſcor. lib. 1. c. 63. ¶ Iam licet omnes poſt Dioſcoridē lib. 3. c. 91. tradant Galbanum grauis eſſe odoris, vt refert Amatus ad Dioſcor. lib. 3. c. 95. at ſine dubio Hebręis galbanus erat ſuauis odoris. Vult enim Dominus Exodi 30. vt in cōpoſitionem thymiamatis intret galbanus boni odoris. ¶ Vngula, Græcis onyx dicta, (de qua Dioſcorid. lib. 2. c. 8.) concha eſt, ſub qua piſciculus occultatur. ea expirat ſuauiſſi-

Exod. 30. *Galenus.* *Lacuna.* *Plinius.* *Dioſcorides.* *Amatus.* *Exod. 30.* *Dioſcorides.*

uiſſimum odorem, meliorq́; eſt, quæ è mari rubro aduehitur. ¶ Demum gutta, eſt ſtacte, aliquibus ſtorax, ſeu ſtirax. eſt verò res artificialis: nam myrrha in puluerem redacta, & aqua conſperſa, torno comprimitur. inde expreſſa lachryma, eſt gutta, ſeu ſtacte. de qua Dioſcor. lib. 1. c. 58. dicit eſſe odoratum liquorem grandis pretij, cuius minima particula vim grandem poſſideat. ¶ His conſtitutis, redeamus ad textũ. Non attulit Sapientia alia aromata, præter hæc quæ dicta ſunt: quia hæc, non alia, templo ſeruiebant: atque adeò erant Deo ſacra. vt Exodi, loco dicto, videre eſt. Iam verò quia hæc erant odoris gratiſſimi, atque ideo pretioſiſſima, ideo ſe illis Sapientia confert. Indicans occultè grande ſecretum, ſ. futurum, vt ipſa incarnata ſe Deo in ſacrificium ſuauiſſimi odoris offerret, & in cruce igne charitatis cremaretur: ſicut thymiama cremabatur. atq; ex eo ſacrificio, odor coram Patre ſuauior aſcenderet, quàm ex ſacrificio Noe, & omnibus alijs vnquam aſcendit. Indicans præterea, quòd ſicut his aromatibus conſiciebatur vnguentum, quo omnia in templo vngebantur, & ſancta reddebantur: ita Chriſti Sapientiâ, ſpiritu, & gratiâ vngi debent, quæcunque coram Deo ſancta reddi debent. Neque enim datum eſt ſub cælo aliud nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Dioſcorides. *Geneſ. 9.* *Exod. vlt.* *Actor. 4.*

Quaſi Libanus nõ inciſus vaporaui habitationem meam: & quaſi balſamum non miſtum odor meus. 14

Liba-

Libanus ſolet ſumi pro monte: & pro arbore vnde thus manat: & pro ipſo thure. Hoc loço minimè ſumitur pro arbore: arbor enim ſciſſa thus ex ſe eijcit, vt Plinius habet lib.12.c.14. Sumitur ergo pro thure, quod, vt idem Author dicit, Græci ſtagoniam, & atomum vocant. atomum ſ. id eſt, non inciſum. Porrò vocatur thus non inciſum, cùm hærente lachryma priore; ſequẽs miſcuit ſe. Cui præcipua gratia eſt, vt idem Author habet. Huic igitur gratioſiſſimo thuri Sapientia comparat ſe. Eſt enim thus Deo ſacrum, omnibus gentibus, & ſeculis: cuius odore in feſtis templa replemus, ita vapor odoris Chriſti in cruce ſuſpenſi, repleuit cæleſtem habitationem, ſimul & Eccleſiam ſanctam. Verbo ſequenti indicat, vitam Chriſti, & eius virtutes (quæ in Eccleſia noſtra ſuum ſpargunt odorem) nihil habere miſtũ, nihil adulterinum. Pura enim eſt vita Chriſti. Non eſt inuentus in ore eius dolus. Agnus immaculatus eſt. quis eum arguet de peccato?

Plinius. Iſaiæ 53. Iohan. 1. Iohan. 8.

15 *Ego quaſi terebinthus expandi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Ex Iſaia c.6. in fine, docemur terebinthum magnam arborem eſſe: quæ ſicut quercus in longum tendat ramos ſuos. quod etiã clarius habet Oſeas c.4. ait enim ſub terebintho olim gẽtes ſacrificaſſe, quia bona erat vmbra eius. teſtatur idem Plinius lib.13. aſſerens in Damaſco terebinthos

Iſaiæ 6. Oſeæ 4. Plinius.

naſci

naſci arbores magnas, oleæ flore, licet puniceo. Porrò ex textu noſtro colligitur, terebinthum,& lõgos, & pulcherrimos protuliſſe ramos: Sicut allegoricè de vite dicit Pſalmus,quòd extenderit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines ſuas. Ait nunc Sapientia,ſe in Iudęa fuiſſe,vt terebinthus,quæ longè ramos,id eſt, cultores ſuos extenderit. Non enim in Iudæam ſolam, ſed in multos orbis tractus ſeſe fideles Iudæi effuderant, qui Meſſiæ, id eſt,Sapientiæ incarnatæ aduentum expectabant. Erant verò illi fideles Iudæi rami honoris: quia erãt viri pij,fulgentes inter impios,ſicut luminaria in medio nebulę. Porrò metaphoram de ramis docuit Chriſtus, cùm ſe dixit vitem,fideles verò ſuos,palmites. ¶ Iam Chriſtum eſſe vitem,ipſe de ſe teſtatur. niſi quòd poſt incarnationem dicit, Ego ſum vitis vera. ante eã dicit, Ego,quaſi vitis. Attentione verò dignũ eſt, quod ait, ſe fructificaſſe non fructum vuarum, non virorem foliorum: ſed ſuauem odorem. quod ſtatim explicans dicit,flores ſuos ſuaue olentes, eſſe fructus honoratos, & diuites.ſcilicet, quia ex Chriſto,ex eius ſpiritu, ex eius gratia,& meritis procędunt viri boni, eorum opera ſancta, eorum meritoria verba (nam fructus ſpiritus ſunt, pax, patientia,&c.) Hæc verò quæ ex Chriſto procedunt, in hoc ſeculo flores ſunt: (Sicut & Chriſtus dictus eſt flos, de radice Ieſſe.) in futuro erunt integri fructus. Ita innuitur

Pſal.79. *Iohan.15.* *Eodem.* *Galat.5.* *Iſaiæ 11.*

in

Pſal.91. in Pſalmo dicente de pijs: in atrijs domus Dei noſtri florebunt. Poſtea in aula interiori domus, fructus veri erunt. Ergo ſancti viri ex Chriſto vite prodeunt. vt flores tamen: erunt in cælo fructus, quos libentiſſimè Deus edet.

16 *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* Id eſt, Ego ſum fons, ego ſum arbor, vnde prodit pulchra, nō libidinoſa dilectio. Vnde prodit timor ſanctus, qui permanet in ſeculum. Vnde prodit agnitio tam fidei, quàm prophetica. id eſt, vnde prodit omnis rerū ſupernaturalium infuſa cognitio. Demum vnde prodit ſancta ſpes: non verò ſtulta præſumptio. Igitur charitas, timor, fides, & ſpes ex Sapientia ſpeciatim procedunt. Datur verò charitati primus locus: quia maior horum charitas. & de his eſt præcipua mētio, quia hæc ſunt ſumma religionis. Lector porrò curioſus inſpiciat, an Sapientia, cùm ſe vocauit matrem harum, reſpexerit ad dolores, quibus in cruce has virtutes parturijt. id eſt, promeruit, vt nobis à Patre concederentur?

Pſal.18. *1.Cor.13.*

17 *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Id eſt, Ego intra me habeo omnes gratias, viæ, veritatis, & vitæ: vt nemo eas poſſit habere, niſi per me. Habet igitur Sapientia omne bonum pertinens ad hoc ſeculum, quod eſt via: & futurū, quod eſt veritas. Ita, vt nullus ſperet vitam gratiæ, aut gloriæ, neque etiam virtutem, (quæ vir-

virtutis perfectum nomen habeat) niſi ex dono Sapientiæ. ¶ Doctus lector intelligat, quòd licet Paulus aſſerat omnem gratiam dari à Spiritu, qui diuidit ſingulis prout vult: at noſtro modo intelligendi priùs habet Sapientia has gratias, quàm Spiritus. Siquidem Spiritus accepit poteſtatem eas donandi à Sapientia. dicente Chriſto, Ille (ſpiritus) me clarificabit: quia de meo accipiet, id eſt, quia à me procedit. Adde quòd Sapientia in carne meruit, vt Spiritus has gratias hominibus daret. 1.Cor.12. Iohan.16.

18 *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Concluſio eſt, quæ colligitur ex dictis. Si omne bonum habeo (Sapientia dicit) igitur, O vos omnes quos ex Dei munere, mei amor tetigit, trãſite ad me. Quid dabis tranſeuntibus ad te? A generationibus meis, id eſt, donis, & gratijs, à me procedentibus, implebimini. Quę enim mundus dat, animum mundo maiorem implere nõ poſſunt. At ego dabo vobis Spiritum meum, ſuper mel dulcem, qui ita implebit vos, vt nihil præterea deſideretis, in hoc ſeculo: & in futuro, dabo hæreditatem, quæ eſt ſuper mel & fauum. quibus rebus nihil dulcius, ac ideo futuram gloriam omnibus dulciorem deſignant. ¶ Videare tibi lector Chriſtum audire dicentem, Omnis qui ſitit, veniat ad me, & bibat: flumina de ventre eius fluẽt, &c. Hoc autem dicebat de Spiri- Iohan.7.

tu quem accepturi erant credentes in eum:
Iohan.4. Quod autem dicit, adimplemini, ipſe explicauit Samaritanæ, cùm dixit: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, id eſt, ex ſpiritu, non ſitiet in æternũ. ſ. quia habet ſpiritum dulciorem omnibus rebus. ¶ Tranſite, inquit: quia neceſſe eſt relinquat temporalia, qui implendus eſt generationibus Sapiẽtiæ. ¶ Ait etiam, qui concupiſcitis me. quia adeò difficile eſt mundum relinquere, vt non relinquatur, niſi ab eo, qui Sapientiam concupierit. ¶ A generationibus meis, inquit, quia dixerat ſe eſſe matrem virtutum, ideo ait, Virtutes, ſuas eſſe generationes, quas ipſa ſ. & docuit, & meruit, & præſtat. ¶ Adimplemini. quia animus capax Dei, niſi Deo
Pſal. 80. impleri non poteſt. ideo inquit, Aperi os tuum, & ego implebo illud. ¶ Spiritus meus ſuper mel. Cur igitur indeuoti homines nõ credunt, quòd piæ mentes iubilum ſentiant, & dulcedinem dignam, quam det Spi-
Pſal. 88. ritus ſuper mel dulcis? verè beatus populus qui ſcit hanc iubilationem. ¶ Hæreditas. vt gloria transfigurationis Chriſti col-
Matth. 17. lata eſt niui, & Soli: quia nõ erant alia maiora in hoc mundo, quibus compararetur: ita hæreditatis glorioſa dulcedo comparatur melli, & fauo, quia nihil his eſt dulcius in vita.

19 *Memoria mea in generatione ſeculorum.* Id eſt, Nullum fuit, nullumq́; erit ſeculum, in quo inter homines pios, non fuerit memoria mei. Ab Adam, vſque in finem ſeculi habuit, &

it,& habebit ſuos Diuina Sapientia amatores,qui dicant, Nomen tuum,& memoriale tuum in deſiderio animæ. Nam ſanctis illis patribus Sapiētia apparebat, in ſpecie humana. Chriſtianis apparuit in vera carne. ideo, & hi,& illi Chriſti memoriam habent in deſiderio animæ.

Iſaiæ 26. *Concilium Smyrnæ.*

20 *Qui edunt me,adhuc eſurient:& qui bibunt me, adhuc ſitient.* Quia dixerat,Tranſite ad me,& ſpiritu,ac donis gratiæ ego vos implebo: fortaſſe videbuntur hæ promiſſiones leues: vt carnalibus Iudæis viſum eſt manna cibus leuiſſimus,ac ideo eius tædio afficiebātur: ideo inquit,non afficiet vos tædio ſpiritus meus, vt mel multum afficere ſolet. imò verò qui edunt me, adhuc eſurient. ita enim animus Sapientiam edens, eam deſiderat,ac ſi eam eſuriret. ¶ Nota primò:Sapientia vocat ſe cibum,& potū. Planè quia eſt eminenter omnia,& vir pius credat,hoc loco Sapientiam meminiſſe de ſe, vt futura erat in Euchariſtia,in qua ipſa eſt verè cibus,verè potus. ¶ Nota ſecundò: Si eſt verè cibus & potus, non eſt, quod vltra eam requiras. in his enim vita noſtra continetur. ¶ Nota tertiò rem miram.Sapientia ipſa eſt cibus, ipſa eſt eſuries. Nam qui eam comedit,eam eſurit.Vt enim Deus ſimul eſt vnus, & trinus: miſericors, & iuſtus: ita Sapientia ſimul ſatiat animam,vt nihil vltra eam quærat: ita verò ſatiat,vt ſimul deſiderium ſui ac eſuriem accendat.Non igitur erit vnquam in cælo faſtidium.

Num.21. *Iohan.6.*

12 *Qui audit me, nō confundetur: & qui operātur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitā æternam habebunt.* Miſerum eſt audire, Angelos è

Apoc.12. tanto rerum faſtigio decidiſſe: miſerum

Geneſ.3. etiam, quòd Adam ita deciderit. Miſerum ergo ô Sapientia erit, quòd tui ſectatores, è tanta felicitate, quam eis promittis, dilabantur, atque dilapſi erubeſcant. ¶ Imò, inquit, qui me inſpirantem in anima ſua, audierit, & inſpirationi obedierit, nunquam peccabit, ac ideo neque erubeſcet. Qui enim peccat, non peccat in Chriſto. non peccat, vt membrum Chriſti, nec ex Chriſti, ſed ex diaboli inſtigatione. At is in quo ſemen Dei

1.Iohan.3. eſt, ſi ſeminis ſequatur inſtinctum, peccare non poteſt. ¶ Vltimum verbum promittit vitam æternam Sapientiæ (id eſt, S. Scripturæ à Sapientia inſpiratæ) enarratoribus. modò ne, quam elucidant verbis, obſcurent factis. & equidem videri non poterat, vt tam ſit rebelli animo S. Scripturæ interpres, vt reſiſtat veritati, quam iugiter interpretatur. Maximè cùm Sapientia adeò benigna ſit, vt continenter ferè ſuos elucidatores vocet ad ſe.

22 *Hæc omnia liber vitæ, & teſtamētum Altiſſimi, & agnitio veritatis. Legem mandauit Moſes in præceptis iuſtitiarum, & hæreditatem domui Iacob, & Iſrael promiſſiones.* Hæc (inquit Sapientia) quæ à me hactenus in meam laudem audiſtis, tradit liber vitæ, qui liber eſt teſtamentum Altiſſimi, & eſt cognitio puræ veritatis,

tis, ſine falſitatis admiſtu. Eſt, inquam, lex quam mandauit Moſes: quæ tradit præcepta in ſe iuſtiſſima, & quæ, ſi ſeruauerit homo, iuſtus erit. quam Moſes reliquit in hæreditatem domui Iacob, maxima bona ei promittẽs, ſi eam ſeruaſſet, vt habetur Deut. 28. ¶ Notabit hæc eruditus lector. Petrus referens nobis Chriſti transfigurationem, aſſerit ſe eius teſtem fuiſſe oculatum: ſed habetis, inquit, firmiorem propheticum ſermonem. Ergo firmior eſt propheticus ſermo viſu oculorum. Tanta eſt S. Scripturæ maieſtas, & authoritas. Ita nunc Sapientia, firmiſſima eſſe aſſerit, quæ dixit, vtpote quæ omnia in lege ſint exarata. Quaſi diceret: Si quis ſtultus homo mihi diffidit, ſciat in lege ſcribi, quæ dixi. ¶ Nota ſecundò: Liber Pentateuchi, quem Moſes ſcripſit, tradit omnia, quæ Sapientia hactenus dixit. Egent tamen magnis ingenijs, vt ex illo eruantur. ¶ Nota tertiò, præcepta Moſaica fuiſſe præcepta iuſtitiarũ. Dicente Paulo, Qui ſeruauerit ea homo, viuet in eis. licet ferè nullus ea ſeruaret, qúia lex infirmabatur per carnem, vt idem Paulus ait. ¶ Nota quartò: Lex illa fuit piorum hæreditas. dicente Dauid, Portio mea Domine, ſeu hæreditas, dixi cuſtodire legem tuam. Eadem non ad literam, ſed in ſpiritu hæreditas noſtra eſt.

Galat. 3.
Deut. 28.
2. Pet. 1.
Galat. 3.
Rom. 8.
Pſal. 118.

23 *Poſuit Dauid puero ſuo, excitare regem ex ipſo fortiſſimum, & in throno honoris ſedentem in perpetuum.* Hanc clauſulam Græca non habent.

Lyranus. Legit eam tamen Lyra. & tantò Rabanus
Rabanus. antiquior: & tantò Rabano Gloſa interlinearis antiquior. ſiquidem ex ea gloſa Rabanus accepit. Cùm autem Concilium Trident. iubeat hanc etiam particulam, vt canonicam haberi, vt canonicam habemus. Et planè eius phraſis Hebraiſmum apertiſſimè redolet. Senſus eſt: Statuit Deus Dauidi, ſe excitaturum, ex ſemine Dauidis, regem fortiſſimũ, qui in honoratiſſimo throno in perpetuum ſederet. ¶ Manifeſtũ verò eſt, verba hæc non Salomoni, nec vlli alij, præter Chriſtum, poſſe conuenire. ſolus enim Chriſtus eſt, qui in throno ſedet in perpetuum. ¶ Si locum requiris, vbi poſuerit Deus Dauidi, ex eo Regem Chriſtum ex-
Pſal.131. citaturum, habes Pſal.131. Iurauit Dominus, ait, Dauid veritatem, &c. Idem habes Pſal.
Pſal.88. 88. ¶ Si quæris, vbi dicatur Chriſtus Rex
Pſal.2. fortiſſimus, inuenies Pſal.2. vbi dicitur, Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figu-
Iſaiæ 9. li confringes eos. & apud Iſaiam, Vocabitur Deus, fortis. ¶ Quomodo verò ſedeat in
Pſal.109. throno honoris, docet Pſal.109. dicit enim Pater Filio, Sede à dextris meis. Tu verò ne quæras thronũ honoratiorem. ¶ Demum, quomodo Chriſtus in eo throno ſedeat in
Pſal.44. perpetuũ, tradit Pſal.44. Thronus, inquit, tuus Deus, in ſeculum ſeculi. quod etiam eſt
Iſaiæ 9. apud Iſaiam, dicentem, Sedebit ſuper ſoli-
Heb.1. um Dauid, in ſempiternũ. quæ vſurparunt,
Luc.1. Paulus ex Pſalmo, Angelus, ex Iſaia. ¶ Iam verò poſtquam Sapientia de ſua Diuinitate

tanta

tanta dixiſſet, nunc accedit propiùs ad loquendum de ſua humanatione. id eſt, de ſe, quatenus homo futurus erat. Quaſi diceret, quia Pater meus Dauidi promiſit, me ex eius ſemine Regem oriturum fortiſſimum: iam tempus eſt, vt eam promiſſionem opere præſtet.

Qui implet quaſi Phiſon Sapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum: qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meßis. Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aßiſtens quaſi Gehon in die vindemiæ. Ante omnia ſtatuamus lectionem textuș noſtri, forſan ex ea obſcuriſſimi textus intelligentia incipiet ſplendere. ¶ Illud verbum, qui implet, non habet referri ad Regem fortiſſimum. Nam Græcis Regem eſt in accuſandi caſu, ſed, qui adimplet, eſt caſu nominandi. Neceſſariò igitur referri debet ad Deum, qui poſuit Dauidi, &c. hoc ſcientibus Græcè manifeſtum eſt. ¶ Secundò, legendum eſt Sapientiam, accuſandi caſu: non verò Sapientiâ in ablatiuo. quia ſtatim ſubditur eodem ordine verborũ, qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum. qui mittit diſciplinam vt lucem. Ergo textura no[illegible]æ literę eſt hęc: Deus implet, 1. Sapientiam, 2. ſenſum, 3. & diſciplinam, vt illi fluuij quinque, qui hoc loco recenſentur. ¶ Iam tertiò, cùm diſciplina, & ſenſus, ſint res in hominibus creatæ, ſine dubio etiam ſermo hoc loco eſt de ſapientia creata, nõ verò de increata. Nam

Sapientia increata nullo modo vacua res eſt,vt poſſit impleri. ¶Accedamus nunc ad textum. Senſus eius eſt: Promiſit Pater ſe excitaturum Regem fortiſſimũ,(ſ.me, humanitati coniunctum) tempus nunc eſt vt id præſtet,& præſtans,implet iam,1.Sapientiam, (quam initio huius libri dixi, eſſe diuinam dilectionem) nõ parciùs: ſed abundantiſſimè: vt abundantiſſimæ ſunt Phiſonis & Tigridis aquæ. Impletetiã 2.ſenſum ſanctorum copioſiſſimè, quàm ſunt copioſæ aquæ Euphratis & Gehonis. Demũ mittit 3. diſciplinã Chriſtianã, tam largè,tam ſubitò,tam purè,quàm oriens Sol ſuam lucem mittit in orbem. ¶ Vbi notabis,vt plena tibi huius loci cognitio fulgeat, dictum eſſe à Ioanne, Spiritus nondum erat datus, quia Ieſus non erat glorificatus. Ergo diuina dilectio,ſenſus ſanctorum,& Euangelica diſciplina, necdum in ea abundantia erant mortalibus conceſſa,quã per Chriſti incarnationem in die Pentecoſtes fuerunt exhibita.Igitur in die Pentecoſtes hic textus impletus eſt. Quo Pater impleuit verã in cordibus hominum ſapientiam, ſeu ſapidam ſcientiam. Quo datus eſt ſenſus,vt Apoſtoli intelligerent Scripturas.Demum quo diſciplina ſpiritualis, velut lux orbi exorta eſt. Nam eatenus manca videbantur, 1. Sapientia,2.ſenſus, 3. diſciplina: tunc verò impleta ſunt, & multiplicata, magnoq; impetu ſunt in Chriſtianos effuſa,quemadmodum magno,& largiſſimo impetu horũ quinque fluui-

Eccli 1.

Iohan.7.

Luc.vlt.

fluuiorum aquæ decurrunt. ¶ Nota primò, Sapientiam hoc loco attuliſſe quatuor paradiſi fluuios (ſacros ſ.) quia è fonte paradiſi deriuantur. *Geneſ. 2.* Attuliſſe etiam Iordanem ſacrum, maximè eo tẽpore, quo tranſeunte arca per eum, eius aquæ intumuerunt. *Ioſue 3.* Attulit igitur fluuios ſacros: vt ſacratiſſimi Spiritus, gratiæ, & donorum fluxũ in Apoſtolos, illis compararet. ¶ Nota ſecundò, Phiſon fortaſſe non eſſe Gãgem, vt animaduertit Eugubinus, in 2. cap. Geneſis. *Eugubinus.* Neque Géhon eſſe Nilum, vt idem habet. Si obijcias, Textus ait, Gehon circuit terrã AEthiopiæ, *Geneſ. 2.* quam circuit Nilus. Reſpondebit Eugubinus, & Vatablus, Gehonem circumire terram AEthiopiæ Orientalis, *Geneſ. 2.* vnde Moſes duxit vxorem, non verò AEthiopiam Auſtralem, *Num. 2.* quam Nilus alluit. Memor ſum legiſſe me in Auicenna, & in eius explanatore Alpago, in regione Coraſena (ſeu Caraſena) quæ non longè diſtat à Perſia, eſſe fluuium, Nilo multò maiorem, qui vocatur Gehon. Quem Arabes vna conſenſione dicunt, eum vnum eſſe ex quatuor illis fluuijs paradiſi. Vide Alpagum in verbo Gehon. ¶ Neſcio verò an docti patientur Phiſon eſſe Phaſen. qui ſua magnitudine dignus eſt, qui ex paradiſo oriri dicatur. Oritur etiam in Armenia, vnde ferè Tigris & Euphrates naſcuntur. Lege Strabonem lib. 11. *Strabo.* vtcunque ſit, neſcitur qui fluuij ſint Phiſon, & Gehon: & propterea, neſcimus etiam, quomodo intumeſcant tẽpore vindemiæ. In Hiſtoria mea

hanc rem clariùs & certiùs tracto. ¶ Nota tertiò, Tigrim aliquando intumeſcere, vt *Plinius.* Plinius habet lib.6.c.27. & hîc Author noſter tradit, videlicet menſe Martio, qui vocatur menſis nouorũ. eo enim omnia velut noua naſcuntur. ¶ Quòd verò diſciplina *Pſal.18.* Euangelica ſit lux, non eſt obſcurum. Eſt *Pſal.118.* enim lex lux. & præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. & lucerna pedibus verbum.

25 *Qui perficit primus ſcire ipſam, & infirmior non inueſtigabit eam. A mari enim abundabit cogitatio eius, & conſilium eius in abyſſo magna.* Laudat Sapientia increata creatam Sapiẽtiam, (de qua nunc dixerat) quam Pater, per Filij merita, daturus erat hominibus: dicẽs, eam eſſe tantam, vt quãta ſit, ſolus Pater cognouerit: & nullus Deo minor, aut infirmior, eam inueſtigare poſſit. cùm enim ſit res ſupernaturalis, nullo modo natura viribus *1. Cor.2.* ſuis eam intelligat. dicente Paulo, Sapientiam loquimur in myſterio, quam nullus principum huius ſeculi cognouit. & dicen- *Baruch 3.* te Baruch, Non eſt qui poſſit ſcire vias eius, neque qui exquirat ſemitas eius: ſed qui ſcit omnia, nouit eam, &c. Ergo ſenſus eſt: Deus eſt, qui primus perfectè ſcit Sapientiam, & nullus Deo infirmior, ſeu minor, inueſtigabit eam perfectè. Quæris cauſam, cur Sapientia Chriſtiana comprehendi nequeat, ſubdit Sapientia. quia eius cogitatio maior eſt quàm mare. Id enim ex phraſi Hebræa ſignificat, abundabit à mari cogitatio eius.

eius.& conſiliũ eius (ait) magnam abyſſum penetrat. Videlicet, quia Spiritus omnia I. Cor.2. ſcrutatur, etiam profunda Dei. & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei. Nos autem ſpiritum Dei accepimus: vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. Ergo Sapientia Chriſtiana Dei occulta rimatur, quæ altiora ſunt quàm mare. Placeat etiam ſenſus hic literæ: Sapientia Euangelica à mari Diuinitatis ortum habet: & ideo conſilium eius eſt in eadem diuinitatis abyſſo. quis igitur niſi Deus eam cognoſcet?

Ego Sapientia effudi flumina. 2. Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio: 3. ego quaſi fluuius dorix: 4. & ſicut aquæductus exiui de paradiſo. 26
Primum membrũ ex his quatuor id ſignificat: Licet Deus initio mundi diuiſerit flumina paradiſi ad irrigãdam terram, eadem Geneſ.2. tamen flumina ego Sapientia cum Deo effudi. Iuxta verbum eiuſdem Sapientiæ, cum eo eram cuncta componens. etiam cùm librabat fontes aquarum. Prouer.8. Rurſum cùm Pater flumina Euangelicæ doctrinæ, per Apoſtolos effudit in orbem, eadem cum Patre Sapientia effundebat, iuxta illud, Pater vſq; Iohan.5. modò operatur, & ego operor. ¶ Secũdum membrum indicat, Sapientiæ à Patre proceſſionem. Pater hoc loco vocatur fluuius, vnde omne eſſe in vniuerſa fluit. Ex hoc fluuio primus trames fluens, eſt Filius, in quem ex Patre, vniuerſa Diuinitas deriuatur. quod cõſultiſſimè dicit Sapientia de ſe. Ait enim, ſum trames aquę, non menſuratę,

& finitæ: ſed immenſæ. ſ. cui immenſa Diuinitas communicatur. ¶ Tertium membrum eſt difficilimũ, quia nullum ſcimus fluuium, qui dicatur Dorix. Rabanus, Iſidorus, Eugubinus volunt, quòd Dorix ſit Araxes: ſed nullo id Authore probato confirmant. Et equidem Dorix fluuius eſt ignotus: & cuius nulla, aut in ſanctis, aut in prophanis literis mẽtio habeatur. Græca exemplaria, pro Dorix, habent Diorix. quod foſſam, ſeu alueum, per quem fluuius deducitur, ſignificat. & libri multi Latini in margine hanc lectionem notãt, pro fluuius Dorix, dicentes legendum, quaſi diorix à flumine. id eſt, vt foſſa à flumine plena. Quæ videtur pulcherrima lectio. quaſi Sapientia diceret, Non ſum ego flumen, id eſt, nõ ſum ego Pater: ſed ſum foſſa plena aqua, ex flumine, id eſt, Patre deducta. vt diſtinctionem perſonarum hoc verbo Sapientia cõfirmet. & in hunc ſenſum lectio noſtra debet inclinari, vt idem ſit dorix, & diorix. ¶ Si cui placeat, pro Dorix, intelligere Araxen, iam textui noſtro lux affertur ex Strabone, dicente Araxen, olim è ſuo fonte egreſſum, per campũ Araxinum effuſum: cumq́; non inueniret locum per quem efflueret, eum campum repleuiſſe: tãdem facto, per quem erumperet, loco, in Caſpium mare excurriſſe. Ita planè Sapientia, cælum, & Angelos, velut cæleſtem campũ impleuit. Inde verò in mare orbis noſtri ſe deriuauit. ¶ Quartum membrum eũdem ſenſum cum ſecundo &

Iſidorus. *Rabanus.* *Eugubinus.* *Strabo.*

do & tertio habet: niſi quòd ſignificantio-
ribus id verbis affirmat. Pater, eſt paradi-
ſus: fluuius inde egrediens, eſt Filius, ſeu Sa-
pientia. egreditur verò, non velut primari-
us fluuius, is enim eſt Pater: ſed velut aquę-
ductus, ſeu trames, ſeu foſſa. Iuxta illud,
Verbum erat apud Deum. id eſt, Sapientia Iohan.1.
apud Patrem: non Pater, ſed ex Patre. &
iuxta illud, Ego ex ore Altiſſimi prodiui. Eccli 24.
Dixi, Rigabo hortum meum plantationum: & 27
2 inebriabo prati mei fructum. 3. Et ecce factus eſt
mihi trames abundans: 4. & fluuius meus appro-
pinquauit ad mare. Quoniam doctrinam quaſi an-
telucanum illumino omnibus: 5. & enarrabo illam,
vſque ad longinquum. Quia Sapientia dixit ſe
eſſe tramitem aquę immẽſæ, manifeſtat no-
bis decretũ ſuum eſſe, vt ſicut Diuinitas ex
Patre fluxit in Filium: ita ex filio fluat, ſuo
modo, in Eccleſiã. Hoc ait: Rigabo hortum,
ſ. Eccleſiam. hæc vocatur hortus plantatio-
num: quia in eo plantantur fideles, qui ſunt
velut plantæ, de quibus habes in Canticis. Cantic.5.
habes in Pſal. cùm dicitur, Plãtati in domo Pſal.9.
Domini, in atrijs domus Dei noſtri flore-
bunt. & rurſum, Erit tanquam lignum, Pſal.1.
quod plantatũ eſt ſecus decurſus aquarum.
¶ Quod ſecundò dicit, inebriabo, notat pri-
mùm, aquã Spiritus ſancti, & gratię, quã Sa-
pientia rigat Eccleſiam, (quæ pratum eſt)
aquam eſſe ad rigandũ: & vinum, ad inebri-
andum. quod autẽ dicit, inebriabo fructũ,
notat plantas Eccleſiæ, nõ eſſe ficus, ſola fo-
lia habentes, vt erant olim Phariſęi: ſed eſſe Mar.11.
fructi-

fructiferas, fructus Spiritus ferentes, quos
Epheſ.5. Paulus enumerat. Notat tertiò, tunc maxi-
Actor.2. mè pios à muſto Spiritus inebriari, cùm fructus ferunt. ideo inquit, inebriabo fructum. Si vis videre ebrietatem hanc, martyrum feruorem conſidera. ¶ Tertium & quartum membrum docent, non fuiſſe ſterilem prædicationem Euangelij: ſed quòd abundauit, & facta eſt velut mare. ô rem ineffabilem! fluebat doctrina Euangelica, & in ea quodāmodo Spiritus, & Chriſtus. obſtabant huic fluxui omnes dæmonum, Imperatorum, militum, & totius orbis vires extentæ. at his omnibus inuitis, vt mare totam vallat, & circundat terram: ita vita Chriſtiana, & ipſe Chriſtus totum circun-
Rom. 10. dedit orbem. Siquidem in omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. ¶ Vltimo membro declarat præcedentia. dixerat, quòd eius fluuius appropinquauit ad mare. quæris quomodo? ſ. quia profero doctrinam meam omnibus.
Matth.24. iuxta illud, Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe. ac ideo enarrabitur vſque ad longinquum. Planè vſque ad eas regiones, quarum nulla hactenus habebatur notitia. ¶ Sed nota doctrinam hanc proferri, vt antelucanū, id eſt, vt aurora: non vt meridies. quia prædicatio Euangelij eſt obſcura: eſt enim fides, nō viſio. tum admiſcetur tenebris perſecutionum & tribulationum.

28 *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperan-*

ſperantes in Domino. Non contenta Sapientia, per ſe, & Apoſtolos orbem terrarũ viſitaſſe, & illuminaſſe, deſcendit etiam ad inferos. vbi aſpectu terribili inſpexit damnatos, at viſitauit, & illuminauit lumine gloriæ ſuæ omnes, qui ibi ſperabãt in Domino. ¶ Nota primùm, ipſam Sapiẽtiam, iunctam animę in triduo mortis penetraſſe omnia receptacula inferni. ait enim, penetrabo omnes inferiores partes. ¶ Nota ſecundò, terribili forma oſtendiſſe ſe dãnatis. hoc enim ſignificat, inſpiciam omnes dormientes. iuxta illud, Qui reſpicit terram, & facit eam treme- *Pſal.* 103.
re. ne verò putaretur, ſe terrifico vultu pios inſpexiſſe, addit, 3. quòd illuminabit vultũ ſuum ſperantibus in Domino. ¶ Nota tertiò, lumine glorię illuminatos pios in Limbo, vbi etiam latro eo die fuit in paradiſo, id eſt, vidit lumen gloriæ. id notat verbum illud, illuminabo. ¶ Nota quartò, etiam animas quæ tunc erant in Purgatorio, eo fuiſſe lumine gloriæ perfuſas. nam ait, illuminabo omnes ſperantes in Domino.

Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, 29
& relinquam illam quærẽtibus Sapientiam, & non deſinam in progenies illorum vſq; in æuum ſanctũ. Videor mihi audire Chriſtũ dicentem, Ego *Matth. vlt.*
vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Non igitur ceſſabit vnquam prædicatio Euãgelij exteriùs: & prędicatio Chriſti interiùs, vſque ad æuum ſanctum, id eſt, æternitatem. ¶ Nota, doctrinam Euangelicam paris eſſe authoritatis cum prophetia.

ideo

ideo ait, doctrinã quaſi prophetiam. vtraque enim à Spiritu ſancto immediatè proceſſit. nam Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. ¶ Nota ſecundò verbum illud, quærentibus Sapientiam. Si igitur Iulianus apoſtata, & alij infideles, nõ habent Euangelium, vt prophetiam, cauſa eſt, quia non quærunt illi verè ſapientiam. nam eam quærentibus, Euangelium vt prophetia eſt. ¶ Nota tertiò, mundũ hunc non vocari æuum ſanctum: quia totus mundus in maligno poſitus eſt. At æternitas beata, in quam nihil coinquinatũ ingreditur, æuum ſanctum eſt.

2.Pet.1. 1.Iohan.5. Apoc.21.

30 *Videte quòd non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem.* Nullum grãdius epiphonema ferè potuit à Sapientia dici. O mortales, veni in mundum, ô quam in eo laboraui! laboraui porrò in gloriã Patris, & in commodum veſtrum, ſi veritatem inquiratis. ne cõmittatis ergo, vt ego fruſtrer propoſito meo, & vos tãto cõmodo veſtro.

CAPVT XXV.

PRIMA PARS.

De verè bonis & malis.

1 IN *tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrũ, & amor proximorũ, & vir & mulier bene ſibi conſentientes.* Fratres dicuntur conſan-

conſanguinei, ex Hebræa phraſi. vt illud, Moſes vidit virum AEgyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis. Exod.2. Proximus dicitur, cui beneficium conferre potes. vt docuit Dominus in parabola Samaritani, qui vulnerato curam impertiuit. Luc.10. Porrò eam concordiam, & amorem hîc intellige probari, quæ in bono eſt. alioqui ſi frater, proximus, aut coniunx ad malum Matth.10. prouocat, odiendus eſt. Qui enim non odit Luc.14. patrē ſuum & matrē, & vxorem, & filios, & fratres & ſorores, adhuc autem & animā ſuam, nō poteſt eſſe meus diſcipulus. ¶ Digniſſimū verò eſt, vt hæc tria omnibus probentur, vt quæ difficilima ſunt. adeò ſunt quædā vxores moroſæ, proximi iniqui, fratres prefracti. Ideò enim dixit Dominus, Caucte ab hominibus. Matth.10. & homines grauiſſimum onus dixit eſſe Dauid, Impoſuiſti homines Pſal.65. ſuper capita noſtra. Atverò in hac cōcordia ſalus domorū, vrbium, & regnorū ſita eſt.

Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde anima illorum: Pauperem ſuperbum: diuitem mendacem: ſenem fatuum & inſenſatum. 2 Aggrauor animæ illorum, id eſt, magnopere ſum illis infenſus: moleſtè fero quòd in hoc ſeculo viuant. Siquidem paupertas deprimit: quæ ergo cauſa eſt, vt ſuperbiat? paupertas mentiri aliquādo facit, cur ergo diues mentiatur? ſenem experientia facit prudētem, cur ergo fatuus erit? Planè tria hæc mōſtra in moribus ſunt: nimis ergo odiēda ſunt. & vt naturæ monſtra breuis ſunt vitæ, ita hæc

monſtra

monſtra moralia breui viuere deberent.
3 *Quæ in iuuentute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies? 2. Quàm ſpecioſum canitiei iudicium,& presbyteris cognoſcere conſilium! 3. Quàm ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus, & conſilium! 4. Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Quia dixerat, fatuum ſenem eſſe intolerandum: tradit, quàm pulchrũ ſit eum eſſe peritum. Et prima pars ad ſenes eſt referẽda. O ſenex fatue,ſi in iuuenta non cõparaſti iudicium, quomodo id habebis in ſenecta? In ſecunda parte, intellige presbyteros ſignificare ſenes. dicet ergo ſpecioſum eſſe ſeni, vt valeat iudicio: inde enim valebit & conſilio. Idem habet tertia pars, addens ſpecioſam eſſe in veterano,ſeu ſene ſapientiá, acumen; & conſilium. In quarta parte notatur periculoſum eſſe ſenum iudiciũ, niſi timorem
2.Reg.15. Dei comitem habeat: vt fuit periculoſum
Num.24. conſiliũ Achitopheli,ſimiliter & Balaam.
4 *Nouem inſuſpicabilia cordis magnificaui,& decimum dicam in lingua hominibus: 1. Homo qui iucundatur in filijs. 2. Viuens & videns ſubuerſionem inimicorum ſuorum. 3. Beatus qui habitat cum muliere ſenſata. 4. Et qui in lingua ſua non eſt lapſus. 5. Et qui non ſeruiuit indignis ſe. 6. Beatus qui inuenit amicum verum. 7. Et qui enarrat iuſtitiam auri audienti. 8. Quàm magnus qui inuenit ſapientiam! 9. & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominũ. 10. Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.*
Beatus

Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſsimilabitur? Timor Dei initium dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum eſt ei. Id eſt, Nouem ſunt, quæ cor noſtrum credit eſſe bona, in quibus nihil ſuſpicatur eſſe mali: quę & ego (inquit) magnificaui: ſed decimum tamen eſt, quod omnibus prædico, & cõmendo. ¶ 1. eſt, Filios optimos habere, è quibus pater non dolorem, ſed iucunditatem cõtinuam accipiat: qui ſint velut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ. hi enim filij ſunt hæreditas Domini. &c. quòd ſi filij carnis tales, beatum patrem reddunt, quid filij ſpirituales? ¶ 2. eſt, Videns ſubuerſionem inimicorũ. Dictum erat in lege, Odio habebis inimicum. ideo felicitas erat eorũ cladem vidiſſe. vt illud, Inimicos meos dediſti mihi dorſum. & videam ego vltionẽ ex inimicis meis. Id verò maximè, cùm inimici noſtri, inimici ſunt etiam religionis, & eam ſubuertere contendunt. ¶ 3. Beatus eſt, cui cõtigit ſenſata mulier: vt Dauidi Abigail. Dixit porrò Salomon, Prudens mulier eſt donũ Dei. Sed planè talem mulierem quis inueniet? procùl eſt enim, & de vltimis finibus pretium eius. Quanta verò ſit felicitas, vxorẽ habere ſenſatam, docet, quanta ſit miſeria fatuam habere. vt ſtatim dicetur. ¶ 4. Beatus eſt, qui lingua ſua non eſt lapſus. de quo dixi ſuprà c. 14. alluſit huc Iacobus dicẽs, Perfectus eſt, qui nõ offendit lingua. ¶ 5. Beatus qui non ſeruiuit indignis ſe. Miſerum fuit Ioſepho

Pſal. 127. *Pſal. 126.* *Matth. 5.* *Pſal. 17.* *Ierem. 11.* *Prouer. 19.* *Prouer. vlt.* *Eccli 14.* *Iacob. 3.*

Geneſ.39. ſuæ dominæ ſeruum fuiſſe. miſerum fuiſſet
Geneſ.31. Iacob ſocero ſeruiſſe,niſi eum Dominus cohibuiſſet. Beatum verò erit,dignis ſeruitio, ſeruire: vt Regibus ſanctis: principibus deuotis. O igitur quàm beatum erit ſeruire Deo! quàm indignum ſeruire diabolo, aut
2.Pet.2. peccato! nam qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati. ¶ 6 Beatus qui inuenit amicum ve-
Eccli 6. rum. dixi de hoc ſuprà c.6. O quàm beatior erit cui Deus contigit amicus! nam id no-
Iohan.15. men ipſe nō dedignatur. ait enim, Vos dixi amicos,&c.At tantò beatior eſt,qui inuenit amicum verum, quantò eſt ille rarior. Arbor quæ amicos veros proferebat, à radicibus aruit. fons ex quo veri amici manant, ſiccatus eſt. ¶ 7. Beatus qui enarrat iuſtitiam auri audienti. Ita planè, eò enim Chriſtus venit in mundum,vt iuſtitiam enarret animabus audituris,& obedituris. Ita Iudęi
Matth.23. circuibant mare, & aridam, vt vnum inuenirent, cui enarrarent iuſtitias Dei: licet ex
Iacob.vlt. alia parte infeliciter. Dicit Iacobus, Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ,ſaluabit animam eius. At nihil præclarius lucraberis,quàm ſi lucreris fratrem tuum. ¶ 8. Quàm magnus qui inuenit ſapientiam? Sumitur hic Sapientia pro inſigni re-
Eccli 1. rum Diuinarum cognitione,vt ſuprà c.1.di-
1.Cor.13. cebam.Quod Paulus dixit,Si nouerim my-
1.Cor.12. ſteria omnia.& item,Alij datur ſermo ſapientiæ,alij ſermo ſcientiæ. At dixit Ariſtote-
Ariſtoteles. les, Pulchrius eſſe de rebus diuinis,quanuis pauca noſſe,quàm de humanis multa.Quātò igi-

tò igitur diuinius, multa de diuinis cognouiſſe? ¶ 9. Magnus etiā qui inuenit ſcientiā. Dixi ſuprà c. 1. Scientiā eſſe cognitionem rerum naturaliū: qualis eſt Philoſophia. & ſine dubio, magnus eſt, qui nouit multa de cœlis, animalibus, plantis, metallis, lapidibus. Nam ſi Beſeleel mechanicus, magnus eſt habitus, quantò potiùs Philoſophus? Sed nec Philoſophus, neq; Theologus maior eſt timente Dominum. ô hominū corruptiſſima iudicia! Timens Deū, quem vos cōtemnitis & perſequimini, omnibus rebus humanis maior eſt. ¶ 10. Timor Dei altiùs omnibus volauit. Nihil hoc loco de timore ſeruili, vt c. 1. dicebamus: ſed de filiali, qui ita Deum reueretur, & tremit, vt omnino eū offendere exhorreſcat. Hic timor beatū timentē facit, & non eſt opis humanæ, ſed cæleſtis. Dei enim donum eſt. ita enim dicit Author, cui donatū eſt habere timorē Dei. Cùm igitur timēs Deū altior ſit alijs, cui poterit aſſimilari? Altior Theologo eſt, ſi careat timore: altior propheta, carēte timore. vt Paulus de eo qui caret charitate pronuntiat. Vides lector de timore caſto & filiali eſſe mentionē? ¶ Non eſt porrò leue penetrare, quomodo hic timor ſit initium dilectionis Dei, cùm Theologi, & veritas doceāt, timorē cauſari & effici ab amore? eſt enim amor omniū affectuū primus. Ego ſic dicerē: Sicut vapor eſt cauſa pluuiarū, & pluuiæ cōtrà, vaporū: ita dilectio Dei cauſat timorē eum offendendi, & timor ac reuerentia cauſat dilectionem.

Exod. 31. 36.

Eccli 1.

1. Cor. 13.

Tho. 2. 2. q. 19

Aut certè, dilectio effectiuè eſt initium timoris: diſpoſitiuè tamen timor eſt cauſa, & initium maioris dilectionis. Caietanus ſuper arti.2. q.22. Secundę ſecundę S.Tho. dicit, Timorem filialē complecti amorem, & reuerentiam. erit ergo initiū, id eſt, ſumma comprehendens dilectionē. ¶ Rurſum neque eſt leue dicere, quid ſit, quòd fidei initium agglutinandū ſit ei. Sed ſenſus videtur: Vt timor ſit initiū dilectionis, agglutinandum eſt ei initium fidei. Id eſt, primū initium eſt fides. ex hac cōcipitur timor. hic eſt cauſa dilectionis. ſanè quia ſine lumine fidei, nec timetur, nec amatur Deus, vt debet.

Caietanus.

SECVNDA PARS.

De mala muliere.

5 *Omnis plaga triſtitia cordis eſt: & omnis malitia, nequitia mulieris.* 2. *Omnem plagam, & non plagam videbit cordis: & omnem nequitiam, & non nequitiā mulieris:* 3. *& omnem obductum, & non obductum odiētium: & omnem vindictam, & non vindictam inimicorum.* Primi membri ſenſus eſt: Triſtitia cordis eſt plaga & miſeria vniuerſalis, claudens in ſe & ſuperans omnem triſtitiam: ita & malitia mulieris omnem & claudit, & ſuperat malitiam. Si enim ſemel ſe mulier nequitiæ tradidit, & proſtrauit, nullam non malitiam admittit. vt verbi gratia, ſi adultera eſt, ab ea expectato veneficia, furta, homicidia, &c. ¶ Secundum membrū explicabis ita: Quanuis plagam videbit, & patietur homo: at plagam

cordis minimè patietur. ita quanuis nequitiam tolerabit, modò ne mulieris. nam reliquæ plagæ exteriores ſunt, & ſi ad cor non penetrant, facilè ferri poſſunt: ita nequitia vxoris interius malum eſt, atque ideo intolerabile eſt. Quis te obſecro Claudij Meſſalinam ferat? Certè Cæſar ſuam Pompeiam minimè tulit. ¶ In tertio membro intellige obductum ſignificare obductionem, quę, vt ſuprà c. 2. dictum eſt, ſignificat eam preſ- Eccli 2. ſuram quæ vndique obſidet, & obducit, vt inde nullus patére videatur exitus. Senſus igitur eſt: Omnem preſſuram, modò ne odientium, pati facile eſt. Si, qui te obſident & premunt, carent odio tui, facilè placabuntur à te. Ita & ſi pater, ſi conſanguineus vindictam ſumit à te, ſine inimicitia, vindicta facilis erit. O quantum miſeriæ igitur erit pati obductionem, & vindictam à dæmonibus? qui ſunt adeò inimici, & tantopere nos odio habent. Fleuit Chriſtus quòd Ieroſo- Luc. 19. lymam inimici circundaturi eſſent vallo: an non magis, quòd dæmones animam?

Non eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. 2. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequã. 3. Nequitia mulieris immutat faciem eius: & obcæcabit vultum ſuum tanquam vrſus: & quaſi ſaccum oſtendet, in medio proximorum. 4. Ingemuit vir eius: & audiens ſuſpirauit modicum. 6

¶ In primo mẽbro, caput colubri, aut ſignificat ſerpentem, qui primos parentes tam Geneſ. 3.

 miſe-

miſerè, è paradiſo deiecit: aut ſignificat caput baſiliſci, qui videndo occidit. Tu verò intellige ſermoné eſſe non de ira bonæ mulieris: ſed eius, quæ ſe malitiæ dedit. de qua
4.Reg.11. ſermo inſtitutus eſt. vt erat miſerãda Atha-
4.Reg.9. lia, Iezabel, & ſimiles. Neque ſermo eſt de quauis mulieris ira: ſed de continua. quod ſequens membrum declarat. ¶ Secundum membrum verificatur ita; Multi tractant cum leonibus: vt hi, qui eos alunt, & curãt. arte enim feræ manſueſcunt. At quomodo habitabis cum muliere, quæ continuò rixatur? ¶ Tertium membrum eſt difficile. Prima pars explicatur ita: Nequitia mulieris ex blando vultu toruum, furentem, & rabidum facit. Secunda pars accipit lucem ex
Plinius. Plinio lib.8.c.36.dicente, vrſis oculos grauari, & hebetari: ac ideo fauos expetere, vt apum punctione ab ea grauedine leuentur. Ita mulieri nequam grauãtur oculi. demittit illa oculos ſuos, vt ſolet vrſus, cùm graues illos habet. Cor enim eius viro infenſum, oculos eius grauat, cùm præſens eſt ille. Tertia pars videtur Hebræa phraſis, pro qua nos Hiſpani dicimus, Echo el capote ſobre los ojos. Ergo ſignificat ita oculos ſuos vxorem demittere & occludere, ac ſi ſaccum illis ſuperpoſuiſſet. Idq; facit, cùm proximi viri eum adeunt. Venit enim illa, præſentibus eis, torua, deformis, oculis intro concluſis. adeò, vt cogatur vir eius illam videns ingemiſcere, tacitè ſuſpirare, & ſilenter. id enim ſignificat modicum ſuſpirare,

rare. vir enim bonus non debet facilè querelas mulieris in publicum producere.

Breuis omnis malitia ſuper malitiã mulieris, ſors peccatorũ cadat ſuper illã. 7
2. Sicut aſcenſus arenoſus in pedibus veterani, ſic mulier linguata homini quieto. Id eſt, exigua eſt omnis malitia, malitiæ mulieris collata. intellige, vt iam dictũ eſt nume. 5. Tam verò mala eſt malitia mulieris, vt Eccleſiaſticus optet malã mulierẽ cõtingere peccatoribus in ſortem. Abſit, inquit, tã miſera ſors à iuſtis: cõtingat peccatoribus. quia nihil eis peius in vita cõtingere poteſt, quã mulier & nequã, & perpetuò rixoſa. ¶ Secundi mẽbri ſenſus eſt: Difficilimè ſenex aſcẽdet per cliuũ arenoſum, quia enim ſenex eſt, arenę figere pedes nequit: ita vir quietus difficilimè linguacẽ vxorem ferat. quomodo enim querelas tã multas audiet, corũ quos vxoris lingua vulnerauit?

Ne reſpicias in mulieris ſpeciem, & non concupiſcas mulierem in ſpecie. Id eſt, non ducas vxorem ſola eius illectus pulchritudine: imò eius mores potiſſimè ſpecta. 8

Mulieris ira, & irreuerẽtia, & confuſio magna. 9
2. Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo. Prius membrum videtur hunc habere ſenſum: Si mulier ſit iracunda, & rixoſa, nimis irreuerenter virum tractabit, & magno pudore afficiet. non enim mulierum nationi ira nata eſt: ſed ſubiectio, & manſuetudo. dictum enim illi eſt, Sub viri poteſtate eris. ¶ Secũdi membri ſenſus eſt: Si mulier, Eccli 10. Geneſ. 3.

aut ex nobilitate, aut opibus, aut ex viri puſillanimitate primatum, & dominium ſuper virum obtineat, non erit viro conformis, ſed aduerſa: non ei placere, ſed contemnere curabit. Igitur vir quærens vxorem ſe maiorem, aut ei ſe ſubijciens, non eam lucratur, imò & ſe, & eam amittit. Habent illæ tamen mille vincendi artes, quibus miſeros viros ſibi ſubijciant.

10 *Cor humile, & facies triſtis, & plaga mortis, mulier nequam. 2. Manus debiles, & genua diſſoluta, mulier quæ non beatificat virum ſuum.* Inter humanas miſerias prima, & maxima eſt cor humile, afflictum, & deiectum. Suprà enim Eccli 25. dictum eſt, plaga cordis eſt omnis plaga. Poſt cor humile, miſerum eſt, faciem hominis triſtiſſimi videre. demum plaga lethalis res eſt miſerrima. His igitur miſerijs mulier nequam comparatur. Perinde enim eſt eam domi habere, ac ſi cordis triſtitiam haberes, faciem triſtem videres: plaga lethali percuſſus eſſes. Iam ſi vxor non æſtimat virum ſuum, perinde eſt, ac ſi ex languore manus tibi eſſent & pedes diſſoluti. quod quantum malum ſit, norunt, qui chiragra laborant, aut podagra.

11 *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. 2. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum: nec mulieri nequā veniam prodeundi 3. Si non ambulauerit ad manum tuam, confun-* Geneſ.3. *det te in conſpectu inimicorū.* Si Heua fuit ſeminarium malorū in orbe omnium, quia non

fuit

fuit à viro cohibita: erit vxor tua in domo tua malorum omnium cauſa. tantum in malo mulier poteſt. Cohibe igitur & contine vxorem in officio. Quòd ſi nequam illa eſt, nulla ratione permittas eam domo exire. Vt enim lacuna aquâ plena, ſi vel modicum illi foramen feceris, vniuerſa tibi prodit, & perit: ita peribit tibi mulier nequam, ſi facultatẽ exeundi illi conceſſeris. ¶ Tertium membrum Hiſpanè dicimus, Hazed la a vueſtra mano. id eſt, Fac tibi morigeram, & obſequentem. Si enim non ita fuerit, ſi te inuito domo prodierit, communem illam cum alijs habebis, ac ita coram tuis inimicis te pudefaciet.

A carnibus tuis abſcinde illam, ne ſemper te abutatur. Id eſt, Si non ambulauerit vxor ad manum tuam, ſi nequam fuerit, quanuis fueris illi impenſiſſimè affectus, ſepara eam à te, da ei libellum repudij, (qui eo tempore dari ſolebat) ne tuo affectu, & modeſtiâ illa ſemper abutatur. ¶ Nota, non licuiſſe Iudæis, quauis cauſa vxorem, repudij libello dato, reijcere: licebat tamen ex bona cauſa. Docet ergo Eccleſiaſticus, non ſolùm fornicationem vxoris eſſe bonam repudij cauſam: ſed etiam ſi illa nequam eſſet, ſi non morigera, & obſequens eſt.

12

Deut. 14

CAPVT XXVI.

De bona, & mala muliere.

1 *Mulieris bona beatus vir: numerus enim annorum illorum duplex. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit.* Suprà dixit Author, Beatus qui habitat cum muliere ſenſata. nunc ait, Beatus eſt vir bonæ mulieris. Certè quia bona mulier, ſua ſanctitate ſanctum, ſua induſtria diuitem, ſuo conſilio quietum virum ſuum reddit Lege c. vlt. Prouer. ¶ Sed audi cauſam Authoris, cur dixerit beatum virum, bonæ mulieris: quia ſ. duplicabitur vita, & ei, & vxori. Id enim lector annotabit in verbo illo, annorum illorũ. Vt enim viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos: Deo minuente numerum annorum, quos ſanguinarijs natura taxauerat: ita bonis coniugibus anni ſunt duplices, Deo duplicante annos quos illis natura decreuerat. Vt enim illos dimidiat, quia eos abhorret: ita hos duplicat, quia gaudet in eis. ¶ Nota, Licet Deus ſit præcipua cauſa vitæ, & longioris, & breuioris, ſimiliter eſt cauſa mortis: cauſa tamen naturalis vtriuſque eſt, aut tædium, quo miſero viro vitam minuit mulier: aut requies, quâ eam felici viro, bona mulier auget. Ergo annos vitæ, quos natura præſcripſit, ars, aut minuit, aut auget. Vnde Medicis ſua etiam laus debe-

Eccli 26. Prouer. vlt. Pſal. 54. Eccli 38.

debetur. ¶ Fortè porrò vocat Author fortem mulierem, quæ argumentoſa eſt, quęq; diligentiâ & induſtriâ adeò pollet, vt nullo labore frangatur. deſcribit hanc Prouerb. c.vlt. inde locum hunc intelliges. ¶ Quod verò ſubdit, annos vitæ illius in pace implebit, ita intellige: Solent pauperes quidam vitam habere longam, eandem tamen habent miſeram, penuriâ, & miſerijs afflictam. At mulier fortis implet annos viri, non in miſeria & dolore: ſed in pace, id eſt, omnium bonorum abundantia. Deo ponente fines eius pacem, & adipe frumenti *Pſal.147.*
ſatiante eum: & ipſa vxore, tum orationibus, tum propriâ induſtria id procurantibus.

2 *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Si vis hũc locum penetrare, intellige, Deum habere bona quædam, quæ tamen ſæpe noceant: alia bona, quæ nocere, & prodeſſe ſoleant: alia bona, quæ proſint, non obſint tamen. Partem illam primam malis largitur pro merito eorum. iuxta illud, Verũtamen pro- *Pſal.72.*
pter dolos poſuiſti eis: deiecisti eos, dum alleuarentur. & illud, Ecce ipſi peccatores abundantes in ſeculo, obtinuerunt diuitias. Partem alteram dat quibuſdam bonis hominibus: qui cadere ſolent, & ſurgere. Tertiam partem dat prædeſtinatis. In hac tertia parte mulier bona clauditur: quæ timentium Deum pars & ſors eſt, & eis pro ſuis factis bonis datur. ¶ Vnde collige, mulierem

CAPVT XXVI.

De bona, & mala muliere.

1 M*Vlieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illorum duplex. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit.* Suprà dixit Author, Beatus qui habitat cum muliere ſenſata. nunc ait, Beatus eſt vir bonæ mulieris. Certè quia bona mulier, ſua ſanctitate ſanctum, ſua induſtria diuitem, ſuo conſilio quietum virum ſuum reddit. Lege c.vlt. Prouer. ¶ Sed audi cauſam Authoris, cur dixerit beatum virum, bonæ mulieris: quia ſ. duplicabitur vita, & ei, & vxori. Id enim lector annotabit in verbo illo, annorum illorũ. Vt enim viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos: Deo minuente numerum annorum, quos ſanguinarijs natura taxauerat: ita bonis coniugibus anni ſunt duplices, Deo duplicante annos quos illis natura decreuerat. Vt enim illos dimidiat, quia eos abhorret: ita hos duplicat, quia gaudet in eis. ¶ Nota, Licet Deus ſit præcipua cauſa vitæ, & longioris, & breuioris, ſimiliter eſt cauſa mortis: cauſa tamen naturalis vtriuſque eſt, aut tædium, quo miſero viro vitam minuit mulier: aut requies, quâ eam felici viro, bona mulier auget. Ergo annos vitæ, quos natura præſcripſit, ars, aut minuit, aut auget. Vnde Medicis ſua etiam laus debe-

Eccli 26. *Prouer. vlt.* *Pſal. 54.* *Eccli 38.*

debetur. ¶ Fortè porrò vocat Author fortem mulierem, quæ argumentoſa eſt, quęq́ diligentiâ & induſtriâ adeò pollet, vt nullo labore frangatur. deſcribit hanc Prouerb. c. vlt. inde locum hunc intelliges. ¶ Quod verò ſubdit, annos vitæ illius in pace implebit, ita intellige: Solent pauperes quidam vitam habere longam, eandem tamen habent miſeram, penuriâ, & miſerijs afflictam. At mulier fortis implet annos viri, non in miſeria & dolore: ſed in pace, id eſt, omnium bonorum abundantia. Deo ponente fines eius pacem, & adipe frumenti *Pſal. 147.* ſatiante eum: & ipſa vxore, tum orationibus, tum propriâ induſtria id procurantibus.

2 *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Si vis hũc locum penetrare, intellige, Deum habere bona quædam, quæ tamen ſæpe noceant: alia bona, quæ nocere, & prodeſſe ſoleant: alia bona, quæ proſint, non obſint tamen. Partem illam primam malis largitur pro merito eorum. iuxta illud, Verũtamen pro- *Pſal. 72.* pter dolos poſuiſti eis: deieciſti eos, dum alleuarentur. & illud, Ecce ipſi peccatores abundantes in ſeculo, obtinuerunt diuitias. Partem alteram dat quibuſdam bonis hominibus: qui cadere ſolent, & ſurgere. Tertiam partem dat prædeſtinatis. In hac tertia parte mulier bona clauditur: quæ timentium Deum pars & ſors eſt, & eis pro ſuis factis bonis datur. ¶ Vnde collige, mulierem

lierem bonam cadere ſub merito bonorum operum. datur enim viro pro eius factis bonis. Non ergo ſola felicitas æterna ſub merito cadit: ſed ea etiam, quæ media eum finem promouebūt. ¶ Nota ſecundò, quando viro prædeſtinato vxor contigit nō bona, intelligimus illum bona nō feciſſe opera ante matrimonium, per quæ mereretur vxorem bonam: ſed mala, per quæ malam promeruit vxorem. ¶ Notabis tertiò, Deum diuidere theſauros bonorum ſuorum, cuiuis prout ille nouit: ſed vera bona prædeſtinatis tribuere. ¶ Nota quartò, mulierem bonam, ſanctam, & operoſam, cenſeri inter bona, quæ maximè prędeſtinationem Dei iuuant. eius enim familiaritate vir & auocatur à malo, & promouetur ad bonū.

1.Cor.12.

Diuitis autem, & pauperis cor bonum, omni tempore vultus illorum hilaris. Cor bonum Hebræi vocant iucūdum, & lætum. vt Nabali tondenti oues ſuas, cor bonum erat, id eſt, iucundum. Senſus ergo literæ eſt: Si diues, aut pauper cor lætū habuerint, omni tempore vultum hilarem habebunt. Eſt enim reſponſum cordis ad faciem, & facies de corde pronuntiat. Dixit porrò ſententiam hanc Author, vt notaret, non ſolùm ſe locutum de diuitibus, qui bonas habent vxores: ſed de pauperibus etiam, quibus Dominus, cum vxore bona, iucūdum cor præbet. vnde & læta facies conſequitur.

1.Reg.25.

3 *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: Delaturam ciuitatis: & collectionem*

nem

nem populi: & calumniam mendacem: ſuper mortem omnia grauia. Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem. Id eſt, Tria mala timeo: quartum verò ita horreo, vt ad faciem prodeat pallor & horror. Primum malum eſt, delatura ciuitatis. id eſt, ſi totus populus mihi efficiatur aduerſus. eſt enim Græcis delatura, διαβολὴ, id eſt, aduerſatio. ſi ita loqui licet. Ita Iudæi habuerunt ſibi aduerſos AEgyptios, & gentes vicinas. Exod. 1. Secundum malum eſt, collectio populi, ſ. vt faciat mihi malum, vt collecti ſunt Iudæi contra Apoſtolos, cùm Stephanus fuit lapidatus. Actor. 7. Tertium malum eſt, falſum teſtimonium, vt cõtra Naboth, & Suſannam. Hæc 3. Reg. 21. tria mala, ſunt morte grauiora. At mulier Dan. 13. zelotypa quartum, & nimis horrendũ malum eſt. hæc eſt dolor in corde, & luctus in facie. Facit enim è corde lachrymas ad vultũ prodire. videlicet, quia ſuâ linguâ velut flagello continenter miſerum virum ferit, ſemper cum eo expoſtulans: aliquãdo conuitijs proſcindens. Illud verò, *Omnibus communicans*, aut ſignificat zelotypam effundere apud quoslibet de viro querelas: aut, quod è quauis re occaſionem de viro conquerendi ſibi ſumat. Sequentia verba licet videantur generatim de omni muliere nequam intelligi, commodè tamen de zelotypa

lierem bonam cadere ſub merito bonorum operum. datur enim viro pro eius factis bonis. Non ergo ſola felicitas æterna ſub merito cadit: ſed ea etiam, quæ media eum finem promouebũt. ¶ Nota ſecundò, quando viro prædeſtinato vxor contigit nõ bona, intelligimus illum bona nõ feciſſe opera ante matrimonium, per quæ mereretur vxorem bonam: ſed mala, per quæ malam promeruit vxorem. ¶ Notabis tertiò, Deum diuidere theſauros bonorum ſuorum, cuiuis prout ille nouit: ſed vera bona prædeſtinatis tribuere. ¶ Nota quartò, mulierem bonam, ſanctam, & operoſam, cenſeri inter bona, quæ maximè prędeſtinationem Dei iuuant. eius enim familiaritate vir & auocatur à malo, & promouetur ad bonũ.

1.Cor.12.

Diuitis autem, & pauperis cor bonum, omni tempore vultus illorum hilaris. Cor bonum Hebræi vocant iucũdum, & lætum. vt Nabali tondenti oues ſuas, cor bonum erat, id eſt, iucundum. Senſus ergo literæ eſt: Si diues, aut pauper cor lætũ habuerint, omni tempore vultum hilarem habebunt. Eſt enim reſponſum cordis ad faciem, & facies de corde pronuntiat. Dixit porrò ſententiam hanc Author, vt notaret, non ſolùm ſe locutum de diuitibus, qui bonas habent vxores: ſed de pauperibus etiam, quibus Dominus, cum vxore bona, iucũdum cor præbet. vnde & læta facies conſequitur.

1.Reg.25.

3 *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: Delaturam ciuitatis: & collectionem*

nem populi: & calumniam mendacem: ſuper mortem omnia grauia. Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem. Id eſt, Tria mala timeo: quartum verò ita horreo, vt ad faciem prodeat pallor & horror. Primum malum eſt, delatura ciuitatis. id eſt, ſi totus populus mihi efficiatur aduerſus. eſt enim Græcis delatura, διαβολὴ, id eſt, aduerſatio. ſi ita loqui licet. Ita Iudæi habuerunt ſibi aduerſos AEgyptios, & gentes vicinas. *Exod.1.* Secundum malum eſt, collectio populi, ſ. vt faciat mihi malum. vt collecti ſunt Iudæi contra Apoſtolos, cùm Stephanus fuit lapidatus. *Act.7.* Tertium malum eſt, falſum teſtimonium. vt cõtra Naboth, & Suſannam. Hæc tria mala, ſunt morte grauiora. *3.Reg.21.* At mulier zelotypa quartum, & nimis horrendũ malum eſt. *Dan.13.* hæc eſt dolor in corde, & luctus in facie. Facit enim è corde lachrymas ad vultũ prodire. videlicet, quia ſuâ linguâ velut flagello continenter miſerum virum ferit, ſemper cum eo expoſtulans: aliquãdo conuitijs proſcindens. Illud verò, *Omnibus communicans*, aut ſignificat zelotypam effundere apud quoslibet de viro querelas: aut, quod è quauis re occaſionem de viro conquerendi ſibi ſumat. Sequentia verba licet videantur generatim de omni muliere nequam intelligi, commodè tamen de zelotypa

typa intelligantur. & eſt ſenſus: Vt in iugo boum, vnus inquietus, turbat alterũ, quanuis quietiſſimum: ita in iugo matrimonij, vxor zelotypa inquietiſſimum virum reddit, quanuis ſit ille quietiſſimus. & ſicut qui tenet diu ſcorpionẽ, non euadet, quin pungatur ab eo: ita qui vxorem tenet nequam, maximè zelotypam, mortiferè pũgetur ab ea. Solent enim huiuſmodi viri aut vxorem occidere: aut in deſperationem incidere: aut certè, cura rei familiaris abiecta, patriam etiam relinquere.

4 *Mulier ebrioſa, ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.* Id eſt, Mulier quæ ebrietati indulget, magnam iram parit viro ſuo, ſi probus eſt: qui magnæ contumeliæ loco vxoris ebrietatem æſtimabit. & quãuis mulier ebrietatis turpitudinem celare contendat, imò & ſi eius domeſtici eam celent, celari non poterit. Eſt enim Hiſpanis verum prouerbium: Vinum, numi, & amor diſſimulari nõ poſſunt. Aduerte, non magni mali loco ebrietatem in viris habitam. Nam inebriati ſunt, non ſolus Nabal, (1.Reg.25.) ſed & Ioſeph, cum fratribus ſuis. & Dominus ait, Omnis homo primùm bonũ vinũ (Geneſ.43.) (Iohan.2.) ponit: & cùm inebriati fuerint, tũc id quod deterius eſt. At fœminas inebriari, nemo non probroſum, ac omni ignominia plenum arbitratur. Cùm enim illæ debili ſint iudicio, ſi vino id debilius fecerint, id non niſi intolerandum erit.

5 *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palo*

In palpebris illius agnoſcetur. Id eſt, Fornicaria mulier indicatur per oculos impudicè elatos, & palpebras ſublatas. Nam honeſta mulier oculos gerit demiſſos, & verecundos, qui non facilè vagantur. Nam quæ fixit ſuum amorem in viro ſuo, fixit etiam oculos, ne videat alienos: quæ verò à viro ſubmouit amorem, per oculos alienum quærit.

In filia non auertente ſe, firma cuſtodiam: ne 6
inuenta occaſione vtatur ſe. Nam ſolet fœmina, viro conſpecto, ſe à feneſtra, vel ianua ſubtrahere. ſi non ſe ſubtrahit, nec auertit, impudens eſt: ac ideo cuſtodienda diligentiùs eſt: ne fornicandi occaſionem inueniat. Vt enim natura leporibus, & ceruis timorem dedit, quo ſuæ vitæ fugâ proſpiciāt: ita dedit fœminis fugam & pudorem, quo ſuæ conſulant integritati. quæ manifeſto periculo obiecta eſt, ſi pudoris cuſtodia deſtituatur. *Ab omni irreuerentia oculorum eius caue, & ne mireris ſi te neglexerit. Sicut viator ſitiens, ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum ſedebit, & contra omnem ſagittam aperiet pharetram, donec deficiat.* Id eſt, Quācunque impudentiam in filia tua reperieris, adhibe illi cuſtodiam. Nec mireris, ſi correctiones tuas neglexerit: id tua in eam indulgentiore educatione promerente, & eius exæſtuante libidine ad id impellente. Vt enim ſitiēs, etiam turbidā bibit aquam: ita illa quemlibet amabit, etiam vilem. Nicolaus Lyranus credit per ſagittam ſignifi- *Lyranus.*
cari

cari viri pudenda, & ego credo idem ſignificari per palum. Porrò illud, donec deficiat, credo referri ad ſagittam. alij referunt ad fœminam, quæ libidini inſeruiet, donec delaſſetur. Nam Meſſalina aſſerebat ſe laſſatam, non verò ſatiatam. Donet obſecro lector hanc ſuis auribus irrogatam iniuriam.

Meſſalina.

7 *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa eius impinguabit. Diſciplina illius datum Dei eſt. Mulier ſenſata & tacita, non eſt immutatio eruditæ animæ.* Scio, literam hanc alijs aliter diſpungi. vt ita legas: & oſſa eius impinguabit diſciplina illius. Datum Dei eſt mulier ſenſata & tacita. Nō eſt immutatio eruditæ animæ. Decreui tamen literā noſtram ſequi, & eius diſpūctiones. Redit igitur Author ad probam vxorem, de qua initio capitis loqui cœperat. pro eodem, exiſtimo, ſumit mulierem ſedulam, & quam dixerat fortem. Ergo quod initio capitis dixerat, mulier fortis oblectat virū ſuum, & annos vitæ ipſius in pace implebit, idem nunc dicit: illa gratioſitas mulieris operoſæ delectat virum: & lætum, ſanum, & pinguem reddet. vt enim triſtitia exſiccat oſſa: ita lętitia impinguat, & ſanum hominem reddit. ¶ Iam quòd vxor domum ſuam in ſanctitate, & diligentia gubernet, (quæ eſt vxoris diſciplina) id donum Dei eſt. nec enim eò pertingūt vires humanæ. ¶ Illud verò, Mulier ſenſata & tacita, videtur apoſiopeſis. ac ſi dicat: Mulier prudens & tacita, ſumma res

Prouer. vlt.

Prouer. 17.

res eſt: nec eius à Deo erudita anima, permutari aliquo tẽporali pretio poteſt. Quod repetit, cùm ſubdit: *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta, & pudorata. Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Id eſt, Gratia Dei eſt ſanctitas in vxore. gratia etiam Dei eſt, pudor quo caſtitas cuſtoditur. Eſt igitur gratia gratiæ adiecta. & planè nullum auri pondus tam valet, quàm valeat continens anima. ¶ Inferunt hinc Theologi, non eſſe peccandum, pro quauis re temporali. Plus enim valet anima, quæ ſe à peccato continet, quàm quæuis alia res temporaria. ¶ Quàm verò temporibus noſtris hæc Theologia diſparuit? Peccamus enim, nõ multo auro, ſed re viliſſima prouocati. ¶ Iam inferat Theologus, cáſtitatem non parari humanis viribus: ſed gratiâ Dei. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit. Intelligitur hoc tamen, de ea caſtitate, quæ propter Deum ſeruatur: quam virtutem infuſam Theologi dicunt. Eſt enim humana caſtitas, quæ ex naturæ conſtitutione, & frigiditate venit. Quam habentes Chriſtus eunuchos à ventre matris vocat, non de hac ſermo eſt. ¶ Porrò cùm Peripateticus audit continentem animam, non eam intelligat continentiam, quam Ariſtoteles cum paſſionibus libidinis eſſe dixit: ſed continentiam puram caſtitatem eſſe intelligat.

Theologi. *Sap. 8.* *Matth. 19.* *Ariſtoteles.*

Sicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei ſic mulieris bona ſpecies in ornamentum domus eius. Lu- 8

cerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem. Columna aurea ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris. Comparat fœminam ſanctam & ſpecioſam Soli in mundo: & can-
Exod. vlt. delabro in templo. non potuit ferè altioribus rebus comparare. Sol in mundo pulcherrimus, ſimul & mundiſſimus eſt: pellit tenebras, illuſtrat etiã minimas orbis partes: efficit in eo omnia bona, pellit ferò omnia mala. Hęc ſuo modo facit vxor, quę ſancta & pulchra eſt. nam repellit è domo ſordes tum vitiorum, tum corporalium immunditiarum: illuſtrat domum, & ſpiritualibus, & corporalibus ornamẽtis. curâ & proſpicientiâ ſuą omnia domeſtica inſpicit. demum cauſa eſt effectrix bonorum in domo ſua, expultrixq́ malorũ. Iam candelabrum aureũ templi, res erat magni, & pretij, & artificij, & illuminabat eos qui in templum ingrediebantur: ita magni pretij & artificij Diuini eſt vxor ſancta, moribus ſuis illuſtrans domeſticos. Lucet enim lux
Matth. 5. eius, vt omnes videant opera eius bona. De-
Prouer. 7. mũ, vt Salomon vitio vertit mulieri, quòd ſit vaga, quietis impatiens, non valens conſiſtere in domo ſua, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos: ita Eccleſiaſticus mulieris bonæ pedes comparat columnis aureis, ſuper baſibus argenteis: quales erant
Exod. 27. baſes tabernaculi pulcherrimę. vt enim columnæ ſuper baſibus non mouentur, ſed firmæ & ſtabiles manent: ita ſancta mulier

pedes

pedes firmos, & ſtabiles habet. id eſt, qui non niſi ex neceſſitate domo egrediantur. ſtabilem enim mulierem vocat, quæ non niſi inuita domo procedit. ¶ O fœminæ, quæ vobis vt ſanctæ placetis, en propoſitum habetis exemplum, & ſpeculum, quod inſpiciatis. eſtis ne vt Sol in mũdo? vt candelabrum in templo? eſt ne in vobis affectus nunquam è domo egrediendi? Nam Hiſpani dicimus: La muger, y la gallina, por andar ſe pierden ayna.

Fundamenta æterna ſupra petram ſolidam: ſic 9
mandata Dei in corde mulieris ſanctæ. Eſt velut reſponſio ad quæſtionem: Quam vocas bonam mulierem? Eam certè, quæ ita ſtabiliuit mandata Dei firma in corde ſuo, vt ſunt fundamenta firma, ſuper ſaxo. Chriſtus vocauit ſe petram, ſeu lapidem, qui & caput eſt *Matth. 21.*
fornicis, & fundamentum ædificij. Hæc petra facit cor noſtrum, vt ſit petra firma, ſ. in bono. Super tali corde ſurgit ædificatio, de qua Paulus meminit. Quòd ſi aliquan- *1. Cor. 3.*
do ruit ędificium hoc, non id culpa eſt gratiæ facientis firmitatem: ſed cordis noſtri, quod machinatur, & impendit ferè ſemper *Geneſ. 6.*
ad malum.

In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in ter- 10
tio iracundia mihi aduenit: Vir bellator deficiens per inopiam: vir ſenſatus cõtemptus: & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rомphæam. Id eſt, Compatior & contriſtor, vidẽs ſtrenuum militem, qui vires ſu-

as & ætatem exhauſit in bello, pauperem tamen: qui porrò diuitijs,in præmium laboris onerandus erat. Tum doleo, videns virum prudentem, & gubernandæ reipublicæ idoneum,contemptum tamen, & ſub
Matth.5. modio deliteſcentem, qui ſuper candelabrum ponendus erat. Demum iraſcor ei, qui ex iuſto,peccator eſſe vult. Iraſcor, inquam, quia eum Deus ad romphæã gehen-
Auguſtinus. næ parauit. Atqui Auguſtinus non iraſcitur peccanti: ſed miſeretur,aſſerens eum omni lachrymarum fonte deflendum. Ieremias
Ierem.2. iubet cælos obſtupeſcere, quia relicto fonte aquarum viuentium, populus ciſternas quærit diſſipatas. Deus verò tactus dolore
Geneſ.6. cordis intrinſecus, (vt in Geneſi dicitur) parat ob crimina perdere hominem,quem in ſui regni conſortium produxerat. At verò miſerandum eſt, quòd tam facilè committimus, quæ Deus tam durè parat ad romphæam.

11 *Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotians à negligentia: & non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum.* Duo,inquit, officia in Republica ſunt periculoſa,& quæ difficile ſit ſine peccato exercere. ſ. Mercatura, quæ difficilè exuitur à negligentia rerum ſpiritualium: totũ enim hominem mercatura ſibi vendicat, nihil ferè relinquit animę colendæ.& ars cauponaria,quæ in venditione & emptione ciborum nunquam non mentitur, nunquam non peierat,nunquam non fallit.Hæc duo offi-

officia non ſunt mala ex natura ſua: ſed potiùs Reipub. neceſſaria. At ſunt difficilia quæ ſanctè tractentur. Poteſt etiã illud verbum, à negligentia, intelligi ita: Licet mercator ſit diligentiſſimus: difficilè tamen euadit aliquam negligentiam. Aliquando enim non meminit, quãti hęc aut illa merx conſtitit, quanti vendenda eſt. Aliquando obliuiſcitur ponderis, aliquando debitorum, aliquando creditorum.

CAPVT XXVII.

Tradit varia: primùm de mercatura.

PRopter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, auertit oculum ſuũ. Dixerat capit. præcedente de mercatore & caupone: ſubdit ad hóc propoſitum: Licet inopia coegerit multos ad peccandum, (nam fœminæ ex inopia ſe proſtituunt) at, qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum à Deo, ab anima ſua, à recto. Licet enim Deus, conſciẽtia, iuſtitia, & charitas auocent auarum à dolis contra proximum nectendis: auaritia tamen, ac ſi eſſet his potẽtior, ab his omnibus auari oculos auertit. Ergo explicat Author quod in fine cap. præcedentis dixit, difficilè exuitur auarus à neglectu rerum æternarũ, quia ab eis oculos auertit. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: ſic & inter medium empti-* 1 Eccli 26.

onis & venditionis anguſtiabitur peccatis. Conteretur cum delinquente delictum. Hæc obſcura Verba ſenſum hunc habere exiſtimo: Palo figendo in lapidum compagine, locum damus, licet anguſtum: ſed ſi palus groſſior eſt, conteritur, dum violentè compagini inſeritur. Ita mercator inter compaginem venditionis & emptionis locum peccato & dolo licet anguſtum facit: ſed ſi dolus grandior eſt, conteritur cum doloſo. Nam Iudex reſarcire damnum facit. Ergo, anguſtiatur, ſignificat, anguſtus locus datur, & conteritur delictum cum delinquente, & à Deo, & à Iudice, & aliquando ab eo qui dolum
1 ſenſit, in eo quod emit, aut vendit. Igitur contendit mercator dolos inſerere inter venditionem, & emptionē: contendet Deus, eum cum ſuis dolis conterere. quod experientia docet.
2 *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua.* Generalis poteſt eſ-
Eccli 1. ſe hæc ſententia. quia ſine timore nemo poteſt iuſtificari. Sed de auaris ſpecialis mētio eſt: qui ſi in emptionibus & venditionibus timorē Dei non ſeruauerint, citò videbunt ſuam ſubuerti domū, quam dolis ſuis ædificabant. ¶ Aduertat lector, auarum, imò & quemuis ferè hominem, ſponte ſua velle, & conari ſe in pręcipitium conijcere, timor Domini eſt qui eum tenet, ne ſe præcipitet, ô miſeriam cogitationis humanæ, quæ ad
Geneſ. 6. malum prona ſemper eſt; & labitur, niſi retineatur!

Sicut

Sicut in percuſſura cribri remanebit ſtercus: ſic 3
aporia hominis in cogitatu illius. Id eſt, Fœmina
concutiens cribrum, inuenit poſt concuſſi-
onem furfures, & quiſquilias: ita vir ſi co-
gitauerit ſe, ſi excuſſerit ſe, poſt examen hoc
inueniet miſeriam, egeſtatem, & quid non
mali reperiet? Si tu tibi places, ſi nimis te
æſtimas, id facis, quia non te cõcuſſiſti, non
examinaſti: excute te, & farina bonorum
tuorum cadente, nihil niſi furfures, & miſe-
riam inuenies. Eſt enim vniuerſa vanitas *Pſal.* 38.
omnis homo. Eſt tandem omnis caro fœ- *Iſaiæ* 40.
num. Puluis eſt, & in puluerem reuertetur. *Geneſ.* 3.
Rectè igitur cum priore ſententia quadrat,
qui talis eſt, niſi ſe in timore Domini reti-
neat, citò ſubuertetur.

Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos 4
tentatio tribulationis. Sententia eſt in S. literis
trita. Vt illa, Tanquam aurum in fornace *Sap.* 3.
probauit illos Dominus. Et apertũ eſt, nos
luteos eſſe, & ab igne fornacis ſoliditatem
accipere: Nos filios eſſe, qui ſi extra corre- *Heb.* 12.
ptionẽ Patris ſimus, adulterini ſumus, non
genuini: Nos vaſa immunda eſſe, quæ niſi
tribulatio fricet, & mundet, idonei non ſu-
mus cæleſtibus donis recipiendis: Nos pan- *Iſaiæ* 64.
nos eſſe menſtruatos, ac ideo egemus ſapo-
nis acrimoniâ lauari. Demum Chriſtus ve-
nit ad templum ſanctum ſuum, velut ignis *Malach.* 3.
conflans, & ſicut herba fullonum.

Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructũ illius: ſic 5
verbum ex cogitatu cordis hominis. Id eſt, Bona

& diligens arboris cultura in lucem profert bonum eius fructum: ita bona & diligens cogitationis cordis noſtri cultura bonum verbum profert. Vt contrà, arbor neglecta profert ſterilem fructum: & cogitatio neglecta verba, aut mala, aut ſtulta. Eſt enim cordis, & oris conſenſus. Per os pronũtiabis de corde. Ligula qua hauritur cor,
Matth.12. eſt os. Demum bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum. ¶ Habes, cor noſtrum ègere cultura: vt eget ager.
Prouer.4. omni igitur cuſtodia cuſtodi cor tuum. Habes item, primum huius culturæ fructum, eſſe cogitationem. Inde & cordis, & cogitationis verbum eſt fructus. Ideo ſubditur. *Ante ſermonem non laudes virum: hac enim tentatio eſt hominum.* Id eſt, ne laudaueris hominem, donec eius ſermonem audias. Nam, vt cote perſpicitur aurum: ita ſermone vir. Hac tentatione, ſeu examine, hominem expendes & agnoſces. Rectè illud Socrates, Iuueni quem agnoſcere volebat dixit: Loquere, & cognoſcam te. ¶ Caue intelligas, ex vno verbo hominem cognoſci. Habe-
Matth 6. bant enim Phariſæi bona verba, orationes
Mar.11. lõgas, & velut luxuriãs ficus, folia pulchra. Habent etiam quidam in ore, Domine, Do-
Matth.7. mine: ſed operarij ſunt iniquitatis. Sed ex cõuictu, & familiari colloquio facilè, quale ſit cor, iudicatur.

6 *Si ſequaris iuſtitiam, apprehendes illam: & indues quaſi podérem honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in ſempiternum, & in die agnitionis*

inueni-

inuenies firmamentum. Si Pauli verbum præ oculis habeas, Induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. intelliges Chriſtum eſſe iuſtitiam, quam qui votis, precibus, & bonis operibus quærit, apprehendet. Intelliges etiam, eundem, eſſe poderem honoris. id eſt, polymitam, & talarem veſtem, qua Ioſeph induebatur. Intelliges item, eſſe dominum domus, qui nos ſecum habitare faciet: eſſe etiam protectorem ſempiternum. Feret enim nos in cęlum, vbi abſcondet nos in abſcondito tabernaculi ſui. Demum erit firmamentum, cui in die iudicij nitemur. Vocatur dies Iudicij, dies agnitionis. agnoſcet enim tunc ſe quiſque, & agnoſcetur ab omnibus. Tunc erit Chriſtus firmamẽtum, cui nitemur omnes, quotquot peccauimus, iuſtificati verò fuimus, per redemptionem, quę eſt in Chriſto. ¶ Perſpice Chriſtianum, Chriſto veſtitum exteriùs: qui Chriſtum habitatorem habeat interiùs: qui Chriſtum habeat perpetuum protectorem, & columnam, cui nitatur maximè in die Iudicij. Quàm longe ab his diſtant mores noſtri? Nihil enim minùs in quouis noſtrum perſpicitur, quàm Chriſtus.

Rom. 13. Geneſ. 37. Pſal. 26. Rom. 3.

Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt: & veritas ad eos, qui operantur illam, reuertetur. Tritum eſt, delicias, diuitias, & honores mundi, vocare vanitatem, mendacium, fallaciam, & inſaniam: ac ideo ſanctitatem vitæ, vitamq́ ſpiritualem, vocare veritatẽ. in qua eos qui adorant, adorare oportere, Chriſtus docet. 7

Eccles 1. Pſal. 4. Iohan. 4.

Iohan.3. de qua dicitur, Qui facit veritatem, venit ad
Iohan.14. lucẽ. & licet Chriſtus vocetur veritas, quia
non mentitur: & Spiritus ſanctus vocetur
Iohan.14. Spiritus veritatis, quia vera ſuggeret: vterque tamen veritas eſt, quia non eſt mendacium, & vanitas vitæ: ſed veritas ipſa rerũ. id eſt, veræ deliciæ, verè diuitiæ, verus ho-
Iohan.6. nor, verus panis, &c. Iam igitur, vt aues, ex commercio naturæ, ad ſibi ſimiles conueniunt: ita veritas & ſanctitas, non inueniens inter impios, vbi ſuum collocet pedem,
Geneſ.8. vt columba Noe, reuertitur ad pios. vt etiam diabolus, non inueniens in locis aridis
Luc.11. requiem, reuertitur ad domũ vnde exiuit.

¶ Dices, quomodo poteſt veritas reuerti ad operarios eius? num exit ab eis, vt redeat ad eos? nam ſi exit, iam nõ illi veritatem operantur. Reſpõdetur, intellectum huius verbi ex textu pendere ſequẽti. *Leo venationi inſidiatur ſemper: ſic peccata operãtibus iniquitatem.* Id eſt, Vt leo qui in inſidijs eſt, ad venãdum offert ſe, etiam nihil tale metuenti: ita peccatum ſe offert peccatori, etiam peccatum non cogitanti. vbique enim ſe exhibet peccatori peccãdi materia. Ita nunc, viro operanti veritatem, veritas ipſa vbilibet ſe exercendam offert: & ſi aliquando veritatis exercendi occaſio fugit, ſtatim reuertitur. Adeò & Deus bona vbilibet parat bonis: & diabolus indeſinẽter parat mala malis. Sed hoc diſcrimine, quòd peccatum leo ſit deuorans peccatorem: veritas omne bonum eſt, beans veritatis operatorem.

Homo

Homo ſanctus in Sapientia manet ſicut Sol: nam 8
ſtultus vt luna mutatur. Inter multa, quæ Domino Deo conueniunt, id ferè præcipuum eſt, quòd immutabilis ſit: idemq; omnino, ſine vlla mutatione perſeueret. Hanc maximam prærogatiuam Dominus cōcedit (ſuo tamen modo) Sanctis ſuis: vt ferè non mutentur. Non enim iuſtum cōtriſtabit, quicquid illi acciderit. &, Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion: nō commouebitur in æternum. &, Pax multa diligentibus legem tuam, &c. Nam vt Ioannes ait, Omnis qui ex Deo natus eſt, peccare non poteſt. At, qui non peccat, nō mutatur. Id eſt quod Author dicit; Sanctus homo immobilis eſt. minimè peccat, minimè ſanctitati ſuæ maculæ notam imponit. ¶ Dices, num non Samſon, Dauid, & Salomon peccarunt? Planè: ideo Author addidit, Sanctus, in Sapientia ſua. id eſt, dum in Sapientia manet, manet vt Sol. Si à Sapientia, & charitate decidat, cecidit certè è cælo Lucifer. Vt etiam Ioannes intelligendus eſt, ſ. quòd natus ex Deo, dum ſemen Dei cōſeruat, peccare non poteſt. Iam verò, vt ſancto viro Deus communicat ſuam (ſuo modo) immutabilitatem: ita ſtultis non communicata hâc immobilitate, neceſſe eſt, vt ſubinde varientur, vt luna. ¶ Patet hinc, nō ſolùm iuſtum per annū poſſe ſine mortali crimine perſeuerare, vt dixit Scotus: ſed & per plurimos annos. manet enim ſicut Sol. ¶ Porrò vocatur hoc loco Sapientia ſanctitas vitæ, quę

Prouer.12. Pſal.124. Pſal.118. 1.Iohan.3. Iſaie 14. 1.Iohan.3.

vera

vera Sapientia eſt: cui Chriſtus verus iuſtitiæ Sol ſemper adeſt. talis porrò habitator, talem immobilitatem hoſpiti ſuo largitur. Largitur etiam ei, vt ſit quidam Sol: vt hîc

Matth. 5. habemus. nã alibi dixit, Vos eſtis lux mundi. at clarum eſt, lucem mundi Solem eſſe.

9 *In medio inſenſatorum ſerua verbum temp ri. in medio autem cogitantiũ aſsiduus eſto.* Id eſt, Dum verſaris inter ſtultos, ne proferas verba Sapientię: reſeruato ea tempori ſuo, cùm proderit ea dixiſſe. Cura interim conſortia & familiaritatem grauium virorum, qui non niſi cogitata & expenſa loquuntur. Salo-

Eccles 3. mon dixit, eſſe tempus tacendi. Author explicat, quod ſit illud tempus. Certè cùm in-

Matth. 7. ter ſtultos verſaris: ne ſanctũ detur canibus.

10 *Narratio peccantium odioſa, & riſus eorum in delictu peccati.* Id eſt, Viris bonis, ſermones peccatorũ ſunt moleſtiſſimi: nec enim narrant, aut rident, niſi peccata & delicta ſua. quid verò grauius homini pio, quàm Dei

Pſal 118. offenſiones audire? Ait enim, Vidi præua-

Eodem. ricantes, & tabeſcebam. & item, Tabeſcere me fecit zelus meus. &c. Sed quid loquetur

Luc. 6. peccator, niſi peccata? ſiquidem ex abundantia cordis os loquitur.

11 *Loquela multùm iurans, horripilationem capiti ſtatuet: & irreuerentia ipſius obturatio eſt aurium.* id eſt, Dignum eſt, vt cùm multùm iuratur, caput audientis exhorreat: vtpote quod videt, ſacroſanctum Dei nomen ita proſterni, & calcari. Iam verò irreuerẽtia blaſphemię exci-

excipi debet, non niſi aurium obturatione. Erat enim Iudæis ſolenne, aures continere, cùm blaſphemiam audiebant. vt in Actis *Actor.7.* Apoſtolorum eſt videre. ¶ Pro irreuerentia, Græcis eſt, pugna, vel rixa. ſed hac periphraſi Author nominauit blaſphemiam. nec enim Iudæi blaſphemiam niſi circunloquendo audebant nominare, vt ſuprà di- *Eccli 23.* ctum eſt.

Effuſio ſanguinis in rixa ſuperborum: & male- 12
dictio illorum auditus grauis. Qui non ſunt ſuperbi, rixantur aliquando, non tamen ad effuſionem ſanguinis rixa procedit: at ſuperbia per rixam irritata, ad ſanguinẽ contendit. Iam cùm ſuperbi maledicũt, & conuitiantur, quis poterit eos, vel auditu ſuſtinere? O igitur ſuperbia, quot malorum es cauſa? Iure delictum maximum diceris.

Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non 13
inueniet amicum ad animum ſuum. Dilige proximum, & coniungere fide cum illo. quòd ſi denudaueris abſcõſa illius, non perſequeris poſt eum. Commiſi tibi ſecreta mea, tu ea prodis. planè perdidiſti fidem apud eos qui te audiunt: & nullus propterea audebit tibi amicus eſſe. Imò & Dei prouidentia faciet, vt ſicut tu fidem non ſeruaſti amico tuo, ita nec amicus vllus eam tibi ſeruet. Si ergo diligis proximum, fidem illi ſeruato. quòd ſi forſan denudaſti eius abſconſa, ne illum contendas in amicum habere: neque ſecteris eius amicitiã. nec enim recuperabis quod amiſiſti.

Id quod

Id quod ſequentibus exemplis Author illuſtrat. *Sicut enim homo qui perdit amicum ſuum, ſic & qui perdit amicitiam proximi ſui. Et ſicut qui dimittit auem de manu ſua: ſic dereliquiſti proximum tuum, & non eum capies. non illum ſequaris, quoniam longè abeſt: effugit enim quaſi caprea dè laqueo: quoniam vulnerata eſt anima eius: vltrà eum non poteris colligare* Vulgatus ſenſus primæ partis eſt: Vt perdis amicum, cùm moritur: ita & perdis;cùm eius ſecreta reuelas. Alter ſenſus ſe mihi offert: Amicus & amicitia pari gradu currunt: ac ideo ſi amicitiam leuiter violaſti,violaſti & amicum leuiter. ſed ſi ictu lethali (qualis eſt ſecreti apertio) amicitiam læſiſti, crede omnino amicum amiſſum. ſ. vt amittitur auis, cùm è manu volauit: & caprea, cùm è laqueo fugit. Deſperanda enim eſt vtriuſque recuperatio. non colligabis, id eſt, non ligabis capream vltrà. Chriſto gratia, qui adeò grauiter à nobis læſus,& adeò grauiter pro nobis vulneratus, non reijcit amicitiam noſtram. imò ſpes eſt,tam futurum nobis pœnitentibus amicum, quàm ſi non peccaſſemus. In eundem finem ſubdit Author: *Et maledicti eſt concordatio. Denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis.* id eſt,Dixiſti conuitium in amicum: ne deſperes: poteris ei reconciliari. aperuiſti eius ſecretum, ô infelix anima, deſpera reconciliationem. ¶ Habes, grauiſſimum eſſe crimen, prodere amicorũ myſteria, (ſi grauia ſunt)

facit

facit enim animam infelicem, violat amicitiam lethaliter, amittit amicum (tantum ſ.bonum) irreconciliabiliter.

Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum 14
abijciet. In conſpectu oculorum tuorum condulcabit os ſuum, & ſuper ſermones tuos admirabitur. nouiſſimè autem peruertet os ſuum, & in verbis tuis dabit ſcandalum. Multa audiui, & non coæquaui ei: & Dominus odiet eum. Multa leguntur de annuentibus oculo. Dicitur enim, Non ſupergaudeant mihi, qui aduerſantur mihi, & annuunt oculis. & item, Qui annuit oculo, dabit dolorem. Porrò per annuentem oculo, Rabanus intelligit proditorem: Lyranus, eum qui ſignis amicitiam ſoluit. Sed Author videtur loqui, de eo, qui oculis adblanditur, intus verò molitur tibi malum. quia verò oculis gratioſus eſt, & blandus, nemo eum abijcit. Blandimur enim adblandientibus nobis. Hi adulatores coram nobis condulcant verba ſua, dicuntq́; ſe admirari ſermones, & opera noſtra: ſed nouiſſimè laudes in calumnias vertunt, faciuntq́;, vt alij de verbis noſtris offendantur. Multa, inquit, audiuſi mala, quæ admittunt homines: ſed nullum malum exiſtimo adulationi eſſe æquale. Si enim mala vel admittimus, vel proſequimur, adulatores ſunt ferè in cauſa. Maximè horum maleficium in curijs Principum demõſtratur. Neq; enim Principes tantũ damnum Reipub. inferrẽt, ſi ſui vera illis dicerent. Rectè igitur Pilatus quęrit,

Pſal.34. *Prouer.10.* *Annuẽs oculo.* *Rabanus.* *Lyranus.*

Iohan.18. quęrit, Quid eſt veritas? quia Principes vix
Iohan.14. veritatem audiunt. At Deus veritas eſt: &
Pſal.30. veritatẽ requiret Dominus. ¶ Græcis, pro
audiui, eſt odiui. & ſenſus eſt: Multa ſunt
mala, quæ odiui, ſed nullum æquè, vt adulationem. Videtur igitur Author in curia verſatus, vbi Princeps, adulatorum cauſa, erat Reipub. peſtis. Subdit Author ad hoc propoſitũ multa. *Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet: & plaga doloſa doloſi diuidet vulnera. Et qui foueam fodit, incidet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti nequiſsimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur, & non agnoſcet vnde adueniat illi.* Ergo, qui conſilium Principi dat, in malum aliorum, is in altum proijciens lapidem, ab eo in capite ferietur: & ea doloſa plaga, quâ alios ferire voluit, vulnus rumpet in eo. cadet in foueam, & laqueum, quem alijs parabat. & denique malum cõſilium conſultori peſſimũ.
Eſther 9. Exemplo ſit Aman, Aſſuero peſtilens conſilium dans, contra Iudæos: id conſilium recidit in caput eius, quâ miſer parte non credebat. Deus autem nouit, vt iuſtos è la-
Pſal.7. queo eripere: ita & iniquum capere captio-
Prouer.26. ne, quam alij parabat. Vide ſimilia his in
Eccles 10. Pſalmis, Prouerbijs, & Eccleſiaſte. ſed illud
Pſal.9. pulchrum, In laqueo iſto quem abſconderunt, cõprehenſus eſt pes eorum. Cognoſcetur Dominus iudicia faciẽs. Ergo cùm, qua parte neſcit, malo cõſultori malum venit,

cauſa Deus eſt, qui (vt iuſtus iudex) iudicia
facit. Ideo ſubditur: *Illuſio & improperium*
ſuperborum, & vindicta ſicut leo inſidiabitur illi.
Id eſt, Solent ſuperbi, illuſione, & impropeſ-
rio alios afficere. ſed ei illuſioni & impro-
perio parata vindicta eſt, vt leo in inſidijs
paratur venationi. & vt leo prodit vnde,
quam venatur fera, neſciebat: ita & vindi-
cta à Deo prodibit, vnde illuſor ignorabat.
Exemplo ſit illuſio & improperium Iudæ- *Iohan.11.*
orum contra Chriſtum: quibus ex inſidijs
prodijt Titus & Veſpaſianus, omnes vt leo
cõminuens. Ad idẽ pertinet quod ſequitur.
Laqueo peribunt qui oblectantur caſu iuſtorum:
dolor autem conſumet illos antequam moriantur.
Hanc clauſulã ſuo laqueo explicauit Achi-
tophel, priùs delectatus caſu Dauidis. expli- *2. Reg. 17.*
cauit & Iudas Magiſtri ſui ruinam machi- *Matth. 27.*
natus. Quis verò explicabit dolorem (quo
illi miſeri cruciabantur) qui eos ad laque-
um adegit? Tu verò ne adeò rigorem quæ-
ras, vt laqueum ſemper intelligas. Per la-
queum intellige caſum, & ruinam in quam
ruit, qui eam alijs fabricabat.

Ira & furor vtraque execrabilia ſunt, & vir 15
peccator continens erit illorum. Hoc eſt Thema
capitis ſequentis. eſt verò ira minor, quàm *Furor.*
furor. Nam furor eſt velut furia, qua iratus
agitur. Vtrunque eſt execrabile monſtrum.
& peccatores vtroque maximè afficiuntur,
nec à ſe reijciunt. nam iuſti, ſi iraſcũtur, no-
lunt peccare tamen: & ſi quid irati dicunt, *Pſal. 4.*

Pſal. 118. aut faciunt, compunguntur. Pax enim multa diligentibus legem Dei, & non eſt illis ſcandalum.

CAPVT XXVIII.

De remiſſione iniuriæ.

1 *QVI vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecāti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dum caro ſit, reſeruat iram: & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* Deus noſter tā miſericors, condonare vult noſtra peccata, non vindicare: parcere vult, non ſeruare. quod ingenium habet ille, vult nos habere. quem ſpiritum habet, iubet, vt habeamus. niſi enim dimiſerimus fratribus, ex cordibus noſtris, neque ille dimittet nobis. Et quod dignũ eſt omnimoda obſeruatione, in ea oratione, quam quotidie eramus precaturi, ita nos precari iuſſit, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimit. vt puderet cōdemnationem nobis petere, ſi non dimitteremus. Et quis non ſtupeat, videns Deum donantem nobis in Chriſto omnia delicta: & delentem, quod contra nos erat decretum cōdemnationis? Si ergo ita Deus: quid nos facere par eſt? Siquidem

Matth. 18. Matth. 6. Eodem. Coloſſ. 2.

quidem offenſa Dei noſtri infinita eſt, vt illé infinitus eſt: noſtri verò offenſa, nulla ferè eſt, vt nos ſumus vniuerſa vanitas: & *Pſal.38.* quorũ dies ſunt velut aranea: & qui ſumus *Pſal.89.* mendaces in ſtateris, id eſt, qui appẽſi in bi- *Pſal.61.* lance, cum vanitate, ipſa vanitate vaniores verè apparebimus. Ergo ſi quãtus eſt offenſus, tãta eius offenſio: vt homo peccator eſt ferè nihil, nulla erit ſua offenſio planè. Cur ergo, quod nihil eſt, nõ dimittemus? Si Deus dimittit tanta, cur non & nos tam minima? Author verò enumerat rationes, cur dimittere debeamus. Prima eſt, ex periculo: Si nos nõ dimittimus, neque Deus. Chriſtus *Matth.6.* addit, ſi dimiſerimus, dimittet Deus. Secunda, quia qui nos offendit, proximus eſt. Hebręis verò proximus dicitur ſocius, amicus: Latinis eſt coniunctiſſimus. Si amicus eſt, charitas operiet multitudinẽ peccatorum *1.Pet.4.* eius. Si coniũctiſſimus, vide ne dum in eum euomis irę tuę ignem, eodẽ tu exuraris. Tertia, quia qui te offendit homo eſt, nõ Angelus, nõ Deus. Quid verò ab homine, qui mẽ- *Pſal.115.* dax eſt, niſi errata & mẽdacia ſperes? Mirandũ eſt, ſi homo bene agat: nõ verò, ſi peccet. Quarta, quia ſimilis tibi eſt. Tu verò vtinã aliquãdo, & nõ ſemper pecces. quid igitur ſi & ille te ſemel offendit? Quòd ſi Filiũ Dei, ęa cauſa mouit, ad hominis peccata donanda, quia homo ei ſimilis erat, ac ideo ſibi vi- *Geneſ.1.* debatur feciſſe, quod homini faciebat: cur nõ & tu homini tam ſimili tibi donaueris? nã odiſſe ſimilẽ tibi, te odiſſe, certè videtur.

Geneſ.6. Quinta, quia caro eſt, ac ideo ad malum ab adoleſcentia prona. caro, atque propterea
Galat.5. iumentum. caro, ac ideo concupiſcit contra ſpiritum. Quòd ſi aliunde carnē ſpectes,
Pſal.71. vt, ex quo Chriſtus incarnatus eſt, honorabile eſt nomen hominis coram Deo: ita & ex quo Verbum caro factū, iam carnis nomen venerabile ſit omnibus nobis. ac propterea licet caro offendat, remittēda eſt eius offenſa. Demum ſubdit Author, Quis exorabit pro delictis illius? Senſus eſt: Quiuis forſan audebit orare Deum, pro eo, qui peccata proximi minimè donat: ſed impoſſibile erit veniam impetrare. Decretum enim Dei eſt, nemini remittere, qui non remittat, etiam ſi omnes Sancti eam remiſſionem à Deo precentur. In idem propoſitum ſubdit Author. *Memento nouiſſimorum, & deſine inimicari: tabitudo enim & mors imminent in mandatis eius. Memorare timorem Dei, & non iraſcaris proximo. Memorare teſtamentum Altiſſimi, & deſpice ignorātiam proximi.* Addit Author cauſas, cur remittere debeamus. Sit ergo poſt præcedentes ſexta, memoria nouiſſimorū. ſ. mortis, examinis ſeu Iudicij, gloriæ, inferni. Di-
Eccli 7. ctum enim eſt, Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Planè deponet furorem, qui furorem Dei in morte, Iudicio, & inferno nouit explicādum, & in non remittentem effundendum. Planè mors attentiùs conſiderata, mortem affert affectionibus noſtris, quanuis viuæ, & vigentes fuerint. Qui intelligit præſcindi ſibi vitam,

non velut leo iraſcitur: ſed ſicut pullus hi- *Iſaiæ 38.*
rundinis clamat: meditatur vt columba.
Septima ratio huic ſextæ connexa, quia tabitudo, id eſt, putredo corporis, & mors animę impendent, & imminent violationi mandatorum Dei. Ille iubet ita: Mihi vin- *Rom. 12.*
dictam. caue ne hoc mandatum violes. Ita enim cogita, Diuina mandata eſſe velut nubes, iamiam in pluuiã impendentes, vt pluant ſuper bonos innumera bona: ſuper malos verò corruptionẽ corporis, & mortem animę. Siquidem in inferno, corpus dãnati putre erit, ſ. quod paſcentur vermes: & ani- *Pſal. 48.*
ma mortem ſecundam (quæ vera mors eſt) *Apoc. 2.*
patietur. Octaua ratio. Memorare, inquit, timorem Dei. Nam qui timet Deum, expel- *Eccli 1.*
lit peccatum: ac ideo etiã iram. Qui timet Deum, continens eſt iuſtitiæ; ac ideo etiam *Eccli 15.*
manſuetudinis. Demum qui timet Deum, cauet iram contra proximum, ne fortè hâc irâ Deum prouocet ad iram: & talem inueniat Deũ, qualis inuenitur à proximo. Deo enim fit, quod minimo fit. Nona ratio clau- *Matth. 25.*
dit duas. prior eſt, Memorare teſt. Teſtamentum ſeu fœdus inijt tunc Deus cum Iudæis, nunc verò cum Chriſtianis, quòd ipſe eſſet illis & his Deus, ſors, hereditas: hi verò eſſent Deo gens ſancta, regale ſacerdotium, *Exod. 19.*
populus acquiſitionis. Ergo ſi inimicitias cum fratribus alis, intellige te eas cum Regibus, Sacerdotibus, genteq́ ſancta nutrire. Demum ſi cum fratre bellum gerere placet, cum Deo intelligas bellum te gerere. Altera

ratio eſt: frater qui in te peccauit, ex ignorantia fecit. eſt verò id peccatũ venia dignũ. ¶ Tu nota, omne peccatũ ignorantiam eſſe. nequit enim peccatum non miſtã ignorantiam habere. Nam & Philoſophi dixerunt,
1. Reg. 26. Omnis malus eſt ignorans. & Saul fatetur,
Iohan. 11. quòd ignorauerit multa. & de Iudæis dici-
Rom. 11. tur, quòd eos excæcarit malitia ſua.

2 *Abſtine te à lite, & minues peccata: homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Licet generalis ſit ſententia, comprehendens etiam lites coram Iudice, ſuauiùs tamen intellige de rixa contra proximum. Cohibe te, inquit, à lite, & rixa, & minues peccatũ: peccatoris enim eſt per iram ſuam amicos, & pacem habentes turbare. quod fit, quando odium cùm aliquo gerimus. turbantur ſiquidem eodem odio, qui ex noſtra, & illius parte ſunt. Eſt verò diaboli munus, pacem hominum turbare: ſicut Dei, turbatam ſedare. Subdit Author elegantem ſimilitudinem. *Secundùm enim ligna ſyluæ, ſic ignis exardeſcit: & ſecundùm virtutem hominis, ſic iracundia illius erit, & ſecundùm ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam.* Id eſt, Si in ſylua pauca & parua ſint ligna, exiguus in ea ignis cõſurget: magnus verò, ſi ligna ſint & magna, & multa. ita ſi pauper ſis, breuis erit ira: at ſi potens & diues, ô quàm magna erit ira tua? facilè enim potens & diues irritatur, excandeſcit, clamat, lædit, nec à læ-

dendo

dendo ceſſat. potentia ſiquidem & opes vires iræ miniſtrant. Deo gratia: quem opes & potentia non reddidere turbulẽtum, ſed manſuetiſſimum. Hunc igitur, non bilem ſuam, Principes viri imitentur.

Certamen feſtinatũ incendit ignem: & lis feſtinans effundit ſanguinem: & lingua teſtificans adducit mortem. Si ſufflaueris, quaſi ignis exardebit: & ſi expueris ſuper illam, extinguetur: vtraque ex ore proficiſcuntur. Id eſt, Si verbis concitatiùs contra proximum certaueris, inde irę ignis incendetur: & ſi cum eo cõcitatus pugnaueris, eius ſanguinẽ fundes: & adducentur teſtes, qui eum ſanguinẽ fuſum teſtificẽtur, inducentq́ tibi mortẽ, quàm ſ. Iudex tibi irrogabit. Igitur ſi iram tuã ſufflaueris, odij cauſas excogitando, & vrgendo, illa velut ignis ardebit: ſed ſi in iram expueris, cauſas manſuetudinis in eam velut aquã inijciendo, ira extinguetur. Ac ſimiliter, verbis duris, velut impetu venti, iram tuã & alienam, velut ignẽ accẽdes: vno verbo pacifico, velut ſputo iniecto, eã extingues. Ex vno fonte dulcis prodit aqua, & amara. ex vno ore diſcordia prodit, & pax. Tu D. Iacobũ vide ſup hac re. Iacob. 3. 3

SECVNDA PARS.

De bilingui.

SVſurro, & bilinguis, maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Vocatur ſuſurro, qui clàm alijs detrahit. Bilinguis, qui aliud dicit, quàm ſentit. Maledictus ergo ſit, qui vel clàm alienam famam rodit: vel etiam 4 Suſurro. Bilinguis.

manifeſtè contra veritatem, quam nouit, alienæ famæ notam inducit. Tanti enim honorem facimus & famam, vt qui eam lędit, maximè lædat. Eſt enim melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Sequitur eadem res explicatiùs. *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem. Ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum cõcidit, & gentes fortes diſſoluit. Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus ſuis. Qui reſpicit illam, non habebit requiẽ, nec habitabit cum requie.*

Prouer.22.

Lingua tertia Lingua tertia vocatur, quę inter duos ſeminat diſcordias: quę inter amicos, inimicitiam facit. hæc turbat pacem aliorum: facit, vt is qui amiſit famam, amittat & patriam. Bella mouet, quâ cauſa ciuitates diuites, & domus Principum diruuntur: populi currunt ad arma: eorum vires concidunt: & eorũ fortitudo diſſipatur. Facit lingua tertia, vt coniugata à viro eijciatur domo: ac ita non fruatur bonis, quæ multo labore quęſiuit. Horum ne maius teſtimonium requiras, quàm linguam ſerpentis, quæ eiecit primos parẽtes è paradiſo. Vnde quot mala proceſſerint, quis vel mente comprehẽdere queat? Et ſi expenderis, vix peccatum grande committimus, niſi diaboli inſtigatione: quę, quid aliud eſt, quàm lingua tertia inter Deum, & nos? Eſt ergo lingua tertia diabolica lingua. Ideo meritò, quiuis noſtrum monetur, ne illam reſpiciamus. id eſt, ne aures ei

Geneſ.3.

res ei

res ei porrigamus. alioqui, neque nos habe-
bimus requiem in nobis, nec requiem da-
bimus ijs, qui nobiſcum habitare volunt.
Rectè igitur D. Iacobus, Lingua eſt vniuer- *Iacob.3.*
ſitas iniquitatis. Siquidem tot eſt illa cauſa
malorum.

Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem lin- 5
guæ comminuet oſſa. Multi ceciderũt in ore gladij,
ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam.
Grauior eſt percuſſio linguæ, quàm flagel-
li. nam flagellum facit in carne liuorem:
lingua, vulnus in anima. faciliùs feras oſſa
tibi conteri, quàm famã denigrari. Et equi-
dem multos vorauit gladius: ſed plures
lingua. Id eſt, gladius alienus multos occi-
dit in corpore: ſed multò plures propria
lingua occidit in animo. qui enim infamât
alios, quaſi animo intereunt. peccando ſ.
mortaliter. ¶ Aduerte quàm conſultò non
dixit, non ſic qui intereunt: ſed non ſic,
quaſi qui intereunt. Nam licet peccando
mortaliter intereamus: non tamen omni-
no, ſed quaſi. animus enim non interit, niſi
in inferno, vbi poſt quaſi mortem, venit
omnimoda mors. quæ propterea mors ſe- *Apoc.2.*
cunda vocatur, non quòd tunc anima ver-
tatur in nihilum: ſed quòd melius fuiſſet
in nihilum verti. Nam melius fuiſſet ei, ſi *Matth.26.*
natus non fuiſſet homo ille.

Beatus qui tectus eſt à lingua nequam, qui in 6
iracundiam illius non tranſiuit, & qui non attraxit
iugum illius, & in vinculis eius non eſt ligatus. Iu-

gum enim illius, iugum ferreum eſt: & vinculum eius, vinculum æreum eſt. Mors illius, mors nequiſſima: & vtilis potiùs infernus, quàm illa. Dupliciter hic obſcurus locus exponitur. priùs ita: Beatus quem Deus liberat, ne eum lingua nequam lædat: & ne irata lingua in eum ſęuiat: & ſuper quem lingua viperea iugum non poſuit: & quem linguæ vincula non ligarunt. Durum enim eſt eius iugũ, & ferrea vincula eius. Mors quã illa infert, mors peſſima eſt. quia melius eſt glorioſè mori, quàm graui infamiâ læſum, viuere. & melior eſt inferus, id eſt, ſepultura, quàm à lingua grauiter infamari. Alter ſenſus eſt: Beatus ille quem Dominus liberauit, ne linguam haberet nequam: & ne iram linguæ in ſe ſentiret: & ne iugum linguæ ferreum ſuſtineret, aut eius vinculis ligaretur. Cùm moritur lingua nequam, mors eius eſt peſſima. vt eſt mors peccatorum peſſima. & melior eſt infernus, quàm lingua nequam. quia in inferno inuenitur iuſtitia, ius, & æquitas Dei: in lingua nequam nihil inuenitur, niſi nequitia. ¶ Qui videt ſe linguam nequam habere, intelligat, quòd diabolus ei ferreum iugũ impoſuit, & æris vinculis colligauit. Vt iugo, ſeruitutem notaret: & vinculis æreis innueret, nunquam à ſeruitute eripiẽdum. Vnde colligitur, eius mortem fore non malam ſolùm, ſed peſſimam. vt intelligas, quàm atrociſſimè ſit ea lingua punienda. ¶ Illud verò, vtilior inferus, quàm illa, Theologiam docet, Meliorem

Geneſ.37. *Pſal.33.* *Eodem.*

eſſe

eſſe pœnam (quanuis ſit illa tartarea) quàm culpa. maximè quàm culpa linguæ nequã, quæ tantorum malorum cauſa eſt.

Perſeuerantia illius non permanebit, ſed obtinebit vias iniuſtorum: in flamma ſua non comburet iuſtos. Id eſt, Si viſa fuerit lingua nequam perſeuerare, non perſeuerabit nimis diu tamen, iuſtos lædendo. Deus enim à iuſtis in iniuſtos eam relegabit: vt quæ nocebat iuſtis, noceat iniuſtis. Ergo ſi flamma linguæ iniquæ attigerit iuſtos, non eos comburet. erunt enim vt rubus ille, qui videbatur aduri, & non vrebatur: ſed viridis & illæſus perſeuerabat. quid ni illæſus duraret, quem Dei præſentia tegebat? Huius rei exemplum in Suſanna præceſſit: ſed in Chriſto abſolutum eſt. Confidant ergo iuſti, ſi in eos lingua ſæuierit detractoria: non nimis diu eius ſæuitia perſeuerabit.

7

Exod. 3.

Dan. 13.

Qui derelinquunt Dominum, incident in eam, & exardebit in illis, & non extinguetur: & immittetur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet illos. Id eſt, Vt Dei prouidentia præſeruat pios, ne lædantur à linguis iniuſtis: ita permittit, vt qui derelinquunt Deum, incidant in ſæuiſſimas linguas. quæ ita in illis ardeant, vt nunquam extinguantur. Itaque linguæ iniquæ, vt leo rapient iniuſtos, & vt pardus eos lædent. Lędit verò pardus ex inſidijs occultiſſimis, authore Plinio lib. 10. c. 73. ¶ Malum igitur, & amarum valde eſt, te reliquiſſe Dominum. Argumentũ verò quo pre-

8

Plinius.

Ierem. 2.

Pſal. 119. probabis te eum dereliquiſſe, eſt, verſari te, & premi nimis multùm à labijs iniquis, & lingua doloſa. Quàm porrò hæc noceat audi Dauidem dicentem, Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum, gladius acutus. (Pſal. 56.)

9 *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire: & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis.* Vt ſoles vineam ſpinis ſepire, ne intrent latrones: ita ſepi aures, ne audias detractiones. & vt adhibes oſtia domui tuæ: ita adhibe oſtium circunſtantiæ ori tuo. (Pſal. 140.) & vt arcam ſera munis, ne pateat furi: ita & aurem, ne pateat detractori. Spinas adhibes auribus, quando audis inuitus: & qui te audit, intelligit te audire grauatè. Oſtium apponis ori, quando nihil ſine ratione loqueris: vt ſit oſtium ratio. Obſeramus aures, quando mala audire recuſamus. (Geneſ. 3.) O ſi Heua ſpinis ſepiſſet aures, ſeriſq; clauſiſſet, ne dæmonem malè loquētem audiſſet. O ſi idem Adam feciſſet, ne Heuam audiret. Sepijt ſpinis Chriſtus aures, cùm dæmoni dixit, Vade poſt me Sathana. (Matth. 4.)

10 *Aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos: & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.* Id eſt, Conſla aurum ac argentum, non illi parcas: facito inde ſtateram, in qua, quæ es dicturus, examines: facito etiam frenum, quo linguæ petulantiam

am cohibeas. ne ſi per ea labaris, cadas coram dæmonibus, qui tibi velut leo inſidiantur: cadasq́ in infernum, vbi caſus inſanabilis erit. ¶ Iubet Author cõflari aurum & argentum, vt inde numi fiant, qui in pios vſus erogentur. qua re Deus inclinatus, freno cohibeat linguam noſtram, & faciat, ne quid ſine rationis libra loquamur. Aurea porrò ſtatera eſt, quãdo, quicquid loquitur lingua, in Dei gloriam refertur. Argentea erit, quando, quod loquitur, in vtilitatem proximorum loquitur. ¶ Cadimus autem in conſpectu inimicorum, cùm in Iudicio particulari, quo quiuis in morte examinatur, dæmones victores exiliunt. Non cadimus, ſi non confundimur, quando dæmonibus in porta (ſ. mortis) loquemur. id eſt, *Pſal. 126.* quando, ab illis in hora mortis accuſati, & à Chriſto Iudice liberati, dæmonibus inſultabimus.

CAPVT XXIX.

PRIMA PARS.

De mutuo dando.

QVI *facit miſericordiam, fœneratur proximo ſuo: & qui praualet manu, mandata ſeruat.* Id eſt, Qui ſolet eſſe miſericors dando pauperibus eleemoſynam, is mutuum etiã det proximo ſuo. neque enim minor eſt mutui, quàm dati gratia: & ſæpe quod 1

quod datũ recuſo, mutuum accepto. Idem dicitur ſequenti verſu. ſ. qui præualet manu ad dandum multis,ſeruet mandatum de mutuo dando. Sanè in lege noſtra duplex
Luc.6. mandatum reliquit Chriſtus.ſ.Omni petenti tribue. &, Volenti mutuari à te, ne auer-
Matth.5. taris. Si ergo das, non verò mutuas, altera manu vales : non vtrâque. Vnum,non duo mandata ſeruas. ¶ Caue hoc loco, per fœnerare, ad vſuram dare, intelligas. ſed fœ-
Deut. 23. nerare,eſt mutuum dare. Erat enim prohibitum Iudæis, alijs Iudæis fœnerari. ¶ Et pulcherrimè dicitur valere manu, qui dat, & mutuat. Nam auarus,qui nõ dat,manum paralyticam habet,non verò valentem,aut ſanam.Subdit Author. *Fœnerare proximo tuo in tempore neceſsitatis illius, & iterum redde proximo in tempore ſuo.Confirma verbum,& fideliter age cum illo : & in omni tempore inuenies quod tibi neceſſarium eſt.* Vt tempore neceſſitatis obligamur dare eleemoſynam,ei qui non creditur habiturus, vnde ſoluere poſſit : ita & obligamur mutuum dare ei, qui videbitur fore ſoluendo. vt ergò eſt mortale,eleemoſynam in neceſſitate negare : ita & eſt mortale,mutuum in neceſſitate prohibere.Ideo dicit, Fœnerare dando mutuum proximo in tempore neceſſitatis eius.Interim tu qui mutuum recipis,redde tempore ſtatuto : & verbum tuæ promiſſionis,opere confirma: fidelisq́; eſto mutuatori. Ita enim fiet, vt cùm iterum egueris, inuenias. ¶ Expende verbum,fideliter. nam mortalis, & grauiſſima

ſima infidelitas eſt, non reddere mutuum tempore ſuo, ſi licet. *Multi quaſi inuentionem aſtimauerunt fœnus, & praſtiterunt moleſtiam hiis, qui ſe adiuuerunt.* Id eſt, Ita multi mutuum non reddunt, ac ſi non mutuum, ſed inuentum eſſet. quod grauiſſima eſt moleſtia, ac ingratitudo ei, qui non eam meretur. ſi enim mutuator iuuit te, cur tu, ita mutuum retines, ac ſi non ſuum, ſed tuum eſſet? ¶ Aduerte, quantam emphaſim habeat, præſtiterunt moleſtiam his, qui ſe adiuuerunt. Quaſi dicat, Mutuator fuit tibi in tua anguſtia quidam Deus: tu verò huic Deo moleſtus es? O quàm verum illud, Homo homini Deus. ſ. mutuãs mutuatario. & homo homini peior quàm fera. id eſt, qui recepit mutuum, ei qui dedit. *Donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam: Et in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba acediæ & murmurationum, & tempus cauſabitur.* Mores noſtros graphicè depingit. Nam cùm mutuũ petimus à proximo, eius manus arripimus, veluti eas oſculaturi, & humilimis verbis promittimus nos ſoluturos, & gratiam reddituros. At cùm tempus reddendi adeſt, prorogari redditionem petimus. quod ſi non facilè impetramus, amaris verbis obmurmuramus contra eum qui mutuauit: culpam reijciẽtes in tempus. ſ. quod fuerit ſterile, pluuium, aut aliâ cauſa impeditũ, ac ideo nos ſoluere non potuiſſe. Hæc cauſamur, cùm ſol-

ſoluere non poſſumus. Si tamen poſſumus, ſubdit Author: *Si autem potuerit reddere, aduerſabitur ſolidè: vix reddet dimidium,& computabit illud quaſi inuentionem. Sin autem,fraudabit illum pecunia ſua, & poßidebit illum inimicũ gratis: & conuitia & maledicta reddet illi,& pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.* Exiſtimo ſignificari: Si potuerit reddere, aduerſabitur ſolidæ,ac integræ redditioni. id eſt, dicet ſe integrum ſoluere non poſſe,ac ideo vix reddet dimidium: gaudens,quòd aliud dimidium ſibi maneat,ac ſi illud inueniſſet. Quod ſequitur,Sin autem, hunc habet ſenſum: Si nec dimidiũ reddet, fraudabit creditorem pecunia vniuerſa: ac ita eum pro amico inimicũ faciet, & maledicta in eum iaciet,dicens eum eſſe parcum & auarũ,&c. En quale hominum ingenium eſt. rectè ſtupet,qui dixit, Nunquid redditur pro bono malum? &c. Sed hic noſter vſus ab antiquo eſt. ita enim ſolemus Deo, pro honore, & beneficio reddere offenſas, & contumelias.

Ierem.8.

Multi non cauſa nequitiæ non fœnerati ſunt,ſed fraudari gratis timuerunt. 2. Veruntamen ſuper humilem animo fortior eſto, & pro eleemoſyna non trahas illum. 3. Propter mandatum aſſume pauperem: & propter inopiã eius ne dimittas eũ vacuum. Primi mẽbri ſenſus eſt: Multi nolunt mutuum dare: non quia mali ſint, aut crudeles: ſed quia fraudari ſe, eo quod mutuo dederunt,timent.Secundi mẽbri ſenſus eſt:

Tu

Tu ô vir pie, etiam ſi fraudari te timeas, fortis animo eſto, & humili tribue quod petit, nec differas eleemoſynam ei dare. Tertium membrũ ratio eſt, cur dare cogamur, etiam non reddituro, ſ. quia ita Dominus mãdat, ne ergo dimittamus vacuum, eum qui ex inopia non erit ſoluendo. ¶ Habes lector duas cauſas cur demus, etiam his, qui non reſtituunt. Altera eſt, animus grandis, qui beatius credit dare, quàm accipere. Qui Deo *Actor. 20.* ſimilis, dat, & non improperat: ſolemq́ ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & peccatores. Altera eſt, propter mandatũ Dei, qui generaliter in Euangelio dicit, Omni petenti te tribue. & ab eo qui mutuum petit, ne auertaris. Tertiã cauſam ſubdunt verba ſequentia. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum: & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.* Id eſt, Naturâ inſtitutum eſt, vt minora, etiam cum ſui detrimento, maioribus ſeruiant. ita enim omnia homini ſeruiunt. Seruiat ergo pecunia, fratri, & amico: tãtò maioribus, quàm pecunia. Perde igitur pecuniam, id eſt, eam expone, licet non ſis recepturus in terra. Illud porrò, non abſcondas illam ſub lapide, videtur ſignificare fuiſſe Iudæis vſum, theſauros ſuos ſub certis lapidibus occultare: ne latronũ paterent iniurijs. At, inquit, magis illa pecunia abſcõſa perit. Solet enim ærugini, rubigini, & furibus eſſe obnoxia. Perit item hero ſuo, qui inde nullum emolumentum capit: perit & proximis, quo-

Iacob. 1. *Matth. 5.* *Luc. 6.* *Matth. 5.* *Matth. 6.*

rum neceſſitatibus non ſuccurrit. Quod verò noſter Author de lapide ait, Chriſtus de ſudario dixit, cùm docuit eum condemnandum, qui pecuniam in ſudario ligatam ſeruauit.

Luc.19.

2 *Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi, & proderit tibi magis quàm aurum.* Id eſt, Pecuniam, vt tuta ſit, arcæ commendas. commenda præceptis Altiſſimi, & tutior erit. Ita Dominus, Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Quomodo verò profit theſaurus diſpenſatus iuxta præceptum Dei, ſequentibus verbis docetur. *Concludе eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Ergo eleemoſyna corã Deo conſiſtit: & cùm videt eum qui eam dedit, aliquo malo premi, ſtatim accurrit, & genibus Dei prouoluta rogat, vt ab eo malo illum eruat. Orat, inquam, & exorat: rogat, & impetrat. Vbi & Dei noſtri ingenium erga eleemoſynam affectiſſimũ, & eleemoſynæ valorem & vim contra omne malum efficaciſſimam intelligis. ¶Nota verbum, in corde pauperis. quo ſignificatur, & eleemoſynam in occulto faciendam: & ita faciendam, vt cordi pauperis grata ſit. tunc enim concluditur in eius corde, cùm eius neceſſitati benignè ſuccurrit. Nam quæ parciùs, & miſeriùs datur, in corde minimè concluditur. ¶Secundò nota verbum, exorabit. quod apertè ſignificat efficaciam impetrandi. quàm igitur eſt eleemoſyna potens!

Matth.6.

Eſt proſopopœia de qua ſuprà c.17.

¶Ter-

¶Tertiò, non te prætereat verbum, exorabit ab omni malo. Nullũ eſt ergo malum, aut culpæ, aut pœnæ, contra quod eleemoſyna non valeat. De hac re vide Tob. 4. *Eleemoſyna viri, quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit. & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem, vnicuique in caput illorum.* Hæc ſunt à me explicata c. 17. ſuprà. *Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Scutum defendit, lancea offendit. Igitur eleemoſyna eſt pro armis defenſiuis, & offenſiuis, contra aduerſarios noſtros. ſ. quia facit, vt Deus pugnet pro nobis : vt olim pro Hebræis in mari rubro. At fauor diuinus & defendere nos, & offendere hoſtem poteſt. intellige, hoſtem generaliter, ſeu viſibilem, ſeu inuiſibilem. ¶ Ne verò credas eum qui dat eleemoſynam, à nullo hoſte tentãdum. Nam & Iob priùs, & Chriſtus poſtea (qui eleemoſynas dabant) hoſtis inſultibus minimè caruerunt. ſed ſenſus eſt, eum fore victorem, qui eleemoſynis intendit. ¶ Et ego credo, non hîc intelligi, eum qui vnam aut alteram dat eleemoſynam : ſed qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c. Huiuſcemodi Chriſtus vocat miſericordes, qui miſericordiam conſequentur.

Tob. 4. Eccli 17. Exod. 14. Iob 31. Iohan. 13. Pſal. 20. Matth. 5.

SECVNDA PARS.

De fideiubendo.

2 *VIR bonus fidem facit pro proximo ſuo : 2. & qui perdiderit confuſionem, derelinquet ſibi.*

Hh 2 Id eſt,

Id eſt, Non ſolùm vir bonus mutuũ dabit, & eleemoſynam : ſed etiam fideiubebit pro amico. eſt enim fideiuſſio licet periculoſa, vtilis porrò, & ſæpe proximis noſtris neceſſaria. Sequens verſus habet duos ſenſus. Prior eſt : Qui amittit verecundiam, non fideiubebit,ſed ſibi derelinquet,ac ſeruabit, nolens fideiubere.Planè quippe,cùm rogor vt fideiubeam, ſi nolim,amitto verecundiam coram proximo,vt mihi bona mea ſeruem. Alter ſenſus, vt credo germanior, eſt : Vir bonus fideiubet, & exponit bona ſua pro amico : amicus tamen ſi amiſit verecundiam, non ſoluit pro fideiuſſore, ſed ſibi ſeruat. Contra quem ſubdit Author: *Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris : dedit enim pro te animam ſuam.* Id eſt,Beneficium quod tibi fideiuſſor pręſtitit,habeto in memoria ſemper: ſiquidem ſi pro te ſuam ſubſtantiam expoſuit, perinde eſt, ac ſi vitam expoſuiſſet. imò nonnunquam contingit, vt vitam exponat fideiuſſor. veluti qui pro captiuo, vt liber fiat,ipſe fit obſes.

4 *Repromiſſorem fugit peccator, & immundus. Bona repromiſſoris ſibi adſcribit peccator : & ingratus ſenſu derelinquit liberantem ſe.* In primo membro, immundus vocatur, qui carebat lege Dei. ſ.infidelis. vt Petrus (cùm admonebatur,vt infideles ad fidem ſuſciperet) dicebat, Nihil immundũ comedi. Igitur ſenſus eſt: Peccator,& infidelis,cùm repromiſſorem,ſeu fideiuſſorem venire vident,fugiunt

Actor.10.

unt eius aſpectum. vtpote quem indignè offenderunt. Addit Author: Bona fideiuſſoris ſibi vendicat is qui peccator eſt, qui iniquus, & ſceleratus eſt. Nam ſi ſoluere non vult, & facit vt fideiuſſor ſoluat, num non bona eius ſibi vſurpat? Demum, Ingratus ſenſu, derelinquit fideiuſſorem, à quo fuerat liberatus. vt ſi cùm eſſes in carcere, pro te fideiuſſi: tu verò iam liber, me derelinquis. *Vir repromittit de proximo ſuo: & cùm perdiderit reuerentiam, relinquetur ab eo.* Faciliùs ita: Vir bonus fideiubet pro ſuo proximo: à quo verecundiam amittente, derelinquetur. nec enim tantum nefas in fideiuſſorem admittere poteſt, niſi qui verecundiam amiſit.

Repromiſſio nequiſſima multos perdidit diligentes, & commouit illos quaſi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagari fecit in gentibus alienis. Pro diligentes, quidam codices habent, dirigentes. id eſt, qui rectè incedebant, & feliciter viuebant. noſtra litera, pro diligentes, intelligit ſolicitos, aut intelligit amantes. vt ſit ſenſus: Si quia diligis nequiſſimum, fideiubes pro eo, hæc fideiuſſio te perdet, & velut fluctum maris priùs aſcendentem in cælum, deſcendere faciet in abyſſum: & gyrans, ac circunuoluens te, migrare è terra tua faciet, & vt inter alienos exules, coget: ne in manus iudicis cadas. hæc omnia experientia teſte illuſtrantur. 5 *Pſal.* 103.

6 *Peccator tranſgrediens mandatum Domini, in-*

 cidet

cidet in promiſſionem nequam : & qui conatur multa agere, incidet in iudicium. Id eſt, Si peccator es, id aget Dominus, vt in pœnam peccati tui, fideiubeas pro aliquo nequam. ſ. vt hac ratione bona tua amittas, & ſolum vertere cogaris. Sequentis membri, quod eſt velut regula generalis, ſenſus eſt : Qui in multa negotia, maximè emendi, vendendi, & reuendendi, ſe ingerit, (quod familiare Iudæis eſt) is neceſſe eſt incidat in lites, & iudicia : ac proinde vt fideiubeat, & vt pro
Eccli 11. eo fideiubeatur. Igitur rectè illud, Fili, ne in multis ſint actus tui. Concludit hæc Author : hanc de fideiubendo ſubdens pulchram dictorum ſummam. *Recupera proximum ſecundùm virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Id eſt, Pro virili iuua proximũ, dando, mutuando, fideiubendo : id tamen facito prudenter. ſ. cauendo, ne tu cadas. Eſt enim canon generalis : Nemo alijs fauere tenetur, cum damno ſuo. Igitur ſi mihi cadendum eſt, id eſt, ſi in inſignem calamitatem caſurus ſum, ex bono opere proximo impenſo, impendere non teneor.

TERTIA PARS.
De non vagando.

7 I*Nitium vitæ hominis, aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* Id eſt, Summa vitæ humanæ comprehenditur in aqua & pane, ad victum : & in veſte, ad amictum : & domo, quâ turpia noſtra tegantur.

gantur. Ita Paulus, Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Vt ergo quæris victum & veſtem, ita & quære domum: quæ & venerem, & egeſtatem, & reliquas vitæ miſerias tegat. ¶ Vinum non eſt vitæ humanæ neceſſarium. Ideo ante Noe nulla de vino mentio. Veſtis poſt peccatum neceſſaria eſt. Ideo enim Deus verenda patrum perizomate texit. Domus item neceſſaria, ſiquidem eſt homo animal politicum. 1. Tim. 6. Geneſ. 3.

8 *Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum, quàm epulæ ſplendidæ in peregrè ſine domo.* Tempore etiam noſtro, ſunt viri nobiles, quotidie quærentes conuiuia magnatum. contra hos & ſimiles tota hæc pars inſtruitur: & eis dicitur, melius eſſe pauperem victum in tugurio ex trabibus ligneis confecto, ſplendidis epulis extra domum, ſi ea cares. Siquidem epulari in domo tua, dominum te facit: in aliena, ſeruum. Si domi tuæ comedas, tibi obligaris: ſi in domo mea, mihi. Si domi meæ epuleris, palato meo ſeruies: ſi tuæ, tuo.

9 *Super minimum & magnum placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies.* id eſt, Domi tuæ contentus eſto, non ſolùm magno, ſed & minimo: ac ita non audies improperantem tibi hoſpitem, quòd non vocatus adueneris. Rectè ille, Seruiet æternum, paruo qui neſciet vti. Rectiùs Paulus, Ego didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe. ¶ Tu verò ſcrupuloſe aduerte, nō ſemper pauco vten- Horatius. Philip. 4.

dum: vtendum aliquando & magno, vbi ſ. aut dies feſtus, aut hoſpes amicus, aut alia bona ratio id præcipiunt. *Vita nequam hoſpitandi de domo in domum: & vbi hoſpitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.* Id eſt, Miſerum eſt nunc in vna domo, nunc in alia hoſpitari: nec enim in aliena domo liberè licet agere, imò nec os aperire. Ergo ſi non bene pro toto libertas venditur auro: nec vendi debet pro epulis, quālibet ſplendidis. Profectò conuiuia aliena libertatem adimunt: neque id malum ſolum habent, habent & alia quæ ſequuntur. *Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet, Tranſi hoſpes, & orna menſam: & quæ in manu habes, ciba cæteros. Exi à facie honoris amicorum meorum, ne ceſſitudine domus meæ: hoſpitio mihi factus eſt frater.* Certum eſt, eum qui in domo vult aliena eſſe conuiua, adducere ſecum & cibos, & potum, quibus hoſpitis gratiam demereatur. Ideo, inquit, miſer ille qui vult in aliena domo eſſe conuiua, in ea quidem hoſpitabitur: ſed ſuo cibo paſcet, ſuo vino potabit hoſpites: qui non ſolùm erunt ingrati, ſed hæc amara hoſpiti dicent, Hoſpes tranſi ad alios. Ibi orna menſam, & ciba eos cibo, & potu, quos adduxiſti. Exi domo mea. venerunt enim mihi amici, quorum honori tu cedere debes: venerunt mihi neceſſarij domeſtici, quos domus neceſſitudo mihi coniunxit: venit mihi conſanguineus
Exod. 2. (hos Hebræi vocabant fratres) hunc hoſpi-

tio recipere debeo. Tu igitur exi. ¶ Tu do- *Exod.2.*
cte collige, qui ſint hoſpitio præferendi, ſ.
amici, domeſtici, conſanguinei.

Grauia hæc homini habenti ſenſum, Correptio 10
domus, & improperium fœneratoris. Eſt velut di-
ctorum ſumma. Graue, inquit, eſt viro ſen-
ſum communem habenti, hoſpitis expro-
brationem, tum etiam mutuantis impro-
perium audire. Ille dicit, Cur nobis hoſpes
veniſti; alij ſunt nobis hoſpitandi: tu ito.
Hic dicit, Redde quod debes: alioquin in
carcerem te cōijciam. Num non eſt hæc au-
dire graue? ¶ Nota, Iudæi quia erant nego-
tiatores, orbem peragrabant: & quia non li-
cebat eis apud Gentiles commanere, (vt Pe- *Actor.10.*
trus dixit) quærebant Iudæos, apud quos
diuerſarentur. familiare igitur Iudæis erat
hoſpites recipere. Nam & Raphael dixit,
Manſi apud Gabelū fratrem noſtrum. Au- *Tob.4.*
thor igitur ſuadet Iudæis, vt ſuo modico
ſint contenti: ne maiora quærētes, peregri-
ni fiant, & hoſpitum audiant improperia.

CAPVT XXX.

PRIMA PARS.

De Filiorum educatione.

Q*VI diligit filium ſuum, aſſiduat illi* 1
flagella, vt lætetur in nouiſſimo ſuo,
& nō palpet proximorū oſtia. Quia
cūcta cogitatio hominis inten- *Geneſ.6.*
ta eſt ad malū omni tempore:

 & ſen-

Gene∫.8. & ſenſus ac cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcētia ſua, ab ea debet filius aſſiduè caſtigari. Si enim in principio filius caſtigatur, in nouiſſimo, id eſt, ſenio lætatur. iuxta illud, Lętabimur pro diebus in quibus nos humiliaſti: & annis, quibus vidimus mala. Caſtigatus itaq; ab adoleſcentia filius, vir frugi efficitur: ac ita non cogitur oſtiatim mendicare. ¶ Collige primùm lector, quàm noceat filijs indulgentia patrum. Cuius rei calamitas Heli, propter filios Ophni & Phinees, exemplo fuit. ¶ Secundò nota, non dicit, aſſiduat illi verba: ſed flagella. Arbitror enim obiurgationem verbo tenus parum ſæpe prodeſſe, multùm non rarò nocere. filij enim his verboſis caſtigationibus aſſueti, contemnere ſolēt, non corrigi: inuerecundiores, non emaculátiores euadere. ¶ Tertiò nota, legem Domini fuiſſe, ne quis eſſet inter Iudæos mendicus, at nihilominus mendicabāt multi: & mendicabāt more noſtro: non canendo, vt Germani: ſed oſtia pulſando, vt nos.

Pſal.89.

1.Reg.2.

Deut.15.

2 *Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium ſuum, in zelum mittet inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.* Id eſt, Qui erudit, etiam verberibus, filium ſuum, ab alijs propter ipſum laudabitur, & ipſe inter domeſticos de filij probitate, aſſidua caſtigatione comparata, gloriabitur: & inimicos, ſi quos habet, ad filij tam bene inſtituti inuidiam prouocabit, ¶ Credibile igitur eſt,

Chriſtum

Chriſtum inter angelos gloriari, cùm ſua doctrina aliquem ex nobis verè ſanctũ effecit. nam Paulus vbique de Chriſtianis à ſe eruditis gloriatur: dicẽs, Gaudium meum, & corona mea vos eſtis. *Philip.4.* *1.Theſſ.2.*

Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo: in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis. reliquit enim defenſorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Pater bonus mortuus, in filio viuit: quia filius, patris mores refert & ingenium. vt ſi caro patris mortua ſit, ſpiritus eius in filio viuere videatur. Iam vt vehementer angit patrem, filium relinquere peruerſum: ita mors patrem non contriſtat, cùm pium relinquit filium: cuius cauſa non erit ei coram inimicis pudendum. ¶ Ergo ſi nulla ratio ad pietatem nos prouocare poſſet, hæc vna deberet: vt ſ. Chriſtus olim mortuus, viuat in nobis: & qui nos viderit, Chriſtum videre putet. Hoc vult Paulus, cùm ait, Glorificate & portate Deũ in corpore veſtro. ¶ Illud porrò, nec confuſus eſt coram inimicis, (licet Græcis non ſit) intelligi verò poteſt de vltimo Iudicij particularis examine: in quo, qui moritur, non afficietur verecundia coram dæmonibus, ex praua filiorum inſtitutione. 3 *1.Cor.6.*

Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera ſua. 4
Rabanus exponit, Pater nihil verebitur ſe *Rabanus.*

vulne-

2.Cor.12. vulnerari propter filios. nam Paulus cupit ſe impendere, & ſuperimpendi pro animabus filiorum. quem ſenſum ſumpſit ex
Gloſa interli. Gloſa interlineari idem Lyranus. Græca
Lyranus. alium ſenſum proferunt. ſ. Pater nihil verebitur filium vulnerare, cùm neceſſe fuerit: & ita filium erudire, vt ad patris vocem filij viſcera tremant. Tertius ſenſus, vt exiſtimo, germanus eſt: Pater non ſit trux, & ſęuus in filium: ſed ſi contingat eum vulnerare, pro eius anima & vita, eius vulnera colligabit & curabit: & ad omnem vocem planctus filij, patris viſcera turbabuntur. Ergo pater admonetur, vt vulneret: ſed benignè, & clementer.

¶ *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadit præceps. 2. Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum illo, & contriſtabit te. 3. Non corrideas illi: ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui.* Primi mēbri ſenſus eſt: Si iuuenci petulantiam fręno minimè domueris, durum eum inuenies: ac ita ſi filium ſuæ voluntati dimiſeris, in omnia ſe vitia pręcipitabit. Secundi membri ſenſus eſt: Si ad modum blandæ nutricis, nihil filio negaueris, faciet ille, vt ſemper illi metuas. ſemper pauens mala, quæ ob eius culpam, ille meretur. ergo ne cum illo ludas, ne te contriſtet. Tertij ſenſus eſt: Si riſerit filius, tu riſum prohibe tuum. Vt enim qui auidè rem acidam edunt, tunc quidem gaudēt, poſtea verò ſentiunt dentiū ſtuporem: ita ſi filio corrides, tunc quidem ridebis, ſed riſum lues

poſtea

poſtea dolore. *4. Non des illi poteſtatem in iuuentute, & ne deſpicias cogitatus illius. 5. Curua ceruicem eius in iuuētute, & tunde latera eius dum infans eſt: ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Quarti mēbri ſenſus eſt: Ne permittas, vt filius tuus liberè quæ velit agat, dum iuuenis eſt: imò attentiùs expende, qui nam ſint eius cogitatus. Si cogitarit ſancta, iuua: ſi praua, cohibe. Si rectà in bonum aſcendit, lauda: ſi in malum ſe flectit, in diuerſum coge. Quintum membrum ita accipe: Qui otio indulget, ceruicem rectam habet. tu ergo filium labori & operi addicito, vt curuam in opus ceruicē habeat. Tum nates eius ab infantia etiam (id eſt, à ſecundo, & tertio anno) percute: ne fortè ab ea ætate durus tibi fiat, & dolorem animæ inferat. Addit ſextum membrum. *6. Doce filium tuum, & operare in illo: ne in turpitudinem illius offendas.* Vt qui in agro, & vinea ſua diligentem operā collocat, euadit pauperiem: ita ſi in filio tuo operam nauaris ſtrenuam, filium à turpitudine liberas, & te ne ab ea offendaris eripies. Lector intellige hæc eſſe præcepta moralia, quæ vt plurimum vera ſunt. Sunt enim filij vt plurimum natura petulantiore, ac ita quæ diſciplinam requirat aſperiorem. non negamus tamen filios quóſdam naſci, qui tātam exactionem minimè requirant.

SECVNDA PARS.

De corporis valetudine.

Melior

6 M*Elior eſt pauper ſanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia.* Comparat ſalutem corporis, quæ adeò à multis vili æſtimatur, diuitijs, quas tãtopere mundus miratur, & quærit. Dicit igitur, multò magis præſtare ſalutẽ cum pauperie, quàm diuitias cum languore. maximè ſi languor & flagellum à Deo propter malitiam infli-

Iob 1. 2. gatur. Alioqui melior erat Iob, ſine ſua malitia flagellatus, quàm pauperes alij, quantũuis valentibus viribus eſſent. Sed Author ad regularia reſpexit. Nec enim diuites ſine aliqua malitia eſſe ſolent. ¶ Lector hoc loco ne crede de paupere malo, aut diuite bono eſſe mentionem. Solùm eſt ſentẽtia, qua iudicatur præſtare homini ſalutem, etiam cum pauperie, quàm diuitias cum languore. quod thema multa quæ ſequuntur elucidant. *Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ, & melior eſt omni auro & argento: & corpus validum, quàm cenſus immenſus.* Id eſt, Vt ſalus animæ (quæ in ſanctitate iuſtitiæ conſiſtit) melior eſt omni auro: ita corpus validum, melius eſt opibus immenſis. ¶ Nota, Hebræis eſſe ſanctitatem corporis, id eſt, munditiam. de

1. *Reg.* 21. qua Dauid dixit, vaſa puerorum ſancta eſſe. Erat etiam ſanctitas rerum, quæ Domino dicabantur. Nam & gentes, quas Dominus ſibi vendicabat, ad vindictam de per-

Iſaiæ 13. uerſis Iudæis ſumendam, ſanctæ aut ſanctificatæ dicebantur. Non eſt ſermo de hoc modo ſanctitatum: ſed de ſanctitate, quę eſt obſeruatio Iuſtitiæ, ſeu mandatorum Dei.

quæ

quæ ſalus animæ eſt. quæ etiam omne aurum excedit. ¶ Nota ſecundò cauſam, cur præſtet valetudo cenſui. certè quia corporis ſalus eſt ſuperioris ordinis, quàm cenſus. eſt enim cenſus exterius bonũ: ſalus, interius. quãuis ſalus ablata, cenſu reſarciatur. Alias duas cauſas indicant ſequentia. *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis: & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.* Id eſt, Salus corporis maiores opes ſunt, quàm reliquæ opes. Quod inde mõſtratur, ſiquidem prolixior infirmitas, omnes opes abſumit, quas valens corpus quæſiuit. Tum, licet aurum, argentum, familia, & reliqua, gaudium homini afferant, non tamen tale afferũt, quale corporis valetudo. Hęc enim cor lætũ facit: illa verò, ſi homo lãgueat, lętum efficere nequeunt. Ergo pauper ſua eſt ſalute diues: vt diues, ſua eſt infirmitate miſer. Rurſum, pauper, ſua ſalute, corde lætatur: diues ſuo languore proſternitur. Plus igitur ſalus etiã in paupere poteſt, quàm in diuite diuitiæ.

Melior eſt mors, quàm vita amara: & requies æterna, quàm languor perſeuerans. Bona abſcõdita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circunpoſitæ ſepulchro. Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabitur. ſic qui effugatur à Domino, & portans mercedes iniquitatis. Videns oculis & ingemiſcens: ſicut ſpado cõplectens virginem, & ſuſpirãs. Perſtat in explicãda miſeria languoris, dicẽs, melius eſſe mori, quàm diu in amaritudine viuere. ac ideo melius eſſe 7

ſepe-

ſepeliri, quàm in languore perſeuerare: licet ingentes diuitias habeas. Si enim multa bona habeas in cellarijs abſconſa, & tuus languor tibi os claudat, ne illis bonis fruaris: ſimilia erunt bona illa tua epulis, quæ in ſepulchris ſolebant apponi. ſiquidem defuncto illi nihil proderant, vt nec tibi, tua. Secundò ſimilia ſunt libationibus, & oblationibus, quæ idolis apponebantur, quę illi nec manducabant, imò neque odorabãtur. Similiter diues, quẽ Dominus propter eius delicta reiecit, ac effugauit, quiq; languorem in mercedem ſuæ iniquitatis accepit: bona multa coram ſe habet, ſed nec illa, aut manducat, aut odoratur. ac ita ſua bona videns, & quia eis non poteſt frui, ſimilis fit ſpadoni, complectenti virginem: gementi tamen, quia frui ea non poteſt. ¶ In primo membro nota, non eſſe mentionem de vita amara pœnitentium. hæc enim licet ſit exteriùs amara: habent tamen eius lachrymę lętitiam interiorem. Sermo eſt de vita amara languentis, cui pro ſua iniquitate Deus ſuauitatem patientiæ non communicauit. ¶ Nota in ſecundo membro, fuiſſe morem Hebræis epulas ſepulchris adhibere. Quod & Tobias ſenex iuniori præcepit, dicens:
Tob.4. Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus. Vnde colligitur, epulas illas adhiberi ſolitas, vt inde oraturi pro defunctis manducarent: ſed ex eis, defuncti manducare non poterant.

¶ Ter-

¶ Tertij membri exemplum habes draco-
nem Bel, cui nihil profuerunt cibaria à Ba- Dan.14.
bylonijs adhibita. ¶ Quod autem dicit, ſic
qui effugatur à Domino, alluſit ad Cain,
quem ob ſcelus parricidale Deus effugauit.
eodem dicente, Ecce eijcis me hodie à facie Geneſ.4.
terræ. ¶ Demum illud, portans mercedes
iniquitatis, intelliges lector ex illo Iacobi,
Ecce merces operariorum qui meſſuerunt Iacob.5.
regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis,
clamat, &c.

TERTIA PARS.

De vitanda triſtitia.

8 *Triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo. Iucunditas cordis, hæc eſt vita hominis, & theſaurus ſine defectione ſanctitatis: & exultatio viri eſt longæuitas.* Id eſt, Pro virili fuge triſtitiam, nec eam in tuam animam ingredi patiare: & ſi ingreſſa eſt, eam à te pelle. Tum nec conſilia illa tractes, quæ te affligant. Itaque ne ſis triſtis ac tetricus. Eſt enim vita breuis: cura igitur vt lęta trãſigatur. Nam iucunditas cordis, ea eſt hominis vita, & theſaurus: modò ne ſanctitas deficiat. & demum, exultatio animi parit vitam diturniorem. vt contrà ſpiritus triſtis exiccat oſſa, ac ideo vitã facit breuiorem. Prouer.17.
¶ Nota: Fugienda eſt triſtitia, quę non parit lætitiam: vt potio, quæ non parit ſalutem. ea verò triſtitia procuranda eſt, quæ lætitiã generat, quæq; ſalutem ſtabilem, ac beati- 2 Cor.7.
tudinem operatur. Siquidem beati qui lu- Matth.5.

gent, quia ipſi conſolabuntur. ¶ Nota ſecundò, aliam eſſe triſtitiam, quam Deus iubet, aliam quam mihi ſine ratione ſuſcipio. hæc pellenda: illa patienda. Nam Dauid
Pſal.118. triſtabatur & tabeſcebat, videns præuaricantes: videns item pacem peccatorum. & Ieremias, videns calamitates populi: & Aa-
Leuit.10. ron, videns mortem filiorum: & Iacob, au-
Geneſ.37. diens deuorationem Ioſephi. Interim ergo dolendum eſt: ſed Eccleſiaſticus illuſtratur
2.Cor.2. ex Paulo dicente, E contrario magis donetis, & conſolemini: ne fortè abundantiore triſtitia abſorbeatur. Ergo, vbique abundantior triſtitia, quæ abſorbet, eſt euitanda. Ideo ſequitur.

9 *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in ſanctitate eius, & triſtitiam longè expelle à te. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.* Senſus pendet ex ſuperioribus. Ne, inquit, excrucies triſtitia cor tuum, nec conſilijs excarnifices te: potiùs tui miſerere, parcéque tibi. modò placeas Deo. Contine te, ne in triſtitiã labaris: congrega te, adiunge te ſanctitati. hac ratione longè à te triſtitiam pelles. ¶ Nota: Si miſericordia cogit te, vt mala pellas ab alijs, cur nõ coget, vt triſtitiam, tantum malum, pellas à te? Si horres carnifex eſſe aliorum, cur non horres carnifex eſſe tui? eſt autem triſtitia, animi carnificina. ¶ Nota ſecundò verbum, placens Deo. vix enim qui triſtitiâ obruitur placet Deo. id eſt, vix quærit quo-
Leuit.10. modo placeat Deo. Dicente Aarone, Quo-

modo potui placere Deo in cæremonijs, mente lugubri? obruta enim mens, & ex triſtitia depreſſa, minimè ſeſe in Deum attollit. ¶ Nota tertiò, cor malum, vt cinerem diſpergi, & vt arenam diſſipari. At cor ſanctum congregatur, continetur, fitq́ vnum, quia Deo vnitur, qui maximè vnus eſt. Ergo mihi adhærere Deo bonum eſt. quia qui *Pſal. 72.* adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. ¶ Nota *1. Cor. 6.* quartò, Triſtitiam multos occidiſſe, vitam ſ. eorum imminuendo: vt iucunditas multos viuificat, vitam eorum prorogando. ¶ Nota quintò, in triſtitia nullũ eſſe commodum. quantumuis enim triſteris, nihil inde capies emolumenti. niſi triſtitiam habens exteriùs, gaudium procures interiùs: vt iam dictum eſt de pœnitentia.

Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus. Splendidum cor, 10 *bonum in epulis eſt: epulæ enim illius dilig ẽter fiunt.* Id eſt, Tria ſunt, quæ hominis vitam minuunt. ſ. zelus, quo vir zelat vxorem, aut contrà: iracundia, qua cor incaleſcit, & à ſua moderatione mutatur: & cogitatus ſeu ſolicitudo, curæ, & incerta conſilia. hæc igitur minuunt dies, ac ideo ſenium accelerant: fugiantur ergo. Imò contrà bono corde ſimus, quod nulla triſtitia fuſcũ reddat. bonas epulas, diligẽter paratas, quæramus: vt ita læti lætiores reddamur, vitamq́ efficiamus lõgiorem. ¶ Lector intellige, Eccleſiaſticum fuiſſe ex Iudęis: quibus propter probos mores tẽporalia bona promittebãtur. ſ.

vita longior : anni felices : epulæ largiores.
videlicet, ſeculum hoc felix. Multò eſt al-
Philip.1. tior vita Chriſtiana, quæ cupit diſſolui, &
1.Cor.9. eſſe cum Chriſto : quę abſtinet ab omnibus,
vt incorruptam coronam accipiat : quæ eſt
2.Cor.11. in fame, ſiti, frigore, nuditate, & quotidia-
Tit.2. na ſolicitudine eccleſiarum: expectans bea-
tam ſpem,& aduentũ glorię magni Dei,&c.

CAPVT XXXI.

PRIMA PARS.

De Solicitudine opum vitanda.

1 V*igilia honeſtatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet ſomnum. Cogitatus præſciẽtiæ auertit ſenſum, & infirmitas grauis ſobriã facit animam* Litera hæc vt iacet multa & pulchra documẽta præbet. Primum eſt: Cura probitatis, maximè verò caſtitatis, conſumit carnes, nec eas pingueſcere ſinit. Si enim vehemens probæ vxoris cura, quomodo placeat viro, exedit eius carnes, quomodo non magis exedet, quomodo placeas Deo? Secundũ eſt: Cogitatio probitatis aufert ſomnum. Nam intenta cogitatio cor
Cant.5. mandum dormire vetat. & illa dixit : Ego
dormio, & cor meum vigilat. & alius me-
Psal.118. dia nocte ſurgit ad confitendum Domino.
Tertium eſt : Cogitatus Diuinæ præſciẽtiæ, qua nouit quoſdam malos futuros, ac proinde damnandos, auertit ſenſum à rebus ſecula-

cularibus.Quis enim ſciens illum timorem 2.Cor.5.
Domini nõ ſtupeat? Quartum eſt: Infirmitas periculoſa ſolet animam ſobriam facere, quam vinũ humanæ proſperitatis ebriam faciebat. Haſtenus litera vt iacet. at ſi eam originalibus Græcis conferamus, longè alius prodibit ſenſus. Nam Græca, pro honeſtatis,habent πλούτου, id eſt,diuitiarũ. vt ſuprà c.11.dictum eſt. Eſt ergo ſenſus: Vi- Eccli 11.
gilis cura acquirendarum diuitiarum conſumit carnes: & ſuper eis cogitare intentiùs aufert ſomnum. ſicut etiam ſomnũ aufert præſcientia alicuius futuri mali, nobis imminentis: ſicut item ſomnum aufert grauis infirmitas. Igitur cura ſolicita congerendæ pecuniæ, eſt velut grauis morbus, & velut cogitatio mali prę uiſi: quæ ſomnum nobis excutiunt. ¶ O mortales, ſi pectus veſtrum cura pecuniæ in tam breuem vitam procurandæ adeò coquit, cur non ita coquit, cur non ita ſomnum profligat cura felicitatis in æternum comparandę? Num perſuaſum eſt vobis illam, non hanc dignam eſſe cura ſolicita? an fortè illã, quia videtis, amplectimini: hanc quia nõ videtis, nec creditis?

Laborauit diues in congregatione ſubſtãtiæ, & in requie ſua replebitur bonis ſuis. Laborauit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit. Admonetur pauper,ne nimis ditari velit: quia diues facili labore bonis repletur. at pauper, qui (etiam ſibi minuens victum) diteſcere vult,tandem inops euadit. Diues quidam interrogatus, quomodo diues euaſe- 2

rat? reſpondit egregiè: Cùm pauper eram, magno labore conquiſiui diuitias: cùm diues fui, magna eas facilitate paraui. vna enim ad Indos profectione parat ſibi plus opum diues, quàm per totam vitam miſer agricola.

3 *Qui aurum diligit, non iuſtificabitur: & qui inſequitur conſumptionem, replebitur ex ea.* Id eſt, Qui omnino diligit aurum, velut idolum, præferens ipſum omnibus alijs, is iuſtus eſſe nequit, dum ita diligit. Duos enim deos nemo poteſt habere: nemoq; poteſt Deo ſeruire & mammonæ. Et qui hæc corruptibilia, & conſumptibilia ſectatur, corruptione & putredine replebitur. Nam igni anima, caro vermibus erit in æternum obnoxia. Vt contrà anima, quæ iuſtitiã diligit, iuſta fit, & ſaturatur ex ea: & quę immortalitati hæret, vnus ſpiritus cum ea fit, ac ideo efficitur immortalis omnino. Ait enim, Qui credit in me, (vt debet) non morietur in æternum. *Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum.* Faciliùs Græca: Multi dati ſunt in caſum, propter aurum. Sed noſtrum textum ita intellige: Eſt aurum velut mons quidam difficilimus, multa habens præcipitia, in quæ ſolet proruere, qui aurum vult manibus arripere. è longè aſpicitur cacumen montis vbi aurum pulchra fulget ſpecie: at dum curris, vt conſequaris, cadit in præcipitia corpus, vbi peris. Ergo pulchram habet aurũ ſpeciem: ſed multa occultat præcipitia, in quæ cadis priùs

Matth. 6.

Matth. 5.

1. Cor. 6.

Iohan. 11.

quàm

quàm auro fruaris. Pulchra erat ſpecie pomum quod comedit Adam: ſed in caſum mortis antequã comederet cecidit. *Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium: væ illis, qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.* Græca explicant verbũ, ſacrificantium. Legunt enim, Sacrificantium ei. vt ſit ſenſus: Aurum eſt lignum offenſionis, his qui ei ſacrificant, & velut Deum venerantur. Lignũ offenſionis, refertur à Rabano ad arborem ſcientiæ boni & mali, quæ fuit offenſio & caſus parentibus primis. Poteſt referri ad lignum ſuper quo erat æneus ſerpens; quod, vt aſpicientibus erat ſalutis occaſio, ita & aurum occaſio mortis. Credo tamen referri ad ligna ex quibus idola fiebãt. de quibus multa Sapientiæ 13. & Iſaiæ 44. vt ergo illa ligna erant offenſionis cauſa adorãtibus ea, ita & aurum. Quæris, quid ſacrificet auarus auro? planè cogitationes ſuas: affectus ſuos: operas omnes ſuas. ideo auaritiam Paulus vocat ſimulachrorum ſeruitutem. Quod autem addit, omnis imprudens deperiet in illo. indicat, ideo homines aurũ deperire, quia imprudentes ſunt, & incircunſpecti. vt enim apud Iſaiam, idolorum cultor erat imprudẽs, qui medietatem ligni adorabat, cùm ex alia medietate ignem faceret, à quo incaleſceret: ita imprudens eſt, qui aurum ſibi tantopere ſubditum, & tantopere homine minus, vt ſuum Deum adorat. ea planè cauſa, omni pœna digniſſimus.

Geneſ. 3. Rabanus. Geneſ. 3. Num 21. Sap. 13. Iſaiæ 44. Coloſſ. 3. Iſaiæ 44.

Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula: & 4

qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia, & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. In Concilio Gangrenſi ſtultus quorundam error damnatus eſt, credentium nullum diuitem poſſe ſeruari. at Concilium docet, poſſe: ſi leges Dei cuſtodiat. Has qui cuſtodit, beatum noſter Author pronũtiat. vt beatus fuit Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, Zacharias: qui diuitias irreprehenſibiles & inculpatas poſſidebant. Beatus ergo diues, qui in diuitijs culpa caret grauiore. Qui poſt aurum non abijt. Si aurum ad te iure venit, non tu poſt illud vadis: ſed ſi aurum iniuſtè quęris, poſt aurum vadis. Si gratioſo dono, ſi hæreditario iure, ſi iuſta arte aurum comparo, aurum ad me venit. Si veniens amplector, non pecco. ſed ſi iniuſtâ ratione aurũ perquiro: planè fugiens aurum cõſector, ac ideo miſer fio, qui felix quærendo eſſe volebam. Iam qui plenus diuitijs nõ eis cor apponit, ſed auerſos ab eis oculos in Deũ conijcit, is nõ ſperat in auro: ſperat verò, qui Dei ferè oblitus, cor in auro ponit. At quia rarò diues macula caret: rariùs, qui ſit auro veniẽte contẽtus: rariſſimè, qui oculos à ſuis diuitijs auertat, ideo ſubdit, Quis eſt hic, & laudabimus eũ? Non enim immeritò Dominus apud Matthæum, beatos pauperes pronũtiat, & apud Lucam, Væ diuitibus intonat. nec immeritò Abrahã cauſam, quare ſit in inferno diues, eam protulit, Quia recepiſti, inquit, bona in vita tua. Igitur, quis eſt hic inculpatus diues,

Concilium Gangren.

Pſal. 61.

Matth. 5.

Luc. 6.

Luc. 16.

ues, & laudabimus eum? Cur? quia mirabilia fecit. Quæris quæ? ſubduntur ab Authore. *Qui probatus eſt in illo, & perfectus inuentus eſt, & erit illi gloria æterna. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: & facere mala, & non fecit.* Video vtrunque membrũ prædictum, à quibuſdam interrogatiuè legi: at idem omnino ſenſus eſt. Ergo miraculũ primum eſt, quòd diues, auro probatus, perfectus inuentus eſt. Probatus ac tentatus eſt Abrahã, *Geneſ. 22.* an potiùs filium, quàm Deum amaret: probatus & tentatus Iob calamitatibus, an ea- *Iob 1. 2.* rum cauſa Deo malediceret. ita diues, eò impletur diuitijs, vt probetur, an earum fiduciâ & amore capiatur. Mirabile eſt, iuuenem inter virgines pulchras verſari, & earum decore non demulceri. Mirabile item, inter fulgentes pecunias morari, & earum fulgore non capi. Diuitiæ vocantur men- *Pſal. 4.* dacium: vocantur fallacia diuitiarum: vo- *Matth. 13.* cantur inanitates falſæ: vocantur faſcina- *Pſal. 39.* tio nugacitatis. quàm igitur mirabilẽ diu *Sap 4.* inter mendacia diſtineri, & ab eis non falli? picem tangere, & non inquinari? Alterum miraculum eſt, potuiſſe tranſgredi, & non fuiſſe trãſgreſſum. Id eſt, Poteſt pauper ſæpe velle peccare: at non ita ei adeſt poſſe. Diues tamen, qui vt vult, poteſt: & cui ſemper ad manum eſt peccandi facultas, ſi nunquam crimen admittat, num non id mirabile eſt? ¶ Nota, diuitias eſſe tentationem, & probationem. vt eſt etiam mulier pulchra. Qui igitur cupit ditari, cupit ſe peri-

culo obijcere. vtinam non pereat in illo. ¶ Nota ſecundò, diuitem eſſe perfectum, ſi inculpatè viuat. quomodo enim imperfectus in tanta peccandi licentia non peccet? ¶ Nota tertiò, diuitias eſſe potẽtiam, vires, & facultatem ad peccandum: ſunt etiam ad benefaciendum. ſed noſtra miſeria ſit, vt eis potiùs ad malum abutamur.

5 *Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis eccleſia Sanctorum.* Id eſt, Si diues nõ tranſgrediatur, bona eius ſtabilita erunt. ſ. bona temporalia, & ſpiritualia. Vt enim Abraham tentatus in filio, illum non amiſit, ſed ſtabiliùs accepit: ita diues probatus in diuitijs, & inculpatus in eis, eas non amittit, ſed ſtabilit. Nam Eleemoſyna exorat ab omni malo. ergo exorabit, vt bona tua ſpiritualia, & temporalia, non tibi labantur: ſed ſtabiliantur. ¶ In ſecunda parte multa nos Author docet. Primùm, proprium diuitis ſancti munus eſt eleemoſynas facere. vt id mirabile ſit, quòd diues diuitias faciat à ſe continuò fluere: Deus autẽ eas ſtabiles faciat, ac velut aquas Iordanis in ſuum alueum reducat. Secũdò docemur, non in vnum aut alterum eleemoſynã pij diuitis peruenire: ſed in omnẽ eccleſiam: quæ laudat beneficia ſibi præſtita. Ergo ſi fieri poteſt ad omnes perueniat diuitis eleemoſyna: vt Deus pluit ſuper omnes. Tertiò docet Anthor, potiſſimè eleemoſynam tribuendam eſſe ſanctis. laudet, inquit, eccleſia Sanctorum. Sicut Deus ſua

Geneſ. 22.
Eccli 29.
Ioſue 3.
Matth. 5.

ſua beneficia pijs maximè confert. Quartò, docet officium eius qui beneficium recipit, ſ. laudare, & enarrare beneficium acceptum.

SECVNDA PARS.

Eſt inſtitutio menſæ.

SVpra menſam magnam ſediſti? non aperias ſuper illam faucem tuam prior. Vocatur menſa magna, opipara, & ſplendida. forſan vocatur etiam magna, quia ſunt plures in ea. Eſt ergo primum præceptum, ne tu ſis primus qui manum ori admoueas. expecta alios. Hoc enim eſt reuerentiæ, illud intemperantiæ. Intellige, niſi tu ſis dignior in menſa. Secundum prçceptũ eſt: *Non dicas, ſi multa ſunt, quæ ſuper illam ſunt? memento quoniam malus eſt oculus nequam. Nequius oculo quid creatum eſt? ideo ab omni facie lachrymabitur, cùm viderit.* Locus eſt obſcuriſſimus, ac ideo ad diuinãdum aptiſſimus. Sed lux ei videtur inferri poſſe, ſi per oculum nequam intelligamus facilè irritabilem, nimis tenerum, quiq; nullam, quanuis exiguam, iniuriam ferre poſſit, aut velit. vt eſt malus ſocius, qui ex quauis etiam leuiſſima occaſione reſilit, & irritatur. Iam præceptum eſt, cùm ſedes ad mẽſam, ne interroges, an ſint, multa cibaria in menſa ponenda? Memento, quòd oculus hoſpitis tui irritabilis, etiam in conuiuio, malus erit, & irritabitur contra te, vt illiberalem, qui paruo neſcias vti.

Nec

Nec enim creatum eſt quicquam tenerius, aut irritabilius, aut impatientius oculo. & propterea lachrymabitur à facie ſua, id eſt, ab aſpectu ſuo: cùm ſ. viderit te interrogantē, an ſint cibi multi, cùm fortaſſe ille paucos habeat. Ne igitur interroges, ſint ne cibi multi, ne irrites oculum adeò ex ſe irritabilem: & lachrymari cogas, eum quem exhilarare debueras.

8 *Ne extendas manum tuam prior, & inuidiâ contaminatus erubeſcas.* Videri poterat hoc præceptum tertium, idem eſſe cum primo. ſed primum illud ad gulam pertinet, hoc ad inuidiam. & eſt ſenſus: Adſunt plures in menſa. Tu alicui illorum dignitatem inuides. ea inuidia mouet te, vt velut dignior manum menſæ prior apponas. Rident conuiuæ inuidiam tuam: ac proinde tu erubeſcis. Expecta igitur, vt alius incipiat, ne ſit tibi erubeſcendum.

9 *Ne comprimaris in conuiuio, vino. Intellige quæ ſunt proximi tui, ex te. Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur, vt non, cùm manducas multum, odio habearis* Illud, vino, Græca non habent, nec multa Latina. Senſus ergo eſt huius quarti præcepti: In conuiuio nō te farcias, non iniurgites, non cibi cibos comprimant. tu horreres conuiuam tuum, ſi nimis ſe infarciret. ex te igitur intellige, quàm alij te ita comedentem horrebunt. fortè enim non eſt ita multum in menſa, quod helluo edas: & ſi etiam multum eſſet, quis nō odio habeat

habeat beſtiam omnia deuorantem? Idem
de vino dicendum.
Ceſſa prior cauſa diſciplinæ: & noli nimius eſ- 10
ſe, ne fortè offendas. Eſt quintum præceptum,
vt priùs alijs ab edendo ceſſes: nec in eden-
do nimius ſis. ne nimis edendo, Deum, te, &
homines conuiuas offendas.
Et ſi in medio multorum ſediſti, prior illis ne ex- 11
tendas manum tuam: nec prior poſcas bibere.
Sextum præceptum eſt: Si inter multos ſe-
des, ne ad bibendum prior manum exten-
das: nec ſi in menſa vinum deſit, prior bi-
bere poſcas. Intellige, ſi eſt alius in menſa
dignior te, cui ſit deferendum. Aut ſi neceſ-
ſitas non cogit. nam ſi te nimis ex labore ſi-
tis premit, cum præfatione veniæ, licebit
bibere priùs. Habes multa de hac re Pro- *Prouer.24.*
uerbiorum 24.
Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exi- 12
guum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non
ſenties dolorem. Vigilia, & cholera, & tortura viro
infinito: ſomnus ſanitatis in homine parco. Dormi-
et vſque in manè, & anima illius cum ipſo delecta-
bitur. Aptiſſimè textus noſter exponeretur,
ſi careret verbo, vinum, vt Græcus caret. eſ-
ſet enim exhortatio ad parſimoniã in eden-
do. Nam ſi te ingurgites, ſenties in dormi-
endo, laborem, & dolorem ſtomachi. Ho-
mini ſiquidem, qui ſatiari neſcit, conuenit
vigilia, bilis, inquietudo, & inteſtinorum
tortura. cùm contrà homo parcus, quietus
vſque manè dormit, & lætus, ſuiq; compos
ſurgit

ſurgit è lecto. Eadem ferè dicũtur de vino, in textu noſtro. cuius ſenſus eſt: Homini bene inſtituto ſatis eſt exiguum vini. Nam modicum bibendo, non ſentiet laborem & dolorem, quem, qui multum bibit, dormiturus ſentit. Contrà vir infrunitus, id eſt, ſtultus qui expleri neſcit, noctu vigilare cogitur, bili & rabie agitatur, torminibus ventris affligitur. cùm tamen vir moderatus ſalutari ſomno fruatur, maneq́; lætus, agilíſque ſurgat ad opus. ¶ Pulchrè dicit, Anima illius cum ipſo delectabitur. Vt enim citharœdus lætatur egregiam pulſans citharam: dolet tamen, ſi eam ineptam inueniat: ita anima dum corpus habet temperatum, gaudet, & delectatur per ipſum operando. affligitur tamen, ſi vino, & crapula corpus reddatur ineptum.

13 *Et ſi coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio, & vome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Id eſt, ſi conuiuarum violentiâ cogaris edere multum: quęre vrbanam occaſionem, qua te menſæ ſubducas, & in occulto vome. ita quieſcet ſtomachus, & corpus euadet languores. ¶ Pulchrum habent conſilium diuites, vt ſi multum diuitiarum deuorauerunt, in pauperet euomant: ita & diuitis anima à ſcrupulis quieſcet, & pœnas auaris irrogãdas euadet. ¶ Idẽ cuiuis peccatori dices, vt ſi multa peccata vorauit, ea in exomologeſi euomat. ita in hac vita ſe refrigerabit, & in futura languorem inferni minimè ſentiet.

¶ Por-

¶ Porrò quia præceptum hoc ſeptimũ videbatur ſordidum, ac inciuile: & vrbanius videbatur nõ vomere, ſed in menſa perſiſtere: ideo noſter Author velut inuidiam ſubmouet, dicens: *Audi me fili, & ne ſpernas me: & in nouiſſimo inuenies verba mea. In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Ne ſpernas, inquit, præceptum de vomendo. nam nouiſſimè inuenies eius vtilitatem. In omni igitur opere eſto velox, id eſt, facilis, diligens, ſtrenuus: vt ſcias facilè ſurgere, vomere, ac ita ab infirmitate liberari: quæ tibi, niſi vomas, occurret. ¶ Apertum verò eſt, poſſe hoc præceptum generaliter accipi. Nam Hiſpanum prouerbium eſt, Bonam diligentiam matrem eſſe bonæ fortunæ. Qui enim nouit hoſtes præuenire, tutus erit ab eis.

Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium veritatis illius fidele. In nequiſſimo pane murmurabit ciuitas, & teſtimonium nequitiæ illius verum eſt. Octauum præceptum eſt: vt ſi aliquem conuiuio exceperis, ſplendidè excipias, & lautè: ita fiet, vt te labia laudent multorum. & hæc laus tuæ veritatis fidelis & firma eſt. Contrà verò, ſi conuiuas ſordidè excipis, & parcè, murmurabit contra te ciuitas. & vituperium hoc, verè vituperium eſt. ¶ Panis Hebræis ſignificat totum conuiuium. vt illud docet, de fratribus Ioſeph, qui audierant, quòd ibi comeſturi eſſent panem. Vnde ſplẽdidus in pani-

panibus eſt, qui largè & ſplendidè conuiuium parat. Intellige, pro dignitate conuiuæ. Contrà verò nequiſſimus panis eſt parciſſimus, & ſordidus. ¶ Nota diligētiſſimè verbum, teſtimonium veritatis illius. Planè omnia virtutum officia laude ſunt digna: ſed officium charitatis eſt officium veritatis, & eius teſtimonium fidele eſt: non fallax, non deceptorium. eſt enim charitas vera virtus, ſine qua, nulla eſt integra virtus. Ergo qui ſplendidè conuiuium pio parat amico, charitatem oſtendit. Eſt enim ſermo

Tob. 2. de conuiuijs piorum, qualia amicis Tobias apparabat. Hęc in conuiuijs charitas veritas eſt, verè hominem pium eſſe demonſtrans. Intelligis nunc ex contrario ſenſu, quàm vituperandum eſt, ex ſordida parſimonia pios malignè ad cōnuiuium excipere. Quàm magna ergo charitas eſt, quæ etiam inter epulas radios ſuæ benignitatis effundit.

TERTIA PARS.
De ſobrietate in potu vini.

15 *Diligentes in vino noli prouocare: multos enim exterminauit vinum.* Id eſt, Si quis egregiè potat, eum ne prouoca, vt tecum bibat: nec cum eo contende, quis plus bibere poſſit. Multos enim vinum ebrios facit, & ex terminis ſobrietatis, in terminos ebrietatis inducit. vnde morbi, infamia, & egeſtas oriri ſolent. Dices, Eſt mihi caput forte, quod à

multo

multo vino minimè læditur. huic obiecti-
oni ſubdit Author reſponſum. *Ignis probat ferrum durum: ſic vinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum.* Id eſt, Vt nullũ tam durum eſt ferrum, quod nõ igne dometur: ita nullum eſt cor adeò valēs & ſuperbum, quod vino immodico non ſuæ ebrietatis ſigna demõſtret. Videtur cor ſuperbum vocari, quod iactat ſe à vino tutum eſſe. Ex Græcis alter prodit ſenſus. ſ. Ferrum fit durius, ſi ignitum, ſæpius mergatur in aqua: ita cor ſuperbum fit ſuperbius, ſi ſępius madeat in vino.

AEqua vita hominibus, vinũ in ſobrietate: ſi bi- 16
bas illud moderatè, eris ſobrius. Quæ vita eſt ei, qui minuitur vino? Quid defraudat vitam? Mors. Locus eſt obſcurus. credo tamẽ ita illuſtrari: Si vino careas, vita viues triſti. Si immodico vino vtaris, immodicè læta vita erit. Ergo vitam ęqualem (id eſt, nec triſtem, nec nimium lætam) faciet vinum ſobriè ſumptum. Qua enim vita viuet, qui minuitur vino? id eſt, qui cogitur vino abſtinere? Profectò mors dicenda potiùs erit, quàm vita, ea quæ ſine vino tranſigitur. vt enim morte vita fraudatur, ita & vini abſtinentiâ vita læta fraudatur, quod morti æquale eſt. ¶Si mors eſt, carere vino corporali: quę mors erit, carere ſpirituali? Eſt enim ſpiritualevinũ, quodSapiẽtia miſcuit: quod emi *Prouer.8.*
vult Dominus abſque argẽto: & quo velut *Iſaiæ 55.*
torrente voluptatis ſuos potat Dominus. *Pſal.35.*

17 *Vinum in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem, ab initio. Exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum. Sanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus.* Nota primò, vinum ab initio creatum, & non ſub Noe ſolùm incepiſſe. Siquidem Adam omnium artium parens, hanc exprimendi vinum, ſine dubio docuit. Sed tempore Adam naſcebantur vites ſpontè: Noe primus vites in vineam coegit. ideo dicitur, cœpit plantare vineam. & quia artem addidit naturæ, & muſtum coniecit in cados, inde egregium prodijt vinum, ac generoſum. quod fortaſſe in tempore Adæ non erat. eius igitur vires primus Noe expertus eſt. Nota ſecũdò: Vt creauit Deus Rhabarbarum ad purgandam bilem, ignem ad calfaciendum: ita vinum ad exhilarandum corpus & animam. Ideo inquit, ad iucunditatem creatum eſt. ¶ Nota tertiò, vinum eſſe ſanitatem mentis & corporis. De corpore certum eſt: roborat enim ſtomachum. vnde ferè ſalus corporis prodit. Eſt porrò ſanitas mentis, dum ab ea te-
*Pſal.*103. tram triſtitiam profligat: & vt plurimum fit, vt mens ſit ſana, in corpore temperato: quale vinum efficere ſolet, ſi temperatè ſumatur?

18 *Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum* Id eſt, Immodicè vinum potatũ facit, vt qui bibit in ſe concipiat iram: facit vt irritet alios, & moueat ad pugnas. vnde

vnde neceſſe eſt ruinas, & cædes prodire. Iã, Deus creauit vinum ad lætificandum cor: ſed ſumptum largius ipſum contriſtat, & reddit amarum. Vt idipſum ſit flagellum, & tormentum, quod ſumebatur ad gaudium. ¶ Nota, Dei iuſtam eſſe ordinationem, vt bona quæ in bonum noſtrum à Deo creata erant, ſi eis abutamur, nobis vertantur in mala: & quòd ea ſint noſtri tortores, quæ nobis propoſuimus velut idola. Talis eſt vxor, filij, diuitiæ, honores, & demum quiſque ſibi.

Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera. Senſus eſt: 19
Animoſitas, quam parit ebrietas, eſt cauſa, vt miſer ebrius offendat: eſt cauſa, vt ei virtus minuatur: ac ideo, vt in pugna vulneretur. Ergo vinũ modicè ſumptũ animoſum facit, prudentem facit, ne offendas facit, vires addit, ac ideo vulnera declinat. contrà per omnia efficit vinũ immodicè ſumptũ.

In conuiuio vini non arguas proximum: & non 20
deſpicias eũ in iucunditate illius: verba improperij non dicas illi: & non premas illum in repetendo. Omnia tempus habent, dixit Salomon. ac Eccles 3.
ideo muſica tempore luctus res intempeſtiua eſt. eadem ratione afferre triſtia tempore lætitiæ, ſtulta res eſt. Id docet Author, vt quia conuiuiũ vini res eſt læta & iucunda, ſtultum erit tunc proximum bibentem reprehendere, aut ſigna contemptus & deſpectus tunc illi monſtrare. quo minùs licebit Eccli 22.

eum improperio, ſeu iniuria laceſſere: & multò minùs tũc ab eo debita repetere. Meritò enim dixit Dominus, Auferetur ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt: ita, auferetur à proximo conuiuium, tunc preme, repetendo quod tibi debet: impropera, ſi ita meretur: deſpice & argue, ſi ita eius culpa erit corrigenda.

Luc. 5.

CAPVT XXXII.

PRIMA PARS.

Docet, quid in menſa faciet rector, ſenex, iuuenis.

1 *REctorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis. Curam illorum habe, & ſic conſidera, & omni cura tua explicita recumbe: Vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis.* Antiquis, maximè in populis illis Orientalibus, frequẽs erat conuiuiorum vſus: celebrabanturq́; magna curâ, & apparatu. vt docent conuiuium Abrahæ in die ablactationis Iſaac: conuiuia filiorum Iob: conuiuia Pharaonis, & Aſſueri: & alia multa, quæ in diebus natalitijs ſuis viri Principes celebrabant. Admittebantur ad hæc ſenes, & iuuenes. quos in menſa nunc noſter Author inſtituit. Porrò vt hæc conuiuia ordine fierent, deligebatur vnus, qui menſæ præponebatur.

Geneſ. 21.
Iob 1.
Geneſ. 40.
Eſther 1.

tur. Hunc olim exiſtimo vocatum Magi- *Geneſ.40.*
ſtrum pincernarum, in Geneſi: Architri- *Iohan.2.*
clinum, apud Ioannem: & Diaconum, in *Actor.6.*
Actis Apoſtolorum, vbi electi ſunt ſeptem diacones, qui menſis miniſtrarent. id eſt, præeſſent. Vocatur hic Tullio, Magiſter cõ- *Tullius.*
uiuij, Græcis τραπεζοποιός. de qua re multa Cælius, lib. 27. c. 25. Authori verò noſtro, *Cælius.*
Rector, cui tria dat præcepta. Primum, ne ſe extollat: ſed exiſtimet ſe vnum eſſe ex conuiuis, & ex miniſtris. ita fiet, vt eos benignè, & amanter tractet. Ea benignitas & amor, & exhilarabit conuiuas, & miniſtros reddet promptiores. Secũdum pręceptum eſt: Vt curam habeat conuiuarum: eamq́ rem attentiùs conſideret. ne videlicet aliquis ex conuiuis iure conqueri poſſit, ſibi minus æquo fuiſſe miniſtratum. grauiſſimè enim accipit conuiua, ſi prætermittatur. Tertium præceptum eſt: Ne recumbat, donec omnem ſuam curam abſoluat. id eſt, donec ſit omnibus ſatisfactum, vaſa collecta, & omnia ſuo loco repoſita. Si ita fecerit, lætabitur Rector propter conuiuas, quibus ſatisfecit: à quibus coronam gratiæ, vt ornamentum accipiet, gratias illis agentibus, & officium laudantibus. & conſequetur dignationem corrogationis. Corrogatio vocatur cœtus conuiuarum, quorum quiſque ſuum ſymbolum ad conuiuiũ adduxit. ab hoc cœtu bonus rector dignationem, amorem, & honorem conſequetur. Hæc de rectore: iam de ſenibus conuiuis.

2\. *Loquere maior natu (decet enim te) primum verbum diligenti ſcientiam, & non impedias muſicam. Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem, & importunè noli extolli in ſapientia tua. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi, ſic numerus muſicorum in iucundo & moderato vino. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi gratia bona.* Primũ præceptum eſt: Vt ſenior priùs alijs, loquatur primum verbum, conuiuis diligẽtibus ſcientiam. Secundum præceptum eſt: Ne tantum loquatur, vt impediat muſicam. Porrò declarat primum præceptum, dicens: Vbi auditus non eſt, id eſt, ſi nõ adſint auidi auditores verborum grauiorum & eruditorum, tu ne effundas ſermonem: neque velis inter conuiuas (importuno tempore) ſapiens videri. Declarat item ſecundum præceptum, ne ſ. impediatur muſica, quæ ita in conuiuio pulchra eſt, vt eſt in auro gemma carbunculi, & vt eſt ſigillum ſmaragdinum in auro fabrefacto. Tertium præceptũ eſt, vt cùm muſici canunt, Senex taceat. ſ. propter muſicorum reuerẽtiam. propter quod ſilentium & muſici, & conuiuæ gratiam tacentibus habebunt. ¶ Nota primò, primam conuiuij partem dicandam eſſe grauioribus ſermonibus, ſi adſint idonei eorum auditores. Et licet multis non placeant hæc in cõuiuio, placent tamen Platoni in Sermonibus conuiualibus. Placuit hoc Plutarcho

in

in Sympoſiacis. Placuit Macrobio in cœnis. Placuit & noſtro Authori. atque id docet primum eius præceptum. ¶ Nota ſecundò, Conuiuijs adhibendos muſicos concentus, vt non ſolùm guſtus habeat quo fruatur, ſed etiam auditus. Tum, vt ita attentus muſicæ conuiua, non ſe in verba effundat ſcurrilia. Tum, vt non ſolùm conuiuio corpus paſcatur: ſed multò fortiùs concentibus animus. ¶ Nota tertiò verbum, Comparatio muſicorum. quæ ſignificat coagmentationem vocum & ſonorum muſicorum. Vt enim ex paruis & magnis lapidibus, & ex diuerſis teſellis aptè concinnatis reſultat pulchra coagmentatio: ita ex vocibus altis, & groſſioribus prodit muſicus concentus. Igitur tempore Authoris noſtri iam erat muſica ex triplis vocibus, Tenoribus, Altis, & Infimis. ¶ Nota quartò: Vt nulla eſt gemma carbunculo & ſmaragdo pretioſior, ac ideo nulla eſt in auro pulchrior: ita nihil eſt in conuiuio aptius, quàm muſicæ harmonia. ¶ Nota quintò: Decet ſenes in conuiuio non interpellare cantum muſicorum. Hactenus ſenum admonitio: nunc adoleſcentium.

Adoleſcens loquere in cauſa tua, vix, cùm neceſſe fuerit. 2. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. 3. In multis eſto quaſi inſcius, 4. & audi tacens ſimul & quærens. 5. In medio magnatorum loqui non præſumas: 6. & vbi ſunt ſenes, non multum loquaris. Ante tonitruum 3

præibit coruſcatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi gratia bona. 7. Et hora ſurgendi non tetrices: 8. pracurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo ſuperbo. 9. Et ſuper his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis. Primum præceptum eſt: Adoleſcens cōuiua tunc loquere, cùm cauſa & negotium proprium tuum, ac neceſſitatis te velut inuitum, ad loquendum cogunt. Secundum præceptum: Licet ſpontè in conuiuio taceas, at bis ſi interrogeris, reſpondeto. modò in ſumma, non prolixè reſpondeas. hunc ſenſum habet, Habeat caput reſponſum tuū. id eſt, habeat ſummam, id eſt, breuibus colligatur. Tertiū pręceptū: In multis quæ in conuiuio audis, eſto quaſi inſcius, licet ea noris. libeat potiùs audire, quæ ſenes maturè docuerint, quàm quæ iuuenis præcociter noſti, apud illos effundere. Quartum eſt: Audi ſeniores tacendo. poteris tamen, ſi quid diſcere cupis, humiliter interrogare. Quintum: Si viri Principes ſint conuiuæ, tu loqui ne præſumas. nemo enim niſi qui æqualis illis eſt, loqui inter eos debet, niſi interrogatus. Sextum eſt: Inter ſenes ne multū loquaris. eſſet enim impudentiæ ſignum. verecundia verò iuuenem maximè decet. Et ſicut ante tonitruum ſentitur coruſcatio, licet reuera priùs ſit tonitruum quàm coruſcatio: ita licet reuera

uera verecundia ſit ante gratiá, tamen adeò verecundia placet, vt oculis noſtris præcedere videatur gratia verecundiam: & præire, non ſequi. Igitur pro reuerentia, quam ſenibus habueris, accedet tibi bona gratia. gratioſus enim videberis & habeberis. Septimum preceptum: Finito conuiuio, cùm hora abeundi eſt, tu ne tetrices, id eſt, ne poſtremus ſis in ſurgendo. id enim verbũ Grecum, οὐράγει, ſignificat. Porrò verbum tetrices, videtur ſumptũ à tetricus. vt ſit ſenſus: In hora abeundi à conuiuio, tu ne ſis tetricus aut tardus. Octauum eſt: Recedens è conuiuio, ito velox in domum tuam. illic auoca te à grauibus curis. illic recrea te lætiore ludo. illic age quæ animo concepiſti. id eſt, age quæ velis, modò abſint delicta contra Deum, & verba ſuperba contra domeſticos. ¶ Vbi nota, non conuenire ſtatim à prandio curas, quæ bonam cibi coctionem impediũt: conuenire potiùs ludum, & honeſtam ſine crimine recreationem. Vltimum præceptum eſt: Vt peracto conuiuio benedicas Deum, qui non ſolùm te creauit: ſed adeò delicatè nutrit: inebriando ſ. te, & cumulando omnibus bonis ſuis. ¶ Hoc verbum magnam aperit, & intelligendi, & loquẽdi materiam. Inebriat enim nos Deus bonis terræ, maris, aeris, cæli: inebriat præſidijs Angelorum, donis gratiæ in hac vita, donis æternitatis in futura: inebriat omnibus bonis, non modò quæ nobis neceſſaria ſunt, ſed quæ redundant: ſed

quod maximum eſt, inebriat nos illo amore ſuo, quo quæ dat, amantiſſimè dat, &c.

SECVNDA PARS.

De amplectenda lege Dei.

4 *QVI timet Dominum, accipiet doctrinam eius: 2. & qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem. 3. Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui inſidioſè agit, ſcandalizabitur ab ea. 4. Qui timent Dominum, inuenient iudicium iuſtum, & iuſtitias quaſi lumen accendent.* Quia multa pręcepta dederat Author, veritus ne fortè eorum multitudine, qui ea audiret, offenderetur, ſubdit, Qui timet Dominum, hanc eius doctrinam acceptabit. Ita Dominus, Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina mea, vtrùm ex Deo ſit. Et Paulus, Si quis videtur propheta eſſe & ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Planè, quia qui ex Deo eſt verba Dei audit, accipit, & opere cõplet. Secundum membrum ita intellige: Qui vigilat ad Dominum affectu & oratione, inueniet in corde ſuo beneficia Dei, quæ benedictiones Dei dicuntur. Audi vigilantem, Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te. & Dauidis oculi anticipabant vigilias: & dicebat, non ad inſipientiã mihi. Tertium membrum explicatũ eſt à me ſuprà c.2. ad finem. Nunc verò videtur & hũc ſenſum habere: Qui quærit legem, totus in ea gaudebit: aperietq; viſcera ſua, vt omnes

Iohan.7. *1.Cor.14.* *Iohan.8.* *Iſaiæ 26.* *Pſal.76.* *Pſal.2'.* *Suprà c.2.*

ſinus legem Dei, dulciorem ſuper mel & fa- *Pſal.18.*
uum, excipiant. Cùm contrà, qui inſidioſè, fictè, & ſimulatoriè pius eſt, offendatur à lege: lex illi diſpliceat, & eam nũquam fuiſſe deſideret. Quid ni offendatur iniuſtus à iuſtitia? ſuperbus ab humilitate? auarus à largitate? mundus ab Euangelio? &c. quę Paulus proſequitur 1. Cor. 1. Quartum mẽbrum *1. Cor. 1.*
ita accipe: Qui timent Dominum, inuenient iudicia iuſta, quæ impij ſepulta tenebãt: & accendent iuſtitias, quæ priùs in tenebris erant. Paulus inuenit, excommunicandum *1. Cor. 5.*
eum eſſe, qui habebat vxorem patris ſui: inuenit, non eſſe litigandum Chriſtiano co- *1. Cor. 6.*
ram prophano iudice: non intraturos molles, nec auaros in cælum, & alia multa quæ *Ibidem.*
in Epiſt. ad Corinth. inuenies. Has iuſtitias & vitam euangelicam, verbo & opere Paulus, velut extinctum lumen accendit. quod facit quiuis, qui verbo & opere Euangelium exercet.

Peccator homo vitabit correptionem, & ſecundùm voluntatem ſuam inueniet comparationem. 5
Vt vir iuſtus libenter audit legem quæ eum corripit, imò dicit, Corripiet me iuſtus in *Pſal. 140.*
miſericordia: ita iniuſtus vitat & odit corripientem: quærítq; & inuenit alium, cuius exemplo & comparatione excuſetur. vt ſi corripias libidinoſum, ſtatim obijciet, ſimiliter peccaſſe Samſonem, Dauidem, Salomonem, &c.

Vir conſilij non diſperdet intelligentiam, alienus & ſuperbus nõ pertimeſcet timorem: etiam poſt quã 9
fecit

fecit cum eo ſine conſilio, & ſuis inſectationibus arguetur. Locus eſt obſcurus: illuſtrari tamen poteſt hoc modo: Vir conſilij non diſperdit deliberationem,& conſultationem.imò potiùs perſtat in ea, quærens quid facturus eſt cum timore Domini. At verò alienus,id eſt, infidelis, & qui ſuperbus eſt,nihil timēt aut verentur Deum,aut infernum:ideo ſine vlla deliberatione crimina admittūt.Quòd ſi timor Dei & inferni eos à crimine faciendo auocare contendant, ipſi ruptis timoris vinculis crimen admittunt: & poſtquam cum timore ſine conſilio fecerūt,nihil iam timent, nihilq́ timorem curāt.licet interea arguantur intus in conſcientia ſuis inſectationibus. ſcilicet cogitationibus accuſantibus & defendentibus,vt Paulus ait. ¶ Ergo illud verbum, etiam poſtquā fecit, ita ſupplendum eſt: Superbus nihil timet, etiam poſtquam fecit crimen, cum timore, & ſine conſilio. Nam antequam crimen fieret, & cùm fiebat, timor ab eo auocabat: at poſtquam fecit ſuperbus crimen, nihil timere vult: licet interim à ſua conſcientia arguatur. Porrò inſectationibus argui, eſt quod Dauid dixit, Vſque ad noctem increpuerūt me renes mei.

Rom.2.

Pſal.15.

TERTIA PARS.

Filium admonet.

7 F*ILI, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. 2. In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: 3. nec credas te viæ laborioſæ,*

4. nec

4. nec ponas animæ tuæ ſcandalum. 5. Et à filijs tuis caue, 6. & à domeſticis tuis attende. 7. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ. hoc eſt enim cõſeruatio mandatorum. Quia dixit virum impium ſine conſilio multa committere, arripit Author hanc occaſionem, vt filium admoneat. Porrò is ſine conſilio nihil faciet, qui quæcunque facit, in gloriam Dei facit, vt Paulus admonuit. Conſilium verò ex lege Dei ſumẽdum eſt. Ita enim Dominus admonuit, cùm nos ad legem remittit, & teſtimonium. Et Dauid, Conſilium meum iuſtificationes tuæ. Qui enim ex hoc conſilio facit, non pudefiet. Secundum præceptum admonet nos, ne id aggrediamur quod eſt periculis, & ruinis plenum. Alioqui amans periculum, peribit in illo. quorſum enim mercator aut telonearius eris, ſi in cælum contendis? Tertium præceptum docet fugere viam & vitam nimis laborioſam. qualis eſt, ad Indos propter aurum ire: aut etiam alia vita, quę nihil temporis Deo dicandum indulget. Quartum pręceptum (quod à tertio diuidit illud, nec) ſignificat animã non offendendã criminibus. qui enim peccat, animam ſuam offendit, & contriſtat. Paulus dixit, Nolite contriſtare Spiritũ ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis. hic dixit, animam tuam ne offendas. Et Dauid, Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Quintum & ſextum præceptum Dominus docuit, cùm dixit, Inimici hominis, domeſtici eius. Quod verbum dixerat Micheas in hũc modum:

1. Cor. 7.
Iſaiæ 8.
Pſal. 118.
Ephes. 4.
Pſal. 10.
Matth. 10.
Mich. 7.

modum: Filius contumeliã facit patri, &c. Familiariùs hæc intellige, non eſſe fidendum filijs & domeſticis, furantur enim hi bona dominorum ſuorum, quibus fidem minimè ſeruant. Septimum præceptum ita habeto: Moſes in rebus dubijs intrabat in tabernaculum Dei, Deum conſulturus: Dauid intrabat in Sanctuarium Dei: tu ergo

Pſal. 72. intra in animam tuam, ſi quod dubium opus aggrederis. ibi conſule Dominum, & fideliter crede animæ tuæ tibi conſulenti. Quia verò hoc erat obſcurum, declarat Author dicens, Hoc eſſe conſeruare mandata. id eſt, credere fideliter animæ, eſt ſeruare mandata. tunc ſ. credendum eſt animę, cùm illa iubet ſeruari mandata. Quod iterum explicat Author, dicens: *Qui credit Deo, attendit mandatis eius: & qui confidit in illo, non minorabitur.* Vt ſit hic huius rei ordo: In rebus dubijs animam tuam intra. Ibi Deus oracula dabit. Dabit verò oracula mandatorum ſuorum. Igitur animæ mandata Dei conſulenti fideliter crede: nam ita Deo credis. Illud verò, Qui confidit in illo, non minorabitur. eo modo intelligitur, quo il-

Rom. 8. lud, Diligentibus Deum omnia cooperan-

Pſal. 1. tur in bonum. & illud, Omnia quæ fa-

Pſal. 33. ciet proſperabuntur. & illud, Timentes Dominum non minuentur omni bono.

CA-

CAPVT XXXIII.

PRIMA PARS.

Continuatio eſt prædictorum.

T Imenti Dominum non occurret mala, ſed in tentatione Deus illum conſeruabit, & liberabit à malis. Sapiens non odit mandata & iuſtitias, & non illidetur quaſi in procella nauis. Homo ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. 1
Dixerat in calce præcedentis cap. confidentem in Deo non minorandum: declarat nunc, ei qui in Domino confidit, quíque Dominum timet, non occurſura mala, quæ ſ. eum deſtruant. Mala planè ei ocurrent, dicente Dauide, Irruerunt in me mala, quorum non eſt numerus. at ea mala pio vertuntur in bona: quia Dominus eum in tentatione conſeruat. iuxta illud, Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum. Vnde id infertur, Sapiens, qui diligit mandata, (quibus iuſtus redditur homo) non illiditur ad ſcopulos peccati, vt ſolent naues actæ procellis illidi. Deus enim qui nauem animæ gubernat, nouit pios à tentatione eripere. Idem Sapiens qui ſenſatus dicitur, vtpote qui confidit legi Dei, ſentiet eandem legem ſibi patronam, ſ. quæ eum à malis auertat, & ad bona perducat. ¶ Nota primò: Pium Deus in tentatione conſeruat. ſupponit enim manum ſuam,

Pſal. 39. Pſal. 90. 2. Pet. 2.

ſuam, ne cadens, collidatur. ſi pius cadit, non ex Deo eſt, ſed ex ſua voluntate. ¶ Nota ſecundò: Sapiens licet ſecundùm carnem repugnet legi Dei, at ſecundùm ſpiritum non eam odit. Imò ſi amat legis' .orem, amat & legem. ¶ Tertiò nota: Lex gratiæ maximè eſt patrona pijs. quia lex gratiæ eſt ſpiritus animam ad legem implendam impellens. hic eſt planè patronus.

Rom. 6.

2 *Qui interrogationem manifeſtat, parabit verbum, & ſic deprecatus exaudietur, & conſeruabit diſciplinam, & tunc reſpõdebit.* Quia multi nolunt in rebus dubijs animam ſuam conſulere, conſultius ducentes, alios interrogare: eos qui conſuluntur admonet Author, dicens, Qui interrogationem manifeſtat, id eſt, qui rem interrogatam dubiam, vult ſuo reſponſo manifeſtare, non id faciat præcipitanter: ſed paret priùs verbum, conſiderans, quid reſponſurus ſit. Deprecetur Dominum, vt illuminet eius mentem, nam ita precatus audietur. Item conſeruet diſciplinam, id eſt, nihil deuiet à diſciplina, ſeu doctrina Eccleſiæ. hoc facto, reſpondeat. Ergo qui munus habent ad interrogata reſpondendi, reſponſa ſua conſideratè pronuntient: mentem ad Deum attollant, nihilq; à recepta in Eccleſia doctrina diſcedant.

3 *Præcordia fatui quaſi rota carri: & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Opponit fatuum ſenſato. Hic legi Dei fixus adhæret, & à Deo ſuo non dimouetur, in eo fixit, & affectus, & cogitationes: ille verò eſt in continuo motu,

vt eſt

vt eſt rota currus: & eſt axis eius quando verſantur. nam ſunt alij axes immoti. Alibi dicitur, cor impij eſſe mare, nõ dum quieſcit, ſed cùm feruet, & æſtuat. de hac re ſuprà dictum eſt. Vt enim vir bonus, adhærens Deo, id eſt, rei immobili, immobilis quodammodo fit: ita fatuus, hærens rebus temporalibus, quæ cum cęlo mouentur, inſtabilis neceſſariò fit. *Iſaiæ 57.*

Equus emiſſarius, ſic & amicus ſubſannator, ſub omni ſupraſedente hinnit. Id eſt, Deo fidendum eſt, & eius legi: non verò amico ſubſannatori. Vt enim equus admiſſarius (qui ſ. equabus ineundis dicatus eſt) hinnit, nihil curans ſeſſorem: ita ſubſannator ſubſannat quemuis etiam ſuum amicum, fidentem in eo. Pulchrè verò aſſimilatur equus admiſſarius, hinniens, & gaudẽs ad omnem equæ conſpectum, aduocatis, mercatoribus, vtinam non etiam doctoribus, gaudentibus ad omnem lucri odorem. 4

SECVNDA PARS.

De prædeſtinatione, & reprobatione.

QVare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à Sole? A Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto Sole, & præceptum cuſtodiente, per Dei ſapientiam diuiduntur. Et immutauit tempora, & dies feſtos ipſorum, & in illis dies feſtos celebrauerunt ad horam. Et ex ipſis exaltauit & magnificauit Deus, & ex ipſis poſuit in numerum dierum. Id eſt, Quæri poteſt, cur dies vnus ſit 5

ſacer, non alius? cur item lux neomeniæ ſit ſacra, non reliquæ luces? cur etiam annus ſeptimus,& quinquageſimus, qui dicebantur Iubilæus, ſacri ſint, non ita reliqui anni? Addit author, à Sole: vt innuat ſe loqui de annis ſolaribus, non lunaribus. Huic quæſtioni reſpõdet, id factum eſſe à Domini ſcientia. quæ, facto iam ſole,& ipſo cuſtodiente pręceptum Domini vt iugiter moueatur, nec vnquam peccante contra præceptum, vt ea cauſa alius dies eſſet ſacer, alius prophanus, ipſa voluntas Dei tamen diuiſit dies feſtos, & ſibi dicatos, ab alijs diebus non feſtis. Hæc igitur Dei Sapientia immutauit tempora veris, æſtatis, autumni. In his inſtituit dies feſtos Paſchæ, Pentecoſtes, Tabernaculorum. & in his Hebræi celebrabãt feſtos ad horam, ſ. incipiendo ab hora veſpertina. & ex ipſis feſtis quoſdam exaltauit, ſ. diem Paſchæ & Pentecoſten, qui erant celeberrimi. alios dies, vt Sabbatorum, poſuit & redegit in numerum minorum feſtorum. Iam igitur quod fecit Dominus in diebus & annis, ab eodem Sole prodeuntibus, idem fecit in hominibus, ab eadem terra, & Adam procedentibus. id explicat Author ſequentibus verbis.

Pſal.147.

6 *Et omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparauit eos, & immutauit vias eorum. Et ex ipſis benedixit, & exaltauit: & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit: & ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum.* Id eſt,

vt di-

Vt dies & annos Dominus diuiſit, ſacros quoſdam faciens, quoſdam non ſacros relinquẽs: ita per omnia, diuiſit & homines, natos ex eodem ſolo, & terra, vnde Adam formatus eſt. Quoniam ſecundùm multitudinem Sapientiæ, Dominus ex vna & eadem maſſa ſeparauit prædeſtinatos, in quos oſtenderet diuitias gloriæ: & alios reprobos, volens in eis oſtendere iram, & potentiam ſuam. Secundò, poſtquam ſeparauit in ſua Sapientia prædeſtinatos à reprobis, immutauit vias illorum, dãs electis ſpiritum, auxilium efficax, gratiã, & perſeuerantiam: reprobos verò relinquens ac dimittens ſecundùm deſideria cordis eorum, vt ab.ant in aduentionibus ſuis. Tertiò, ex ipſis etiam electis (vt ex ipſis diebus ſacris) quoſdã benedixit, & exaltauit: faciens illos maximos ſanctos. vt Abrahã, Iſaac, Dauid. quoſdam verò ſolùm ſanctificauit, & ad ſe applicauit. ſanctos ſ. fecit. non tamẽ hi, vt dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt: ſed vt minores ſancti, & vt ſanctorũ vulgus Deo hæſerunt. Hæc de electis. Iam audi de reprobis. Primum, ex eadem maſſa Adæ, Deus quoſdam maledixit. volens in eis oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, caſtigando. Secũdò, eos humiliauit, permittẽs, vt dęmonibus tentantibus ſubijcerẽtur: & peccatis cõmacularentur. Tertiò, conuertit à ſeparatione, id eſt, poſtquã eos ab electis ſeparauit, cõuertit illos. Quã rem ſi nõ intelligis, locus ille te docebit, qui ait: Conuertit cor eorũ,

Rom. 9. Pſal. 80. Pſal. 51. Rom. 9. Pſal. 104.

Exod.4.10. vt odirent populum eius. & ille, Ego indu-
11. & 14. rabo cor Pharaonis. & ille, Dedit illis Deus
Rom.11. ſpiritum compūctionis: oculos, vt non videant: & aures, vt non audiāt &c. Id eſt, in pœnam præcedentium criminum conuertitur cor eorum, obduratur, & excæcatur. Non Deo in eis faciente peccatum: ſed exequente iuſtitiam. ¶ Notabis Theologe quędam. Primum illud, de ſolo, & terra. Non igitur Deus ad prædeſtinandum præuidit merita, aut demerita, vt multi Theologi credunt: ſed ſimpliciter ſine vllis meritis præuiſis Deus ſeparat qui iuſti futuri ſunt, ab his qui peccabunt. ¶ Secundò illud, Secundùm multitudinem diſciplinæ. quod
Rom.11. Paulus dixit, ſecundùm altitudinem diuitiarum ſcientiæ & ſapientiæ Dei. quàm incōprehenſibilia ſunt iudicia eius! &c. ¶ Tertiò voluit Author Sapientiam Dei vocare diſciplinam: quia referebatur ad electos, velut ad diſcipulos bonos: & ad reprobos, vt ad malos. Eſt porrò ex Ariſtotele manifeſtum, ſcientiam referri ad doctorem: eandem verò relatā ad diſcipulos vocari diſciplinam. ¶ Quartò, actus primus in Deo, noſtro modo loquendi, fuit ſeparatio bonorū à reprobis. Inde conſecuta eſt immutatio vię bonorum. Quod notabit Theologus nimis. Deus enim immutat electum ſuum è
1.Cor.15. malo in bonum, è terreno in cæleſtem, è naturali in ſupernaturalē: ex Adam, in Chriſtum, ſi ita loqui licet. ¶ Quintò in illo verbo, ad ſe applicauit, notatur vltimus actus præde-

prædeſtinationis in hac vita, ſ. vt applicetur homo Deo: vt illi hæreat, vt vnum cum Deo fiat. *Pſal.72.*

7 *Quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud & diſponere. Omnes viæ eius ſecundùm diſpoſitionem eius: ſic homo in manu illius qui ſe fecit, & reddet illi ſecundùm iudicium ſuum.* Proſequitur materiam cœptam alia comparatione, ſ. vt lutum figuli: ita homo. In manu figuli eſt, lutum plaſmare, & diſponere: & omnes viæ, ſeu formæ luti, ſunt iuxta diſpoſitionem figuli. ita per omnia, In manu Dei eſt homo. Deus enim facit in homine iuxta iudicium, & multitudinem ſcientiæ ſuæ. Eadem eſt maſſa luti, ſine partium differentia: eadem maſſa hominum, ſine eorum differentia. ſed ex eadem maſſa luti facit figulus vaſa quædã in honorem, quædam in contumeliam: ita ex eadem maſſa hominum hos facit Deus electos, illos dimittit reprobos. vt cauſa diuerſarum formarum in luto eſt volũtas figuli: ita cauſa electionis & reprobationis eſt volũtas Dei, quę hoc loco vocatur iudiciũ. quia ex Thomiſtis actus prædeſtinationis ad iudicium Dei ſpectat, quo decernit, hunc fore electũ, illum reprobum. *Iſaie 64. Iſaie 29. Ierem.18. Rom.9. Pſal.102.*

8 *Contra malum bonũ eſt, & contra vitam mors: ſic & contra virum iuſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. duo cõtra duo: vnum contra vnum. Et ego nouiſſimus euigilaui, & quaſi qui colligit acinos poſt vindemiatores. In benedictione Dei & ipſe ſperaui: & quaſi qui vindemiat, reple-*

ui torcular. Tertia comparatione declarat materiam prædeſtinationis. ſ. Vt Deus in naturalibus rebus ordinauit,vt quæque ſuum haberet contrarium, ſ. contra malum bonum, contra vitam mors : ita & ordinauit,vt contra electos eſſent reprobi. Id enim intueri licet in omnibus operibus Dei. vt duo ſint contra duo,ſ.naturalia,& ſupernaturalia,contra alia naturalia,& ſupernaturalia. vnum ſ. contra vnum. ignis contra aquam, aer contra terram : ita in ſupernaturalibus,electus contra reprobum. ¶ Nota faciliùs Græcos habere, non duo contra duo: ſed ſolùm,duo & duo. ſed bonum ſenſum habet textus noſter, vt declarauimus. Quia verò materia hæc eſt altiſſima, ideo ſubdidit: Ego nouiſſimus euigilaui. vocat ſe nouiſſimũ, quia fuit vltimus ex Scriptoribus canonicis. Dicit ſe euigilaſſe,quia per multos omnino dies à tempore trãſmigrationis è Babylone in Iudæam, vſque ad Eccleſiaſticum, ferè defuit propheta, ſpiritu Dei plenus. Dicit porrò ſe collegiſſe acinos: quia, vt in prologo huius libri dicitur, hic Eccleſiaſticus collegit hæc ſua ſcripta ex lectione legis, prophetarum, & aliorũ librorum, qui à parentibus vt ſacri relicti fuerant. Demum ait, ſe repleuiſſe torcular Eccleſiæ ſua doctrina. (Ideo enim Eccleſiaſticus vocatur.) quia ſperauit non in ſua eruditione : ſed in Dei benedictione, & ſpiritu, quo inſpiratus hæc ſcripſit. ac ideo eius ſcriptura inter canonicas, quibus Eccleſia repletur,

pletur, annumeratur. Innuit igitur Author, ſe fuiſſe qui colophonem & vltimam manum impoſuerit toti Scripturæ canonicæ veteri: ac ideo torcular Eccleſiæ veteris per hanc ſcripturam fuiſſe repletum. Ideo ſubdit: *Reſpicite quoniam non mihi ſoli laboraui, ſed & omnibus exquirentibus diſciplinam.* Planè, quia Scriptura canonica non efficitur in commodum ſcribentis, ſed totius Eccleſiæ. Rectiſſimè igitur infert: *Audite me magnates, & omnes populi, & rectores Eccleſiæ auribus percipite.* Si enim Deo reuelante hæc ſcribo, vt Deus audiendus eſt ab omnibus, ita hæc doctrina ab omnibus audiẽda eſt: tum à Principibus ſecularibus, tum ab Eccleſiaſticis, tum demum ab omnibus populis. Habes lector, Authorem Deo reuelatore intellexiſſe hunc librum non à Iudæis ſolùm, ſed ab omnibus fidelibus, vt canonicum audiendum. Porrò videtur verbum hoc ad ſuperiora eſſe referendum, ſunt enim illa digniſſima quę ab omnibus audiãtur. ſequentia verò non ſunt tanti.

TERTIA PARS.

Admonet de facultatibus & ſeruis.

Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſta- 9
tem ſuper te in vita tua: & non dederis alij poſ-
ſeſſionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris
pro illis. Dum adhuc ſuperes, & ſpiras, non immu-
tabit te omnis caro. Melius eſt enim vt filij tui te ro-
gent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum.

In omnibus operibus tuis præcellens eſto: ne dederis maculam in gloria tua. In die conſummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui diſtribue hæreditatem tuam. Multis verbis mandat ne poſſeſſiones noſtras, dum viuimus, alijs demus. Nam dando alijs tua, das illis poteſtatem & dominium ſuper te. cuius rei poſtea te pœnitebit, & cogeris deprecari pro bonis, quæ dediſti, vt tibi det, qui à te accepit. Illud verò, non immutabit te omnis caro, hunc habet ſenſum: Non tibi vllus perſuadeat, aut moueat, vt tua des alijs. melius enim eſt vt tu des, quàm vt recipias: & vt te precentur, quàm vt tu depreceris. Et illud, In omnibus operibus tuis præcellens eſto. ſignificat, in omni vita tua eſto dominus, vt tibi alij, non tu alijs ſubijciaris, propter facultates, quas alijs dediſti. Tum illud, ne dederis maculam, id eſt, Si fuiſti diues per totam vitam, ne hâc gloriam obnubiles, dando alijs tua: & ſubijciens te, cui alij ſubdebantur. Ergo ſerua tibi tua, in vita tua. Morte porrò inſtante, tunc teſtamento legitimè tua diſtribuito: ne pro bonis, lites hæredibus derelinquas. ¶ Nota, aliud eſſe, ex charitate & fiducia Dei cuncta relinquere,
Mar. 10. quod Euangelium conſulit, & viri perfecti
Luc. 18. fecerunt: aliud, ex humana amicitia & fi-
Matth 19. ducia, bona alicui dare: quod Eccleſiaſti-
Luc. 8. cus prohibet, & quod qui fecerunt, pœnitentia ducti, doluerunt. ¶ Nota etiam, diuerſum eſſe tempus Euangelij, & veteris legis. In hac felicitas erat, diuitem ac dominum

num eſſe: dabaturq́ felicitas hæc operibus *Iſaiæ 1.* bonis. In illo verò felicitas eſt, temporalibus carere, diuinis ſolis hærere.

Cibaria, & virga, & onus aſino: panis, & diſci- 10
plina, & opus ſeruo. Pro cibarijs, Græcè eſt fœnum: quia in Palæſtina erat multum fœ- *Iohan.6.* num. quia tamen non vbique fœnum eſt, ideo iure pro fœno cibaria ponuntur. Et nota, virgam eſſe aſino, & aſinarijs hominibus diſciplinam. vt qui diſciplinâ non coercentur, virgâ coerceantur. *Operatur in diſciplina, & quærit requieſcere: laxa manus illi, & quærit libertatem.* Id eſt, Si delaſſaueris in diſciplina ſeruum, facies vt ei requies veniat optata: ſed ſi ei manus ab opere relaxaueris, facies, vt immeritò quærat libertatem. vt enim multum operis nihil aliud quærere ſinit, niſi requiem: ita multum otij nihil aliud, quàm libertatem meditatur. Nota ſermonem eſſe de emptitijs ſeruis. *Iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſidue.* Id eſt, Vt collũ vituli laſciuientis & indomiti domatur iugo, & loro: ita ſerui peruicacia opere aſſiduo. *Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas. In opera conſtitue eum: ſic enim condecet illum. Quòd ſi non obaudierit, curua illum compedibus.* Faciliùs decurret veritas huius textus, ſi de ſeruis emptitijs eum intelligas. Accommodãdus porrò etiam eſt cuiuis inferiori: vt in religionibus, monacho:

in capitulis, capitulari: in collegijs, collegæ. imò & accommodari poteſt carni noſtræ, quæ tam maleuolus ſeruus eſt. His igitur eſt adhibẽda caſtigatio: ſed non nimia, nec ſine iudicio. quod ſequentia declarant. *Et non amplifices ſuper omnem carnem: verum ſine iudicio nihil facias graue.* id eſt, Non extendas caſtigationem ſuper omnem carnẽ ſerui. ſatis ſit poſteriora ferire. Imò nullam grauem caſtigationem adhibebis, ſine iudicio. Sunt enim ſerui, quibus ſatis eſt caſtigatio minor: ſunt alij, quibus nec grauis eſt ſatis. Igitur caſtigaturus adhibe iudicium.

11 *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem ſic eum tracta: quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum.* Membrum prius dictum eſt ſuprà c. 7. Membrum ſecundum eſt difficile: arbitror tamen ita germanè exponi: Tracta quem bonum ſeruum emiſti, vt fratrem. quia multis eũ numis, velut ſanguine tuo, eum comparaſti. bonus enim ſeruus non niſi grandi pretio comparatur. grande verò pretium non niſi ſanguineo ſudore percipitur. ¶ Quàm verò pulcher eſt textus, peccatori Chriſtum pro miſericordia roganti: Domine ne, vt inimicum me, ſed vt fratrem, tracta. comparaſti enim me ſanguine animæ tuæ. ¶ Quàm item aptè dicetur domino crudeli, Tracta tuum ſeruum benigniùs. ſi non propter illum, certè propter te. Si illi non parcis, parce ſanguini tuo, quo eum comparaſti.

Eccli 7.

Si læſeris eum iniuſtè, in fugam conuertetur: & ſi extollens diſceſſerit: quem quaras, & in qua via quæras illum, neſcis. Si extollens, id eſt, ſi tollens ſe è domo tua, diſceſſerit. Illud, quem quæras, Græcis non eſt. Poteſt tamen hunc habere ſenſum: Neſcis an quæras rem tibi vtilem, an inutilem. Cùm enim fugæ ſeruus aſſueſcit, neſcias an reducere illum conueniat, an vendere. Igitur caue ne iniuſtè lędas ſeruum cordatum. alioqui & tu quærendo eum nimiâ afficieris moleſtia: & ille vt prudens, ne inueniatur, curabit. 12

CAPVT XXXIIII.

PRIMA PARS.

De Somniorum vanitate.

VANA ſpes, & mendacium viro inſenſato: & ſomnia extollunt imprudentes. 2. Quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum: ſic qui attendit ad viſa mendacia. Hoc ſecundùm hoc, viſio ſomniorum: ante faciem hominis ſimilitudo alterius hominis. Id eſt, Vir inſenſatus habet vanas ſpes & mendaces: & vir imprudẽs in altum extollitur ſomnijs ſuis. Inſenſatus vana ſpe paſcitur: imprudens à ſomnijs erigitur. Vanas ſpes Antiochi Epiphanis, Bacchidis, Nicanoris, Alcimi, & aliorum, qui Iudæis hoſtes fuerunt, leges in lib. Machabæorum. Sunt verò libri gentilium pleni vanitate ſomniorum. Secun- 1

2. Mach.8.9.

Vide Cælium lib.27. antiq. lect.c.9.10.11.

cundum membrum in ſuperficie facile eſt: id tamen fortaſſe in receſſu deſignat. ſ. ſomnia eſſe viſa mendacia, non vera: eſſe vmbram rerum, non res: eſſe vētum quendam per caput tranſeuntem. Sunt igitur ſomnia viſa quidem, non in veritate: ſed quę videmur videre. apparet enim nobis, quòd quæ ſomniamus videmus: non videmus tamen. Rurſum illa idola, quæ ſomniantes videmus, vmbræ ferè ſunt à veris rebus in memoria noſtra relictæ. Vt enim vmbræ rerum, res repræſentant, ſuntq́ velut res diminutæ: ita ſunt etiam ſomniorum idola. Demum flatus è ſtomacho caput perflans & permeans magnam in ſomnis facit varietatem. Cur igitur mendacio, vmbræ, & flatui credas? Tertium membrum appoſitiſſimè declarat, quid ſint ſomnia. Sunt enim hoc, ſecundùm hoc. id eſt, quæ vides in ſomnijs, ſunt ſecundùm ea quæ vidiſti vigilans. Planè ſi attentiùs ſomnium luſtras, inuenies ipſum aut in toto, aut in partibus eſſe, ſecundùm ea quæ in vigilia conſpexiſti. rectè igitur dictũ eſt, viſio ſomniorum eſt, hoc, ſecundùm hoc. Secundo item exemplo declarat, quid ſit ſomnium. eſt enim ſimilitudo vnius hominis, ante faciẽ alterius. Quid
Geneſ. 41. fuit ſomnium Pharaonis? fuit ſimilitudo ſpicarum ante imaginatricem potentiam
Geneſ. 30. eiùs. Ita fuit ſimilitudo virgarum ſine corticibus, ſomnium Iacob. &c. Ergo, vt qui ſimilitudinem rei rem eſſe crederet falleretur, ita fallitur qui ſomnijs credit: nõ enim

illa res, ſed rerum ſunt ſimilitudines. Id verò eſt, quod ſequentia verba nos docent. *Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur?* Id eſt, Vt à re immunda non ſperas munditiam: ita à re mendace, ſeu à mendacio, quid verum ſperes? Cùm ergo ſomnium non ipſa res ſit, ſed eius ſimulachrum: (licet pro re mendaciter ſe repræſentet) cur ab eo verum ſperabis? ¶ Arguis, ab immundo Sacramentorum miniſtro munditiam recipientium expectari. Fateor ego quidem: ſed cauſa eſt, quia per immundum miniſtrum Chriſtus mundiſſimus, ſ. agnus Dei, Sacramenta confert ſuſcipientibus: quibus nihil officit immunditia miniſtri, cùm proficiat Chriſti munditia. ¶ Arguis item, à dæmone mendace verum aliquando dici. Fateor & id etiam: ſed vt omnibus diaboli dictis deroganda eſt fides, nulliq́; eorum credendum, niſi aliunde verum eſſe probetur: ita & omni ſomnio deroganda eſt fides, niſi aliunde eius veritas procedat. ſ. ſi intelligamus à Deo eſſe, vel ab Angelo. Concluſio eſt. *Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & ſomnia malefacientium, vanitas eſt.* Id eſt, omnis erronea diuinatio, quę in igne, aqua, aere, terra, & cadaueribus fit, mera vanitas eſt. Omnia auguria mēdacia, quæ ex garritu auium capiuntur, mera vanitas ſunt. Vt fusè inuenies apud Cælium lib. 2. cap. 12. ex Lactantio, & Apuleio. Omnia ſomnia hominum iniquorum mera vanitas ſunt. Nam piorum hominum aliquod ſomni-

Iohan. 1.
Celius.
Lactantius.
Apuleius.

Matth.1. ſomnium contingit eſſe verum : vt Ioſeph,
Matth.2. vt Magorũ. *Et ſicut parturientis, cor tuũ phantaſias patitur.* Id eſt, vt dolore cogẽte cor parturientis mille patitur delitia : ita ſomno premente cor tuum mille patitur imaginationes ſeu phãtaſias. vt ergo mẽdacia ſunt, quæ ſe videre, præ dolore parturiens credit : ita mendacia ſunt, quæ præ ſomno, te videre putas.

2 *Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum : multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Id eſt, Niſi noueris ſomnium à Deo viſitante veniſſe, illi minimè credas. Si enim credideris, errabis : & ſi in eo ſperabis, à ſpe tua cades. ¶Dices, quomodo ſciam à Deo ſomniũ immitti? Ne, precor, quærendo labores. Nam quod ſomnium à Deo eſt, ſecum trahit vim & efficaciam, quæ facit, vt credas, ſomnium eſſe Dei : vel certè interpretem offert, qui ſomnium aſſerat eſſe Dei. Ergo qui dat ſomnium, dat vt ei credas, & vt illud intelligas. Lege ſomnia vtriuſque Ioſephi, Pharaonis, Nabuchodonoſoris.

3 *Sine mendacio conſummabitur verbum legis, & Sapientia in ore fidelis complanabitur.* Dixerat non eſſe credendum ſomnijs, nec Diuinationibus, nec augurijs : cui ergo credere iubes? Reſpondet, legi Dei, cuius verbum conſummabitur, & perficietur abſque mendacio. fiet enim verbum Dei, dubio procul. Poſt legem credemus Sapientiæ, quæ in ore viri

viri fidelis plana erit, & aperta. hoc enim
ſignificat verbum, com planabitur. ¶ Prio-
rem partem huius ſententiæ habemus à Do-
mino, per Iſaiam dicentem, Ad legem poti- *Iſaiæ 8.*
ùs, & teſtimonium. Tum à Chriſto dicente, *Iohan. 5.*
Scrutamini ſcripturas. Tum à Sacerdoti-
bus, qui rogati, vbi Chriſtus naſceretur, ad *Matth. 2.*
Scripturam confugerunt. ¶ Poſteriorem
partem iuſſit Dominus, cùm dixit, Quod- *Matth. 23.*
cunque dixerint vobis Scribæ in cathedra
Moyſi ſedentes, facite. & Paulus, cùm iubet *2. Theſ. 2.*
acquieſcere præceptis ſeniorum. ¶ Sed ca-
ue, ne ab infideli, quanuis videatur ſapiens,
ſententiam requiras. ideo enim meritò di-
xit, in ore viri fidelis.

4 *Qui non eſt tentatus, quid ſcit? Vir in multis ex-
pertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enar-
rabit intellectum. Qui non eſt expertus, pauca reco-
gnoſcit: qui autem in multis fatuus eſt, multipli-
cat malitiam. Qui tentatus non eſt, qualia ſcit? qui
implanatus eſt, abundabit nequitia.* Quia dixe-
rat, à viro fideli Sapientiam hauriendam,
explicat quis erit hic ſapiens, & fidelis, in
rebus dubijs conſulendus. Eſt verò vir ten-
tatus, expertus in multis, quiq; multa didi-
cit. Nam qui tentatus non eſt, nihil ſcit. qui
non eſt expertus multa, ſed pauca, pauca
etiam nouit. & qui non didicit, vix ſcire
poteſt. Habes quem conſulas, & cui credas:
nunc accipe cui non credas, ſ. ei qui in mul-
tis fatuus eſt. nam hic conſultus, malitiam,
quâ abundat, conſulet. Tum etiam ne cre-
das

das homini implanato, id eſt,decepto. hic enim quo errore, & nequitia deceptus eſt, conſultus decipiet. ¶ Tentatus hoc loco vocatur, qui multis tribulationibus iactatus eſt. vt tentatus eſt Abraham, Iob, Tobias, Chriſtus. Habemus porrò ex hoc loco, non ſolùm tentationem meritum nobis in terra, & præmium in cælo parare: ſed etiam lucem intellectui adhibere, quâ ſapiens euadat. Nam & Chriſtus didicit, ex his

Heb.5. quæ paſſus eſt, obedientiam,& conſummatus factus eſt. ¶ Tu nunc lector attende prudentiam Authoris. Eum vocat ſapientem, dignum cui credamus, qui per tentationes è cælo eruditus eſt: per experientiam, ex ſe eruditionem comparauit: demum per doctrinam, diſcendo ex alijs. ¶ Fatuum verò & implanatum eum intellige, non qui iterum, aut tertiò lapſus eſt:

Pſal.1. ſed qui in errore quieſcit, qui in cathedra peſtilentię ſedet. vt illuſus Salomon olim: hæretici nunc.

5 *Multa vidi errando, & plurimas verborum conſuetudines. Aliquoties vſque ad mortē periclitatus ſum horum cauſa, & liberatus ſum gratiâ Dei.* Dixerat, eum qui non eſt expertus, pauca cognoſcere, ſuo id exemplo confirmat, dicens: Dum per multa loca errabundus vagor, & plurimas loquendi conſuetudines, plurimasq; linguas audio, multa etiam diſco,multaq; expertus ſum.Et licet dum plurima loca diſcendi cauſa adeo, pericula mortis incurro, liberor tamen gratiâ Dei.

¶ No-

¶ Nota, Antiquis fuiſſe ſolenne, cauſa di- *Prologus Bi-*
ſcendi multa loca adire: vt adiuit Pytha- *bliorum.*
goras, Plato, Hieronymus, & hic noſter
Author. quâ cauſa, infrà idem iubet, vt ſi *Eccli 39.*
ſapiens eſſe quis volet, in terram alienige-
narum tranſeat. & præceptor meus dice-
bat, iudicium peregrinatione parari. Eſt ve-
rò Sapientia res digna, propter quam pere-
grineris, etiam cum periculo mortis. ab eo
enim periculo, Deus cuius cauſa Sapientia
quæritur, liberabit.

Spiritus timentium Deum quæritur, & in con- 6
ſpectu illius benedicetur. Spes enim ipſorum in ſal-
uantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe. Aſſere-
bat Author nunc, liberatum ſe à morte ſæpi-
us: ſubdit, non ſolùm ſe, ſed omnem ſpiri-
tum timentis Deum, quærendum à Deo, vt
liberetur. & ille ſpiritus conſpiciens Deum,
& à Deo conſpectus, erit omni benefici o af-
ficiendus. Nam vt ſpes timentium Deum,
eſt in eum coniecta: ita & oculi eius ſunt
in eos coniecti. illi conijciunt ſpem in eum,
vt ſaluentur ab eo: ille oculos ſuos in eos
conijcit, vt eos ſaluet. ¶ Nota phraſem He-
bræam, ſpiritus quæritur, ſ. ad ſalutem. vt
illud, Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære *Pſal. 118.*
ſeruum tuum Domine. & illud, Quæretur
peccatum illius, (ſ. vt remittatur) & non in- *Pſal. 9.*
uenietur. ¶ Nota ſecundò, oculos timenti-
um Deum, in eius conſpectu benedicendos.
iuxta illud, Leuaui oculos meos in montes, *Pſal. 120.*
vnde veniet auxilium mihi. Auxilium me-
um à Domino. & illud, Sicut oculi ſeruo- *Pſal. 122.*

rum in manibus dominorum ſuorum, Sicut oculi ancillæ in manibus dominę ſuę: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum. Ergo commodiſſimè viri pij curant oculos ſuos continenter in Deum conijcere. iuxta

Pſal.15. illud, Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. ¶ Nota tertiò, ſi tu figis in Deum oculos, figit & ille in te. ô beatiſſimum gratię redditorem. Ergo ſi in vllam calamitatem incideris, intellige te coram oculis Dei incidere: ac ideo ſi tibi expedierit, ab ea diuelleris.

7 *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit: quoniã ipſe eſt ſpes eius. 2. Timentis Dominum beata eſt anima eius. 3. Ad quem reſpicit? & quis eſt fortitudo eius? Oculi Domini ſuper timentes eum, Protector potentiæ, firmamentũ virtutis: Tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani: Deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus: Exaltans animam, & illuminans oculos: Dans ſanitatem, & vitam & benedictionem.* Primũ verbum

Pſal.124. ſimile illi eſt, Qui cõfidunt in Domino, ſicut mons Sion: non cõmouebitur in æternum.

Pſal.22. & illi, Non timebo mala, quoniam tu me-

Pſal.26. cum es. & illi, Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælių, in hoc ego ſperabo. Quæ intelligũtur, dum Deus ſpes iuſti eſt. ſi enim

Matth.14. ab eo oculos diuellas, incipies cum Petro in mari ſubmergi. Item intellige de eo qui perfectè Deum timet, cuius perfecta charitas foras mittit timorẽ. quòd ſi Chriſtum

vides

vides timentem & pauentem, promptitu- *Matth.26.*
dinem ſpiritus, non verò infirmitatem carnis aduertas. Quòd ſi iuſtus nihil timet innumera quæ ſunt in hoc ſeculo mala, quia ſentit, quòd Deum ſecum habet, num non beata eſt eius anima? Tertium membrum ita intellige: Deum immortalem; quem reſpicit vir iuſtus? & quis eſt eius fortitudo? Planè reſpicit eum à quo reſpicitur. ſi oculos in Deum coniecit, Deus in eum oculos coniecit. At Deus eſt protector potentiſſimus, firmamentum fortiſſimum. Eſt tegimen tegens nos ab ardore, & vmbraculum tegens nos à calore meridiano. Idem eſt Deprecatio offenſionis. id eſt, depulſor, & cuſtos ne impingamus, & cadamus. quòd ſi cadere contingat, eſt adiutorium caſus. id eſt, erigens nos, & manum dans, vt ſurgamus. Idem eſt exaltans animam, cùm eam interiùs viſitat, & attollit. anima enim dum à Deo viſitatur, ſuper ſe, & ſuper naturam extollitur. Tum Deus eſt illuminans oculos, cùm dat claritatem & lumen ineffabile intellectui. De qua re dicit Iſaias, Implebit *Iſaia 58.*
ſplendoribus animam tuam. & item, Orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. & illud, Lux orta eſt iuſto. *Pſal.96.*
Demum Deus dat corpori ſanitatem, vitam, & benedictionem, id eſt, bona temporalia. tum etiam dat animæ ſanitatē, id eſt, perfectionem. vitam, id eſt, gratiam. benedictionem, id eſt, affluentiam beneficiorum ſpiritualiū. ¶Porrò ſub illis diuinis epithe-

tis, quæ Deo Eccleſiaſticus tribuit, latent eximiæ, & excellentiſſimæ Chriſti laudes. Cùm audis, Deum eſſe protectorem, ſeu clypeum, intelligis Chriſtum pro nobis vulnerandum. Nam clypeus excipit vulnera, quæ erat excepturus in pugna, is qui clypeo protegitur. Qua ratione etiam dicitur murus & antemurale. ¶ 2. Cùm audis, Deum eſſe firmamentum, (cui ſ. domus innititur) intelligis Chriſtum eſſe vehementer humiliandum: vt eſſet Eccleſiæ fundamentum, cui illa niteretur, ne flumina, & venti in

Matth. 7. eam irruentes, poſſent in ruinam impellere. ¶ 3. Dum audis, Deum eſſe tegimen ardoris, intelligis Chriſtum fuiſſe paſtorem: qui,

Iohan. 10. vt Sol non noceret ouibus, Solis ardori ſe

Geneſ. 31 obiecit, meliùs quam Iacob, qui ita ſuum munus paſtorale commēdat. ¶ 4. Cùm audis, Deum eſſe vmbraculum à calore meridiano, intelligis Chriſtum hora ſexta crucifixum, id eſt, meridie: & tunc ardorem vrentis Solis, id eſt, iuſtitiæ Diuinæ, in ſe ex-

Pſal. 87. cepiſſe. iuxta illud, Super me tranſierūt iræ tuæ. id eſt, rigorem iuſtitiæ Dei (qui nos erat aduſturus) Chriſtus in ſe excepit, ac ideo nobis Solem in vmbram redegit. ¶ 5. Cùm audis, Deum eſſe deprecationem offenſionis, intellige Chriſtum & in cruce, & in cęlo deprecari Patrem, ne in nos pro noſtris offenſis ſæuiat. Tum etiam deprecari nos, ne eum offendamus. ¶ 6. Cùm audis, Deum eſſe adiutorium caſus, id intellige, ſi nos cadendo decidimus in mortem & infernum,

Chri-

Chriſtus inde nos erepturus,in mortem, & infernum deſcẽdit, vt manum nobis lapſis porrigeret. ¶ 7. Quod dicit, exaltans animam,ſic intellige,Chriſtus nos ſecum in cęlum exaltabit : vt ſicut deſcendit in inferiores partes terræ,ad nos erigẽdos:ita aſcendit in ſummas partes cæli, ad nos ſibi iungendos. ¶ 8.Cùm dicit,illuminãs animam, docet fore,vt in cælo,in eius lumine videamus lumen. id eſt,in lumine,gloriæ,glorioſi ſimus futuri. ¶ 9. Cùm ait, dans ſanitatem,& vitam,& benedictionem.notat qualis erit æternitas gloriæ,quam electis Chriſtus eſt daturus. ſ. ſalus, vita, & omnia bona. Ibi enim inebriabuntur ab vbertate domus Dei,& torrente voluptatis potabũtur. quia apud te (inquit) eſt fons vitæ.

Epheſ.4. *Pſal.35.* *Eodem.*

SECVNDA PARS.

De oblationibus iniquorum.

IMmolantis ex iniquo oblatio eſt maculata, & 8
non ſunt beneplacitæ ſubſannationes iniuſtorum.
Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in via veritatis & iu-
ſtitiæ. Immolat ex iniquo, qui ex malè partis immolat. Dicitur verò oblatio maculata,quia eſt peccatum,offerre Deo iniqua.eſt verò alluſio ad præceptum Dei iubentis, vt ei offerretur hoſtia ſine macula. at oblatio iniqua maculam peccati habet.Porrò oblationes impiorum vocãtur ſubſannationes, quia eas,& ridet.& ſubſãnat Dominus.tum quia perinde eſt eas Deo offerre, ac eũ ſubſannare, exiſtimando Deum eſſe ſimilem

Levit.1. *Pſal.49.*

iniquis, qui iniquis oblationibus gaudeat. Deus igitur adorandus eſt ſolus, non ſimul
1.Reg.5. cum idolo Dagon, id eſt, non ſimul cum iniquitatis idolo. & adorandus eſt in via veritatis & iuſtitiæ, non in via furti, & rapinæ. Porrò pij dicuntur ſuſtinere Do-
1.Cor.6. minum, vt & Paulus ait, Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. & Dauid,
Pſal.26.30. Viriliter age, & ſuſtine Dominum. vt ſit mirabile, gigantem à nano deferri. atqui, Si-
Luc.2. meonem is gubernabat, quem deferebat. Ad idem pertinent, quæ ſequuntur. *Dona iniquorum non probat Altiſsimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Id eſt, Generaliter nullũ donum iniqui, dum ab iniquitate recedere non vult, Deo placet: nec ei vllum pro peccato ſacrificium valet. teſtis
Geneſ.4. fuit iniquus Cain, cuius dona minimè pla-
Iſaia 1. cuerunt. teſtes & iniqui Iudæi, quorum omnia & dona & feſta Deus abominabatur.

9 *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Id eſt, Vt patri non placeret, imò ſummè diſpliceret, ſi quis ei filium ipſius in ſacrificium mactaret; ita diſplicet Deo, ſi ei offeras, quæ pauperibus abſtuliſti. Vide, quàm
4.Reg.3. diſplicuerit regi Edom ſuus filius, quẽ Rex Moab coram eo ſacrificauit. Nam auferre pauperi ſubſtantiam, eſt ei auferre vitam. ergo qui ſubſtãtiam pauperis offert, vitam occiſi pauperis offert. *Panis egentium vita pau-*

perum

perum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Homo ſanguinis, id eſt, ſanguinis effuſor. declarat igitur quod nunc dixerat. ex eo enim offerens ſubſtantiã pauperis, mactat eum: quia panis, ſeu ſubſtantia pauperum, eſt eorum vita. ergo qui panẽ aufert à paupere, vitam aufert ab eo. eſt ergo homicida. Ergo qui furto rapit pauperis ſubſtantiam, homicida videtur: & item qui ſeueriùs exigit debitum à paupere, qui quod ſoluat non habet: & demum, qui in magna indigentia panem pauperi non largitur. Idem dicit ſequens verbum. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.* Si pauper ſudore ſuo comparauit panem, tu cui ille ſudauit, ſi panem illi negas, eum occidis. ſenſum hunc eſſe, declarant ſequentia. *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Fratres ſunt, id eſt, ſimiles ſunt in culpa. Tu verò ne intelligas vtrunque eſſe homicidam, & eos eſſe pares in crimine. maius enim ſcelus eſt hominis vitã, quàm hominis facultates auferre. ſed quia vita pauperis ſuus victus eſſe videtur: ideo ſimilis eſt qui victũ aufert, ei qui vitam aufert. ¶ Liber meus habet pro effundit, offendit. ſed aut vitium eſt typographi, aut certè eodem ſenſu accipi debet offendit, & effundit.

Vnus ædificans, & vnus deſtruens: quid prodeſt 10
illis niſi labor? Vnus orans, & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit laua-

tio illius? Sic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet? Videtur mihi totus hic locus homines admonere, ne
2.Pet.2. poſt actam pœnitentiam, rurſum in volutabrum luti deuoluantur. Nam pœnitentia de crimine ædificat in cælum: ſed relabi in crimen deſtruit quod ædificatum eſt. Orat ſanè pœnitentia pro pœnitente, ſed redire ad vomitum maledicit redeunti. planè exaudiet Deus non pœnitentiam priorẽ orantem: ſed recidiuum maledicentem. Solebant in lege veteri, qui cadauer mortuum tangebant, immundi vocari, ac ideo ſe lauabant, vt mundi redderentur. id habes
Leuit.11.21. Num.19. Leuit. 11.21. & maximè Nume.19. Dicit nunc Author, qui baptizatur, ſeu lauatur propter tactum mortui, & iterum tangit mortuum, quid lauiſſe profuit? Ita ieiunaſſe pro peccatis admiſſis, & iterum ea admittere, quid profuit ieiunaſſe? ¶ Nota primò, baptizari à mortuo, non eſſe quòd mortuus viuum baptizet: id enim abſurdum eſſet. ſed, vt diximus, baptizari à mortuo, eſt lauari propter immunditiam contractã ex contactu mortui. nam præpoſitio. à, ſignificat frequentiùs, poſt. vt à cœna, id eſt, poſt cœnam. ita à mortuo, id eſt, poſt tactum mortuum. Non igitur rectè inferas hinc, baptiſmum, quem mortuus in crimine lethali miniſtrat, eſſe nullum. non enim à mortuo hoc loco, capitur actiuè, vt dictum eſt. ¶ Secundò nota, opera facta in gratia mortificari per ſubſequens

ſequens crimen lethale: nihilq́; prodeſſe vt cælum aſſequaris, ſi in crimine vis perſeuerare. ¶ Tertiò nota, opera ſancta ædificare ædificium, in cælum vſque pertingens. at crimen lethale impetum in hoc ædificium facit, & ipſum adigit in ruinam, & fit ruina eius domus magna. ¶ Quartò nota, bona opera benedicere ei qui ea facit. id eſt, merētur benedictionem Domini. Crimen verò lethale, maledicit, id eſt, meretur maledictionem illam horrendam, quæ erit in Iudicio, Itē maledicti. ¶ Quintò attentiſſimè expende, quomodo fiat anima immunda. ſ. per contactum mortui, id eſt, criminis lethalis. quod non modò mortuum eſt: ſed mors. nec modò exteriùs animam ſordidat: ſed eam totam intimè reddit immundam.

1.Cor.3.
Matth.7.
Matth.25.

CAPVT XXXV.

PRIMA PARS.

Suadet ſeruare legem Dei, & recedere à peccato.

1 *QVI conſeruat legē, multiplicat orationem. 2. Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate. 3. Et propitiationem litare ſacrificijs ſuper iniuſtitias: & deprecatio pro peccatis, recedere ab iniuſtitia. 4. Retribuet gratiam qui offert ſimilaginem: & qui facit miſericordiam, offert ſacrificium.*

5. Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate:& deprecatio pro peccatis recedere ab iniuſtitia. Id eſt,Conſeruare legem,valet perinde,ac ſi multoties oraſſes. 2. Et attendere mandatis Dei,ſimul ac diſcedendo ab omni iniquitate,valet pro ſacrificio ſalutari. 3.Et recedere ab iniuſtitia,perinde eſt ac ſi propitiationem à Deo per ſacrificia peteres, contra tuas iniuſtitias. 4. Planè retribuit Deo gratiam, qui ei pro eius beneficijs offert ſimilaginem: ita planè, qui facit miſericordiam proximo, perinde eſt, ac ſi Deo ſacrificium obtuliſſet. 5.membrum facile eſt. ¶ Implexa ſe hoc loco prodit difficultas. Cùm teſte Dauide & Petro, duplex ſit iuſtitiæ pars, altera declinare à malo,altera facere bonum: cur Author noſter totam iuſtitiam videtur tribuere parti priori,ſ.receſſui ab omni iniquitate? Reſponſio eſt. In rigore,qui declinat à malo,neceſſariò facit bonum. Si enim bonum ad quod lex obligat non facis, malum facis: ac ita à malo non declinas. Igitur in rigore textus noſter eſt verus. Arbitror tamen aliud fuiſſe Authoris propoſitum, ſ.quia videbat multos orationibus, & ſacrificijs, & oblationibus intentos, interioris verò munditiæ penitus oblitos,hos admonet dicens: Serua legem,& crede te oraſſe: diſcede à culpa, & magnum Deo ſacrificium obſtuliſti: recede ab iniuſtitia, & ita litaſti ſacrificium propitiatorium contra iniuſtitias. Non quòd diſcedere ab iniuſtitia liberet hominem ab oratione, & ſacrificio:

Pſal.36.
1.Pet.3.

cio: ſed quòd prima oratio, primumq́; ſacrificium eſſe debet ab iniquitate diſcedere, & Diuina mandata ſeruare, ſine quibus nec orationes nec ſacrificia valent. Idem admonuit Dominus apud Iſaiam c.1. cùm feſta Iudæorum iniquorũ dixit ſibi non placere. *Iſaie 1.* Idem Chriſtus, cùm ait, Hæc oportuit facere, & illa non omittere. *Matth. 23.* ¶ Vocatur ſacrificium ſalutare, quod pro ſalute deuotum ſacrificatur. vt illud, Victimas pro ſalute deuoui. *Prouer. 7.* ¶ De oblatione ſimilæ lege Leuitici cap.1. *Leuit. 1.*

SECVNDA PARS.
De Oblationibus.

NOn apparebis ante cõſpectum Domini vacuus. Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt. 1
2. Oblatio iuſti impinguat altare, & odor ſuauitatis eſt in conſpectu Altiſſimi. 3. Sacrificium iuſti acceptum eſt, & memoriam eius non obliuiſcetur Dominus. 4. Bono animo gloriam redde Deo: & non minuas primitias manuum tuarum. 5. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. 6. Da Altiſſimo ſecundùm datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi. Quia ſuperiùs videri poterat Author docuiſſe, ad ſalutem ſat eſſe à peccato recedere: id nunc cauet, declarans, neceſſarium eſſe, Deo quæ præcepit offerre. Præcipiebat porrò, vt tribus vicibus per annum omnis maſculus *Deut. 16.*

in templum veniret,& coram Domino appareret: ſed non appareret vaçuus, id eſt,ſine dono quod offerret. Id eſt, quod membro primo dicit Author. ſ. tribus vicibus, quibus coram Domino venies, non venies vacuus: ſed cum oblationibus.has enim vices & dona Dominus mandauit.Secundum & tertium membrum ita intellige: pro impinguat (quod in pſalmo dicitur,Holocauſtum tuum pingue fiat) Hebræis eſt,in cineres redigatur. vt Elias Hebræus admonuit. Porrò id ſacrificium quod Deo placebat, ſolebat ipſe, flammâ de cælo demiſſa comburere,& in cinere redigere: eo argumento docens, ſacrificium in cælum conſcendiſſe, ac ita Deo placuiſſe. Hoc igitur dicit Author: Oblatio iuſti cineribus conſpergit altare. imò & ipſum altare in cineres redigit: vt redactum eſt, cùm Elia propheta orante, & ſacrificium & altare abſumptum eſt igne. Hac igitur phraſi docet, Sacrificiũ iuſti Deo placere. Idem docet altera phraſi, ſ. quòd oblatio iuſti eſt odor ſuauitatis. ſumptum id eſt ex ſacrificio Noe,quod ſuauiſſimè Deus odoratus eſt. id eſt,ei vehemẽtiſſimè placuit. Ac ideo, & placuit, & eius non obliuiſcetur Dominus. Idipſum eſt quod ait, Oblatio iuſti impinguat altare.vt enim res macilenta diſplicet: ita craſſa placet. Ita enim dicitur,Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meũ. Ergo altare impinguatur ſacrificio iuſti, ac ideo placet. Iam verò in Paſcha, & Pente-

Pſal.19. *3.Reg.18.* *Geneſ.8.* *Pſal.62.*

Pentecoſte Iudęi iubebantur afferre primitias,& eas ſacerdotibus offerre:& in eo loco *Deut.16.* gaudere,epulari,&c. Id dicit Author quarto membro,cùm ait,bono animo, id eſt,læto & gaudente primitias integras Deo offer. Rurſum iubebat Dominus, vt in feſto Tabernaculorum Iudæi lætarentur: & vt credo eo die offerebant illi decimas ſuas.quod Author in quinto membro iubet. Eſt enim ſanctificare Domino, in eius cultũ offerre. Quia verò non ſolùm cogebantur Iudęi decimas dare de agris,vineis,& pecoribus:ſed etiam de omni officio,& lucro quod ſua induſtriâ comparabant: ideo in ſexto membro dicit, da Deo, vt ille dat tibi. ſ. multum da, ſi multum ille dat. & bona intentione, deuotáque voluntate facito, id eſt, offer ex omni adinuentione,ſeu induſtria manuum tuarum. vt inde ſ.poſſint proſelyti,& aduenę alimoniam habere.Solebant enim Iudęi *Tob.1.* rerum ſuarum tertio quoq; anno decimationem facere in alimoniam pauperum,maximè proſelytorum. vt eſt apud Tobiam. *Tob.4.* At Chriſtianis nulla cura eſt de proſelytorum ſuorum remedio: cùm multi tamen inter eos pauperes ſint.Arbitror ego,harum decimarum collectas ſolitas fieri in feſto tabernaculorum. ☞ In membro 1.nota,quædam eſſe mala, nõ ex ſe: ſed quia prohibita. vt apparere vacuum coram Domino,erat malum,non ex ſe: ſed quia mandatum erat, non apparere vacuum. Chriſtiani verò iubemur non apparere vacui, cùm Euchari-

ſtiam,

ſtiam,& alia Sacramenta ſuſcipimus. maximè tempore mortis. ¶ In 2. nota, munera
Gen. 4. Deo ex offerente placere: vt Abelis munera
Pſal. 49. placuere. Igitur immola Deo ſacrificium laudis, quod ſ. ex corde laudante procedat. ¶ In 3. nota, Licet iuſtus peccet, eius tamen ſacrificium Deum rogat pro eo, vt eius miſereatur. Hoc enim eſt, quòd Deus huiuſmodi ſacrificij non obliuiſcatur. Dictum
Eccli 17. & 29. eſt de hac re ſuprà c. 17. 29. ¶ In vltimo nota verbum, Dominus retribuens eſt, id eſt, retributor eſt. natura ſuâ, ingenioq́ſ ſuo pronus eſt ad retribuendum: vtpote qui diues eſt, cuiq́ſ quod retribuit non deeſt. Nec tamen vacat emphaſi, quòd non dixit Deum retributorem, ſed retribuentem. qui ſ. nunquam retribuere ceſſet, niſi nos retributionem impediamus. ¶ Vltimò nota illud, ſe-
Matth. 19. pties tantum. at in Euangelio centuplũ promittitur,& vita ęterna. Dat enim Dominus danti, gaudium & exultationẽ interiorem, quæ cẽties plus valet quàm donũ oblatum.

TERTIA PARS.

Quas oblationes abijciat, quas ſuſcipiat Deus.

3 *NOli offerre munera praua, non enim ſuſcipiet illa. 2. Et noli inſpicere ſacrificium iniuſtum, quoniam Deus iudex eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ. 3. Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, & deprecationem læſi exaudiet. 4. Non deſpiciet preces pupilli: nec viduam, ſi effundat loquelam*

querelam gemitus. Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas? A maxilla enim aſcendunt vſque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. Munera praua dicuntur, quæ ſunt lege prohibita. ſ. cæca, fracta, mutila, ſcabioſa : vt habetur in Leuit. & Deuter. & Malachia. Sacrificia iniuſta vocantur, quę ex rapina, vel ex alia cauſa iniqua fiebāt : vt ſuprà dictum eſt. Et eleganter dicit, noli inſpicere ſeu attendere ſacrificium, quod offerre cupis, ſi ex raptu ſit, Deus enim eſt Iudex. puniet ergo, non acceptabit iniquum. Porrò non eſſe apud Deum gloriam perſonæ, ſignificat, neminem apud Deum glorioſum eſſe & ſublimem, niſi eius id probitas mereatur. apud homines glorioſi ſunt ex genere, ex opibus, ex militia : ſed hæc ex ſe apud Deum glorioſum non faciunt. Tertium membrum id indicat, ſi quis, quanuis rex ſit, læſerit pauperem, nihil Deus regiæ coronæ deferet. caſtigabit enim eum: exaudiens interim orationem læſi. Iam quia Deo derelictus eſt pauper, & ipſe dicitur pater viduarum, & pupillorum : ideo Deus attentus eſt eorum clamori, ac ideo exclamatio eorum auditur contra deducentem, ſeu educentem lachrymas eorum. Porrò dicuntur hæ aſcendere in cælum, quia Deus earum rationem habet, vt vindicet.

Leuit. 22. Deut. 15. Malach. 1. Eccli 34. Pſal. 19. Pſal. 67.

Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur, & deprecatio illius vſque ad nubes propinquabit. 4

Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit: & donec propinquet, non conſolabitur: & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat. Et Dominus non elongabit, ſed iudicabit iuſtos, & faciet iudiciū. Dixit quid Deus non ſuſcipiat, nec audiat: nunc ſubdit quid ſuſcipiat, & exaudiat. Porrò ita loquitur ac ſi Deus haberet thronum gloriæ ſuæ ſuper nubes. ita, vt nubes ſint ſub pedibus eius, & eum à nobis abſcondant. Tum, quia ſtatus piorum eſt duplex, alter eorum qui ſunt in oblectatione & gaudio, alter eorum qui ſunt in miſeria & humilitate. de prioribus dicit, Iuſtus adorans Deum in gaudio, ſuſcipitur, & recipitur à Deo ille quidem, & eius oratio aſcendit, & accedit proximè ad nubes. Atqui adorans Deum, & orans in humilitate & tribulatione, illius oratio non ſolùm accedit propè nubes: ſed irrumpit per eas. & non conſolatur aut quieſcit, donec throno Dei ſe repręſentet: nec inde diſcedet, donec ab Altiſſimo audiatur. Et Altiſſimus eam orationem audiens non elongabit, aut differet, moráſve nectet: ſed iuſtè iudicabit iuſti petitioné, facietq; iudicium.
¶ Author hoc loco iuxta morem & Theologiam Hebręam locutus eſt. At Hebręis dicitur Deus eſſe in nubibus cæli. iuxta illud,
Pſal.96. Nubes & caligo in circuitu eius. & illud,
Pſal.103. Qui ponit nubes aſcenſum ſuum. & illud,
Pſal.17. Et poſuit tenebras latibulum ſuum: in circuitu eius tabernaculū eius, tenebroſa aqua in nubibus aeris. Et reuera cùm vbique ſit Dominus, eo tamen loco maximè dicitur

eſſe, vbi gloriam & potentiam ſuam maximè manifeſtat. Ergo licet ſuper cælis cælicolis oſtendat ſummè gloriam ſuam: in nubibus tamen eam etiã maximè nobis oſtendit, ideo ibi dicitur eſſe. Porrò oratio hominis læti, & abundantis, dicitur ad nubes accedere: non per eas ingredi, noſtro modo loquendi. velut expectans aliquẽ Angelum, qui eam Domino repręſentet: & velut, quæ moram pati poſſit, quamq; non admodum referat ſtatim expediri. Veritas tamen eſt, quòd ea oratio non dicitur ſtatim Deo offerri, quia non ſtatim audiatur: ſed quia non ſtatim ſuum ſortitur effectũ. Sed oratio eius qui ex tribulatione ſuam corã Deo Pſal. 61.
effundit animam, ea ſtatim pręteruolat nubes, ſtatim coram Deo admittitur: quia vt 1. Reg. 1.
Deus eſt illius amator afflicti, & vt multum refert ei ſtatim opem ferre, ita ſine mora eam exaudit. Deus verò non differet auxilium: ſed ſine mora, ſi ita afflicto conueniat, quod ei conuenit, largietur.

Et Fortiſſimus non habebit in illis patientiam, 5
quouſq; contribulet dorſum ipſorum: & gentibus reddet vindictam. 2. *Donec tollat plenitudinem ſuperborum, & ſceptra iniquorum contribulet.* 3. *Donec reddat hominibus ſecundùm actus ſuos: & ſecundùm opera Adæ, & ſecundùm præſumptionem illius.* 4. *Donec iudicet iudicium plebis ſuæ, & oblectabit iuſtos miſericordia ſua.* Dicitur Deus Fortiſſimus, qui vt fauere poteſt pijs: ita impios punire. Dicitur non habiturus pa-

tientiam, ſeu longanimitatem: quia non tardabit, quin faciat vindictam. Dicitur contribulare dorſum iniquorum, id eſt, tribulum afflictionum ſuper eos in terram pronos deducere. Porrò plenitudo ſuperborum, ſignificat eorum abundãtiam, qua erant pleniſſimi. Et quia tempore Authoris noſtri Iudæi patiebantur multas calamitates à Lago Rege AEgypti, ideo de hac Iudæorum ab AEgyptijs preſſura loquitur, velut de re, quæ præſentanea afflictione illos affligebat: ● prophetat futurum, vt Deus de impijs AEgyptijs citò vindictam accipiat, & eos ad terram deijciat, tribulumq́ eorum dorſis imponat: eorum multitudinem & opes imminuat, reddatq́ eis, vt ipſi Iudęis reddiderunt. Illud verò, ſecundùm opera Adę, intelligitur, ſecũdùm opera illius Ptolemęi. quaſi diceret, ſecundùm opera hominis illius, qui nos ita perſequitur: & ſecundùm pręſumptionem, & cogitationem, quâ ſubdolè Ieroſolymã peruaſit, & Iudæos in ſeruitutẽ adegit. Eodem tendit quod ſequitur, Donec iudicet iudiciũ plebis ſuæ, id eſt, donec iudicet cauſam plebis ſuæ, & in ea iudiciũ vindictę ferat, contra infideles: & oblectet ſuos, in miſericordia, quam eis largietur. ¶ Porrò non eſſe hoc loco ſermonem de vltimo Iudicio, id ſatis arguit, quòd vſq́ ad illud nimiam patientiam habet Deus, nimiſq́ longanimis eſt. At verò Deum non tuliſſe diu iniquitatem gentium contra Iudęos, ſatis oſtendit hiſtoria Machabęorum, qui

Ioſephus lib. 12. ant. c. 1.

qui ſuis armis, virtute deſuper accepta, finitimas gentes domuerunt. Ergo per Machabęos hæc Authoris prophetia adimpleta fuit.

Speciosa miſericordia Dei, in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ tempore ſiccitatis. Hæc 6
eſt humanitatis noſtrę conditio, vt cùm venit, quod ſummopere cupit, ſpecioſiſſimum eſſe dicat: quodq́ eſt maximè vtile, id dicatur maximè pulchrum. Ergo cùm venit nimis optata pluuia, ſpecioſa prædicatur: & ſimiliter, cùm tempore tribulationis affulget miſericordia Dei. Et reuera, nihil eſt ſpecioſius miſericordia Dei. Pulchra eſt iuſtitia, pulchra potentia, pulchra cuncta Diuina: ſed miſeris nobis nihil eſt Diuina miſericordia pulchrius. Pulcher in cruce Chriſtus: quia miſericors in cruce Chriſtus.

CAPVT XXXVI.

PRIMA PARS.

Authoris Oratio in Iudæorum calamitate.

MIſerere noſtri Deus omnium, 2. & reſpice nos, 3. & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum: 4. & immitte timorem tuum ſuper gentes, quæ non exquiſierunt te: 5. vt cognoſcãt quia non eſt Deus niſi tu, vt enarrent magnalia tua. 1
Cœperat in fine cap. præcedentis Author

noſter calamitatem quæ eo tempore Iudæos premebat recenſere: nunc ardenti oratione Deum deprecatur, vt eos ab ea tribulatione eripiat. Vocatur porrò Deus, Deus omnium. non vt Dagon Philiſtæorũ, ſicut Melchon Ammonitarum, Bel Babyloniorum, Diana Epheſiorum: ſed Deus cæli, terræq́; cuius imperium ſuper omnes eſt. ac ideo rogatur, vt qui ſuper omnes eſt, vt omnium Iudex, inimicos ſuos puniat atque caſtiget. Secundum membrum ita intellige: Deus à peccantibus auertit faciem. vt Moſe teſte ipſe dicit, Abſcõdam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum. Et Dauid; Auertiſti faciem tuam à me. Rogat igitur Author, vt ſicut à peccãtibus Deus auerterat faciem: ita reſipiſcentes reſpiciat. iuxta illud, Deus miſereatur noſtri. illuminet vultum ſuum &c. Tertium membrum notat, tribulationem eſſe noctem, tenebras, & obſcurum. iuxta illud, Obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo. & item, Ecce tribulatio & tenebrę, diſſolutio & anguſtia, & caligo. Contrà verò fauor, & auxilium Dei vocatur lux. Quartum alludit ad illud Moyſi, Irruat ſuper eos formido & pauor: in magnitudine brachij tui, fiant immobiles quaſi lapis. & illud, Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitãt &c. In quinto notabis Sanctorum deſideria. Cupiunt illi vindictam Dei, iram & furorem in infideles effundi: ſed eorum finis eſt, vt infideles Deum agnoſcant, vtq́;

Deut. 32. *Pſal. 29.* *Pſal. 66.* *Iſaiæ 13.* *Iſaiæ 8.* *Exod. 15.* *Deut. 2.*

Deus

Deus ab omnibus glorificetur, vt eſt ipſe Dominus omnium.

2 *Alleua manum tuam ſuper gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis. vt cognoſcant te, ſicut & nos cognouimus, quoniam non eſt Deus præter te.* Prima ſententia Hebræa theologia eſt. ſ. Cùm Deus nihil punit, cùm ſint multa punienda tamen, dicitur habere manum ſuam in ſinu ſuo, aut in medio ſinus ſui. Rogatur ergo, vt è ſinu leuet manum, quæ carnificinam in impijs faciat. Secundi membri ſenſus eſt: Sicut hactenus ſanctum te Domine demonſtraſti, puniendo ſcelera noſtra, id intelligentibus hoſtibus noſtris: ita nunc magnū te oſtende, caſtigando ſcelera gentium, id intelligentibus illis. Vbi nota, Deum ſe miſericordem demonſtrare, cùm patitur longanimiter ſcelera noſtra: tunc tamen ſe ſanctum oſtendere, cùm ea delet & caſtigat. Contrarium enim ſuum contrarium naturaliter expellit. Nota ſecundò, per flagella, & pœnas Deum à nobis agnoſci. Iuxta illud, Imple facies eorum ignominia: & quęrent nomen tuum Domine. At miſerum eſt puniri à Deo, & nec ita eum agnoſcere. Iuxta illud, Diſſipati ſunt nec compuncti. Id verò nec impijſſimus Antiochus fecit, qui licet inutiliter, Deum tamen flagellantem agnouit.

Pſal. 73. *Pſal. 82.* *Pſal. 35.* *2. Mach. 9.*

3 *Innoua ſigna, & immuta mirabilia. 2. Glorifica*

manum, & brachium dextrum. 3. Excita furorem, & effunde iram. 4. Extolle aduerſarium, & affige inimicum. 5. Feſtina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua. Id eſt, Vt olim in AEgypto feciſti ſigna, & mirabilia, quibus declaraſti te, deſtruens hoſtes tuos: ita & nunc fac, noua ſigna ede. Muta mirabilia illa in alia mirabiliora. 2. membrum alludit ad illud, Notam feciſti in populis virtutem tuam. Eſt enim virtus ac potentia Dei, eius manus & brachium. 3. membrum alludit ad illud, Excitatus eſt tãquam dormiens Dominus: tanquam potens crapulatus à vino. quãdo enim longo tempore diſſimulat miſerias ſuorum, dormire dicitur: at quando eas punire incipit, dicitur excitari. 4. membri ſenſus eſt: Tolle è medio Ptolemæum iſtum aduerſarium tuum, affige hũc inimicum noſtrum. 5. membrum ita intellige: Rumpe moras temporis: feſtina, ne tardes. Memento nos eſſe prope finem, parumq́ abeſſe quin abſumamur. vt alludat Author ad illud, Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis. ita nunc citò veni, quia aquæ tribulationum iamiam nos ſuffocant. Græci, pro fine, habent iuramenti. id eſt, memento iuramenti, quo iuraſti te fore nobis auxiliarem.

Exod. 3. 4. 5. & 6.

Pſal. 76.

Pſal. 77.

Pſal. 78.

4 *In ira flamma deuoretur qui ſaluatur: & qui peßimant plebem tuam, inueniant perditionem. 2. Contere caput principum inimicorum, dicentium,*

Non

Non eſt alius præter nos. 3. Congrega omnes tribus
Iacob: & cognoſcant quia non eſt Deus niſi tu, vt
enarrent magnalia tua: & hæreditabis eos, ſicut
ab initio. Membrum 1. alludit ad Iſaiam di-
centem, Qui fugerit à facie formidinis, ca- *Iſaiæ* 24.
det in foueam: & qui ſe explicarit de fouea,
tenebitur laqueo. quæ ſimiliter dicuntur à
Ieremia. ita nunc, qui ſaluatur ab alijs peri- *Ierem.* 48.
culis, deuoretur à furentiſſima flamma. Ac
ſi diceret: Qui euadendo gladium belli, ſe
in arcem receperit, ibi ab vltricibus flam-
mis deuoretur. In 2. membro peſſimare, eſt
peſſimè tractare, & vt plebs peſſum eat, con-
tendere. In 3. membro intellige, ſicut Iudæi
olim dicebant, & nunc nos dicimus Chri-
ſtiani, Non eſt alia natio tam grandis, vt *Deut.* 4.
nos, qui Deum verum colimus: ita olim in-
fideles, tam Principes, quàm inferiores di-
cebant, Non eſt natio, vt noſtra, quæ Deo-
rum noſtrorum præſidio fulcitur. Non eſt
alius præter nos. Hæc erat exiſtimatio illo-
rum. at rogat Author Deum, vt congreget
miſeros Iudæos eo tempore diſperſos, iun-
gatque eos in terra ſua: vt ita Deus tanti faci-
noris author cognoſcatur, & eius mirabi-
lia narrentur. Hæc Eccleſiaſtici deprecatio
impleta eſt ſub Machabæis: imò etiam ſub
Philadelpho AEgypti Rege, cuius permiſſu *Ioſeph.* 12. *an-*
centum viginti millia Iudæorum ad auitas *te c.* 2.
ſedes redierunt. Illud verò, hęreditabis eos,
ita intellige: erunt illi Iudęi ita collecti hæ-
reditas tua, vt fuit, quando eos ex AEgypto
in eam terram conduxiſti.

5 *Miſerere plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum: 2. & Iſrael, quem coæquaſti primogenito tuo. 3. Miſerere ciuitati ſanctificationis tuæ Ieruſalem, ciuitati requiei tuæ. 4. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloriâ tua populũ tuum.* Rogat pro plebe Iudæa, quæ Iſrael dicebatur: pro Ieroſolyma,& pro arce Sionis. Rogat pro plebe, quia ſuper ea inuocatum eſt nomen Dei. vel vt litera Græca dicit, vocata eſt in nomine Dei.vel vt veritas eſt,vocata eſt nomine Dei. non ſolùm quia vocabatur populus Dei: ſed quia vocabantur filij Dei, imò quia vocabantur nomine Dei. Ita

Iſaiæ 45. enim Deus inquit: Scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael. Hoc altiſſimum Incarnationis myſterium deſignat. ſimplicius eſt, nomen Dei veri inuocatum in auxilium Iudæorum. & fortaſſe

Exod.3. alludit ad illud, Hoc nomen mihi eſt in æternum.Nam nomen tetragrammatum ſoli genti Iudææ indicatum eſt, vt ipſe Dominus dixit. Secundò rogat pro Iſraele: quem, inquit, coæquaſti,& aſſimilaſti primogenito tuo. id eſt,habuiſti eum loco primogeniti.

Exod.6. Deo dicente, Primogenitus meus Iſrael. ſ.quia Iſrael primogenituram rapuit fratri Eſau, ac ideo coæquatus eſt Eſau. Porrò digniſſimus vocatur Iſrael, cùm primogenitus dicitur. ſiquidem primogenitus dicitur

Geneſ.49. prior in donis, maior in imperio. At verò ſicut iunior Iſrael præceſſit fratrem Eſau ſeniorem: ita & Chriſtianus populus iunior, Iudaici ſenioris benedictionem obti-

nuit. Tertiò rogat pro Ieroſolyma, quia erat ciuitas ſanctificationis, & requiei Domini. vocabatur ciuitas ſanctificationis, quia inter omnes mundi ciuitates ſola erat à Deo electa, vt ad Deum adorandũ omnes Iudæi in eam cõuenirent. Iuxta illud, Non poteris immolare phaſe in qualibet vrbium tuarum: ſed in loco quem elegerit Dominus, vt habitet nomen eius ibi. Vocabatur item ciuitas requiei. quaſi fugiens Deus ab alijs vrbibus, ibi haberet requiem. Iuxta illud, Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam. & dicebatur ibi habitare, quia in eius templo erat ſedes Dei, inter duo cherubim. Quartò rogat pro Sione, vt ibi Dominus ſua oracula det, vt olim ſolebat in tabernaculo ſuo. Quàm verò verba Diuina ſint inenarrabilia, quære à Zacharia, qui ea mutus loqui non potuit, non ſolùm quia erat ipſe mutus: ſed quia exultatio illa, & iubilus, qui Deo loquente cõcipitur, explicari non poteſt. Quære etiam à Paulo, qui audiuit arcana verba, &c. Vltimum verbum, reple populum tuum gloriâ, apertum eſt.

Deut. 16. Pſal. 131. Luc. 1. 2. Cor. 12.

9 *Da teſtimonium, quia ab initio creaturæ tuæ ſunt, 2. & ſuſcita precationes, quas locuti ſunt in nomine tuo prophetæ priores. 3. Da mercedem ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur: & exaudi orationes ſeruorum tuorum.* Delegit ſibi Deus genus Iudæorum, ex quo carnem acciperet; ac ideo in ea gente ſanctitatem &

cultum ſuum eſſe decreuit. Delegit verò eos ab initio: quia deduxit eorũ genus ab optimis viris qui in orbe fuerunt. ſ. Iacob, Iſaac, Abrahã, Heber, Sem, Noe, Enoch, Enos: qui primus religioſos ac religionem arctiorem inſtituit. Nam ideo dicitur, Enos cœpit inuocare nomen Domini. Habuit igitur Deus rationem ab initio gẽtis Iudææ, quam ſpecialiter ſibi in orbe delegerat. Rogat ergo nunc Author, vt Deus aliquo ſigno edito id omnibus teſtetur, atque demonſtret: vt demonſtrauit, cùm Iudæos abduxit ex AEgypto. In 2. membro rogatur Deus, vt ſuſcitet, id eſt, ad effectum perducat precationes quas Iſaias, Ieremias, & alij prophetæ fundebant pro gente Iudęa. Has precationes (ſiue, vt Græci habẽt, prædictiones & prophetias) facilè inuenies in ipſis Prophetis. lege Iſaiæ c. 25. 26. & Ieremiæ c. 14. in fine. & aliàs ſæpe. In 3. membro rogat Author Deum, vt pij eum ſuſtinentes, eius ſuſtinentiæ mercedem, ſ. liberationem à malis, percipiant: vt prophetæ, qui Iudæos liberandos prædixerunt, fideles inueniantur & veraces. ¶ Nota, viros pios Deum ſuſtinere. iuxta illud, Viriliter age, ſuſtine Dominũ. & illud, Portate Deum in corpore veſtro. quod ſuprà dixi c. 34. ¶ Nota ſecundò, liberationẽ à malis eſſe ſuſtinentiæ mercedem. non ex condigno; ſed ex congruo. quia merces condigna virtutibus piorum non eſt aliquod bonum temporale: ſed æternum. eſt tamen congruum, vt Deus liberet temporaliter pios,

Geneſ. 4. *Iſaiæ 25.* *Ierem. 14.* *Pſal. 26.* *1. Cor. 9.* *Eccli 34.*

os,qui eum ſuſtinent. ¶ Nota demũ,etiam
prophetiam oratione iuuari. Prophetaue-
rant prophetæ futuram liberationem Iu-
dæorum, non ſolùm per Chriſtum, ſed eti-
am per Machabæos: at rogat Author, ne
eorum peccata prophetias impedirent.

Secundùm benedictionem Aaron da populo tuo, 7
2.& dirige nos in viam iuſtitiæ. 3. vt ſciant omnes
qui habitant terram, quia tu es Deus conſpector
ſeculorum. Mandabat olim Deus,vt Sacerdo-
tes Aaronici ita populo benedicerent: Be- *Num.6.*
nedicat tibi Dominus,& cuſtodiat te. Oſtẽ-
dat Dominus faciem ſuam tibi, & miſerea-
tur tui.&c.Rogat nũc Author,vt Deus eam
populo impleat benedictionem. Secundò
rogat quod maximũ eſt, ſ. ne declinare eos
faciat ad dexteram,aut ſiniſtram: ſed rectà
per viam iuſtitiæ ad ſe perducat. Tertiò in-
quit: Foue pios,dele impios, vt omnes in-
telligant te eſſe Deum,qui omnia conſpici-
as, id eſt, quem non lateat piorum pietas,
iniquorum impietas. hoc enim deos genti-
um latebat: habent enim oculos, non vi- *Pſal.113.*
dent tamen.

SECVNDA PARS.
De Vxore deligenda.

OMnem eſcam manducabit venter, & eſt cibus 8
cibo melior. Fauces contingunt cibum feræ,&
cor inſenſatum verba mendacia. Cor prauum dabit
triſtitiã: & homo peritus reſiſtet illi. Omnem ma-
ſculum excipiet mulier: & eſt filia melior filia.

Dictu-

Dicturus quam mulierem vir ſibi vxorem deliget, inde orditur. Licet venter excipiat omne genus cibi: ſunt tamen alij cibi alijs meliores. Sunt cibi agreſtes, & ferini: at non deſunt fauces, quæ eos contingant, & venter qui excipiat. Sicut etiam, cùm veritas ſit cibus cordis, eſt tamen cor inſenſatũ quod mendacia vorat. Diſcrimine tamen magno. Nam cor prauum vorans mendacia, exhibebit homini triſtitiam: vt venter fartus cibo noxio, comedenti exhibet dolorem. At vir peritus qui in multis expertus, non mendacia recipit, ſed veritatẽ, dolori reſiſtit, & triſtitiæ: vt venter, cibo pretioſo excepto, omnem pellit triſtitiam. Dices, quorſum hæc? certè, quia ſimili modo, licet mulier omnem maſculum admittat, & maſculus omni fœminæ ſit idoneus: eſt tamẽ vna filia multò melior alia. vt ſi deligẽda ſit vxor, meliorẽ filiã deligas. vt ſi comeſturus ſit venter, meliorem ei cibum pares. Quæ enim inſania eſt, ventri cibos eligere meliores: tibi vxorem non deligere meliorem? ¶ Nota ſimilitudinem ventris ad cibos: & cordis ad ea quæ audit. Nam vt ventri non conuenit cibus ferarũ: ita nec cordi mendacia, quæ ſunt cibus dæmonum. Eſt

Iohan. 8. enim diabolus pater mendacij. ¶ Nota ſecundò, comparationem Authoris hoc modo futuram plenam: Vt venter excipit omnem cibum: ita maſculus omnem fœminam. & ideo vt ventri alius cibus eſt alio melior: ita & maſculo alia fœmina eſt alia me-

melior. Sed quia idem eſt, quòd maſculus excipiat omnem fœminã, & quòd maſculum omnem excipiat fœmina, ideo hoc ſecundum vt apertius Author ſibi delegit.

Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium. Dixerat eſſe vnam fœminam meliorem alia: nunc tradit quæ fœmina melior eſt. ea ſ. quæ eſt ſpecioſa. nam ſpecies pulchra virum exhilarat, & inducit eum, vt eam deſideret ſuper omnem alium affectum. ¶ Notabis primò, Authorem eſſe Iudæum, & Iudæis licebat his vehementiſſimis affici deſiderijs in temporalia bona. ¶ Nota ſecundò, Dauid dixiſſe, Ionatham ſuum, amabilem ſuper amorẽ mulierum. ſed Author loquitur de ordine naturæ, quæ voluit amorem fœminarum omnem terrenum amorem excedere. videlicet, quia ſic volebat conſeruationi ſpeciei humanæ fore conſultum. 9 2. Reg. 1

Si eſt lingua curationis, eſt & mitigationis & miſericordiæ: non eſt vir illius ſecundum filios hominum. Secundò proſequitur, quæ fœmina ſit melior. ſ. illa cui eſt lingua ad curãdum, mitigandum, & miſerendum. cui talis vxor contingit, felicior eſt, quàm ſit reliquũ vulgus hominũ. Porrò illa fœmina habet linguam curationis, quæ nouit mederi defectibus viri, & familiæ ſuæ: vt ſi vir eſt auarus, ſi libidinoſus, ſi ſuperbus, nouit illa per linguam ſuam eum ad virtutẽ aduocare. Habet 10

bet verò linguã mitigationis, ſi nouit iram viri & familię mitigare. Demum habet linguam miſericordiæ, ſi miſericordis animi inſtrumentum eſt, ſ. erga proximos. ¶ Nota illud, eſt & mitigationis. valet ac ſi diceret, & eſt mitig. ¶ Nota ſecundò, virum fortitum talem fœminam eſſe feliciorem alijs: vt qui in pace ſine peccato vitam tranſigat.

11 *Qui poßidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem: adiutorium ſecundùm illum eſt: columna, vt requies.* Id eſt, Qui incipit poſſidere mulierem bonam, idoneam ſ. matrimonio, is incipit eſſe diues. quod textu ſequenti planius fiet: ſed & experientia textum aperit. Secunda pars apertè alludit ad verbum Domini, Faciamus, inquit, ei adiutorium ſimile ſibi. Hebræis eſt, adiutorium quaſi coram ipſo. vt mulier ſit adiutorium viro, non à longè petendum: ſed quod ad manum ſit, coramq́; obuerſetur. Textus autem Latinus intimiorem ſenſum innuit. ſ. mulier eſt adiutorium viri, quaſi eſſet alter vir. Si enim amicus, eſt alter ego: multò fortiùs vxor, quæ de viri latere ſumpta eſt, erit alter vir: vt ita res viri curet, vt ipſe vir. & planè ita eſt. nam quæ foris vir comparat, intus fœmina, vt vir, conſeruat. Tertia pars id indicat: Vxor non eſt ſolùm columna cui vir nititur: ſed eſt, vt domus in qua quieſcit. eſt ergo vxor viro in firmitate columna: at in capacitate, domus, ac requies. eſt igitur, vt domus intra columnam ædificata. Hoc verò innuit, amicos alios columnas eſſe aliquan-

Geneſ. 2.

Geneſ. 2.

quando: at non ita, vt vxor: quæ perpetua viro requies eſt. ſ. dum viuit.

12 *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeßio: & vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens.* Eſt igitur vxor ſepes & vallum facultatum viri. eſt clauis, qua viri theſaurus occluditur. Vxore enim abſente, nullæ viro ſat ſunt opes, adeò diripiuntur à ſeruis. quæ nos, qui vxore caremus, quotidie experimur, & ingemiſcimus. Ergo qui vult eſſe diues, vxorem ſibi paret.

13 *Cui credit, qui non habet nidum? Et deflectens vbicunque obſcurauerit, quaſi ſuccinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem.* Id eſt, Vxor eſt nidus, vbi vir quieſcit. qua qui caret, cui ſe credet? cui fidet? Si enim ſeruis ſe committat, latronibus ſe committet. Iam vir carens vxore, qui in ea dormit domo, in qua nox eum occupat, velut latro eſt. vt enim hic exilit de ciuitate in ciuitatem: ita ille de fœmina in fœminam, quas adulterio polluit, aut fornicatione. ¶ Iterum memento, Authorem fuiſſe ex gente Iudæa, cui cælibatus non erat in vſu. Nobis tamen qui amorem diuitiarum reſecauimus, & amori fœminarum reſiſtimus, vxore non egemus.

C A-

CAPVT XXXVII.

PRIMA PARS.

De Amicis fictis.

§ OMNIS *amicus dicet, Et ego amicitiam copulaui: ſed eſt amicus ſolo nomine amicus.* Id eſt, Cuiuis amico facile eſt dicere, Ego tibi amicus ſum. cùm tamen multi ſint ſolo nomine, non re ipſa amici. Chriſto gratia, qui non ſolo nomine: ſed re ipſa amicus eſt, & amicum ſe profitetur. *Nónne triſtitia ineſt vſque ad mortem? Sodalis autem & amicus ad inimicitiam conuertuntur.* Græcis ſenſus eſt: Triſtitia durat vſque ad mortem, quando amicus ad inimicitiam conuertitur. lethalis triſtitia eſt, amicus ſi inimicus fiat. At textus noſter vt difficilis, ita expoſitus pulcher eſt. Ita eũ accipe: Triſtitia eſt nobis inimica: ſumusq́; nos ei aduerſi. Si ergo res tam nobis aduerſa, nobiſcum permanet vſque ad mortem, cur amicitia res nobis adeò chara, non ita perdurabit? cur ad inimicitiam conuertetur? Iacob, filio Ioſepho amiſſo, triſtitiam vſque ad mortem vult retinere: rem adeò noxiam, adeóque contra naturam. Cur igitur Saul amicitiam Dauidis non retinebit? rem ſibi adeò vtilem? Quia verò videbat Author terram plenam eſſe inimicis ex amicis, ideò clamat:

Matth. 11. Iohan. 15. Geneſ. 37. 1. Reg. 19.

O pra-

O præſumptio nequiſſima, vnde creata es coope- 2
rire terram malitia & doloſitate illius? Quaſi di-
ceret, ô mortalium nequiſſima cogitatio,
vnde tandem prodijſti? quomodo valuiſti
operire terram malitia, & dolo inimicitiæ
ex amicitia? Expertus Author hæc gemens
dicebat. Nam Ptolemęus Lagus, priùs ami-
cus, truculentiſſimũ ſe Iudæis inimicũ ex-
hibuit. Expertus idẽ dicebat Dauid, Tu ve- *Pſal.54.*
rò homo vnanimis, dux meus, & notus me-
us. Expertus idẽ Chriſtus, dixit, Iuda oſcu- *Matth.26.*
lo filium hominis tradis? ¶ Miratur Author
vnde creata ſit inimicitia: cùm Deus adeò
amicus noſter ſit: & cùm natura noſtra ad-
eò ſocialis ſit & amica. at ortum habuit ini-
micitia ex Lucifero, qui gratis, ex Dei ami- *Geneſ.3.*
co, inimicus factus eſt. Subdit Author ad-
mirabundus: *Sodalis amico coniucundabitur in
oblectationibus, & in tempore tribulationis aduer-
ſarius erit.* O præſumptio nequiſſima, cur ſi
frueris amico in ſua proſperitate, eum læ-
dis in aduerſitate? Cùm tribulor, non ſum
dignus noua tribulatione. Cur ergo eris mi-
hi inimicus? & ſuper dolorem vulnerum
meorum addes? intolerabile eſt, quòd cùm
tuo fauore egeo, fauorem tuum non inue-
niam: odium inueniam. *Sodalis amico condo-
let cauſa ventris. & contra hoſtem accipiet ſcutum.*
Videtur reprehenſio amicorum. Si ſodalis
conductus cauſâ ventris, id eſt, propter ci-
bum, condolet ſuo conductori, & contra
eius hoſtem accipit ſcutum: cur non ami-

cus cauſa amicitiæ idem etiam deſignabit?
Et manifeſtum eſt, quòd contra hoſtes noſtros, ſolemus conducere auxiliares, qui propter cibum quem illis damus, fauorem ſuum nobis præbent.

3 *Non obliuiſcaris amici tui in animo tuo, & non immemor ſis illius in operibus tuis.* Id eſt, & animo & opere nunquam obliuiſcaris amici: imò & animo dilige, & ei opere faue. nunquam ergo aut te inimicum amico exhibeas, aut obliuioſum. Planè Pontifex in rationali ſcripta habebat nomina filiorum Iſrael, ſignificans Chriſtū in ſuo nos pectore ſculptos habere. & ipſe ait: Non obliuiſcar tui, ecce in manibus meis ſcripſi te. ¶Lector nota: Si hæc præcepta ſunt in lege timoris, quantò vehementiùs in lege amoris, quam noſtram eſſe profitemur.

Exod. 28. *Iſaiæ 40.*

TERTIA PARS.
De conſilio ſumendo.

4 *Noli conſiliari cum ſocero tuo, & à zelantibus te abſconde conſilium. 3. Omnis conſiliarius prodit conſilium, ſed eſt conſiliarius in ſemetipſo. 4. A conſiliario ſerua animam tuam, priùs ſcito quæ ſit illius neceſſitas: & ipſe enim in animo ſuo cogitabit. Ne fortè mittat ſudem in terram, & dicat tibi, Bona eſt via tua, & ſtet è contrario videre quid tibi eueniat.* Videtur Author, cùm primā partem & ſecundam ſcriberet, præ oculis habuiſſe Iacob, qui in negotio profectionis ſuæ, & vxorum, conſilium cum Laban ſocero

Geneſ. 31.

cero ſuo non accepit. imò ab eo, & à filijs eius, qui Iacob zelabant, & inuidebant, ſuum conſilium abſcondit. vnde ſenſus huius loci ſumendus eſt. vt ſit hic: Si ſocerum habes tibi ſuſpectum, & inuidum, tum ſi habes cognatos tibi inuidentes, & quoſuis alios tibi ſuſpectos, ab his ne conſilium ceperis. 3. nam cuiuſuis eſt ſuum dare conſiliũ: eſt tamen conſiliarius, qui propter ſemetipſum dat conſilium. in ſuam ſ. vtilitatem. 4. quâ cauſa ſerua te, ſerua vitam tuam, cauens à cõſiliario. Si quæras, qua ratione ſeruabis te à cõſiliario, hãc accipe: Antè, quàm eum conſulas, perſpice, quæ ſit eius neceſſitas, cuiuſq; rei habeat indigentiam. Hanc enim ille quem conſulis habebit præ oculis, vt tibi conſilium dans, ſibi conſulat. Caue ergo tibi ab eo, ne fortè conſiliũ tibi dando, ſudem, cui impingas, figat in terra: dicens, Bona via hæc eſt, (cùm tamen ſudes in ea ſit in quam offendas) & interim reſiſtat, videns, an cadas in ſude quam fixit. ¶ Pro, ne fortè ſudem mittat, Græcis eſt, ne fortè mittat ſuper te ſortem. id eſt, ne committat te ſorti cadendi, & impingendi. ¶ Illud verò, Omnis conſiliarius prodit conſilium, admiratione dignũ eſt, quàm proni ſumus ad danda conſilia, etiam non conſulti. Cùm valemus, bona conſilia ęgris damus. ¶ Porrò graue conſilium eſt, quod nobis Author dat, ſ. vt amicum cõſulturi ſuper re noſtra, priùs expẽdamus, an ex eo negotio aliquid vtilitatis poſſit ad eum reſilire. Credẽdum

Ierem. 17. enim eſt fore, vt conſilium inclinet in eam. ô hominum cor prauum!

5 *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate: 2. cũ iniuſto de iuſtitia: 3. cum muliere, de his quæ æmulatur: 4. cum timido de bello: 5. cum negotiatore de traiectione, 6. cum emptore de venditione: 7. cum viro liuido, de gratijs agendis: 8. cum impio de pietate: 9. cum inhoneſto de honeſtate: 10. cum operario agrario de omni opere: 11. cum operario annuali de conſummatione anni: 12. cum ſeruo pigro de multa operatione.* Vt ſit ſenſus integer totius clauſulæ, ſupple hoc verbum, & nocebit tibi: vel, malum habebis conſilium, aut ſimile. Nam propterea Author ſtatim ſubdit: *Non attendas his in omni conſilio.* 1. Irreligioſus dicitur, qui nihil Deũ timet, quiq; dicit in corde ſuo, Non eſt Deus. 2. Iniuſtus eſt erga proximos. 3. In hac parte admonemur, ne conſilium ſumamus à muliere, ſuper his fœminis, quas ipſa æmulatur, & zelat. 4. In 5. parte admonemur, ne conſulamus negotiatorem, an merces noſtras traijciamus vltra mare? Ille enim in rem ſuam, non in noſtram, conſulet. In 6. admonemur, ne pretiũ rei quam vendimus, emptoris (quanuis boni) arbitrio relinquamus. minoris enim ille emere vult. In 7. docemur, ne inuidum conſulamus, quomodo gratias agemus benefactori. nam ſuadebit præ inuidia, ne gratias illi agamus. 8. Impius vocatur in Deum, patriam, & ſuperiores. 9. Inhoneſtus, eſt turpis, infamis, inciuilis, pro-

Marginalia: *Irreligioſus.* (beside "ſubdit: Non attendas…"); *Pſal. 13.* (beside "dicit in corde ſuo"); *Impius.* (beside "præ inuidia"); *Inhoneſtus.* (beside "9. Inhoneſtus")

probroſus. 10. Operarius agrarius eſt, qui tuum agrum colit. à quo non requires, an agrum fodere debeat: ſed vt fodiat iubebis. 11. Operarius annualis eſt, quem in operas tuas ad annum conduxiſti. hunc non rogabis, iam ne conſummauerit annum? nam dicet eſſe conſummatum. tu hoc in libro rationum ſcriptum habere debes. 12. ita nec à pigro ſeruo requires, an velit in opere ſudare: tu ad ſudandum eum coges. *Agrarius.* *Operarius annuus.*

6 *Sed cum viro ſancto aſsiduus eſto, quemcunque cognoueris obſeruantem timorem Dei, cuius anima eſt ſecundùm animam tuam: qui cùm titubaueris in tenebris condolebit tibi. 2. Et cor boni conſilij ſtatue tecum: non eſt enim tibi aliud pluris illo. Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quàm ſeptem circunſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandũ. 3. Et in his omnibus deprecare Altiſsimum, vt dirigat in veritate viam tuam. 4. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Dixerat à quibus non eſſet capiendum conſiliũ: nunc dicit, quomodo & à quibus ſit capiendum. Et primò quidem capies à viro ſancto, Deum timente, & amico tuo, id eſt, qui ſi te in tenebris tribulationum viderit, condolebit tibi. Secundò tu ipſe cura, vt cor boni conſilij habeas. nec enim ſi ipſum habueris, maius aliud inuenies. Dices, quomodo cor bene conſulens habeam? Certè, ſi animam ſanctam habueris. Hæc enim ſolet annuntiare vera, plusquam ſeptem circunſpectores, qui ex

alto ſolent oculis terram luſtrare. Tertiò, ſiue à viro ſancto, ſiue à te conſilium requiras, ante omnia deprecare Altiſſimum, vt dirigat, non iuxta voluntatem tuã, ſed iuxta veritatem ſuam, negotium tuum. Quartò omnino cura, antequã negotio manum adhibeas, vt aliquod prouerbiũ verax, aliquam ſententiam probatam, aliquod conſilium experimento comprobatũ præ oculis habeas, quod in eo negotio ſequare. En tibi ratio capiendi conſilium. ſ. ab amico, à te, à Deo, à verbo aliquo veraci. ¶ In prima parte nota verbum, aſſiduus eſto. nec enim in re graui ſemel conſultandum eſt: ſed aſſiduè cum viro probo de ea re eſt differendum. ¶ In ſecunda parte nota: Animã ſanctam Deus illuſtrat, ne, vt plurimum erret. Si enim (quod à Philoſophis dicitur) animalia bruta diriguntur ab intelligẽtia non errante, vt araneæ, hirundines, &c. quantò potiùs animæ ſanctæ ab ea dirigentur? At ſi dirigatur à Deo, num non magis verum videbit, quàm ſeptem ſpeculatores? Iam ſolet dici, cor eſſe fidele, quòd videlicet homini ſoleat quod expediat conſulere. ¶ Tu interim nota: Licet anima ſancta ſoleat vera dicere, & cor ſoleat fideliter conſilium præbere: at nihilominus vult Deus vltra ſanctitatem, adhiberi lectionem, experiẽtiam, & obſeruationem, vt bene conſulas. nam ideo iuuenes, quamuis boni, minùs idonei ſunt dandis conſilijs. ¶ In tertia parte nimis notato, quàm Deus orandus ſit, vt dirigat in veri-

veritate viam noſtram. Videaris igitur tibi audire Chriſtum: Si fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: ſed non quod ego volo. Ergo velut obſtringitur Deus ad prꝗſtandũ quod petimus, ſi non voluntatem, ſed veritatem petamus. ¶ Quartam partem Chriſtus ſuo exemplo illuſtrat. Siquidem à dæmone tentatus, nihil omnino aggreditur, niſi præmiſſo verbo veraci, & conſilio firmo. dicebat enim, Non in ſolo pane viuit homo. & item, Non tentabis Dominũ Deum tuum. & demum, Dominum Deum tuum adorabis. Ita & tu nihil aggredere, niſi ex ſimilium ſententiarum præcepto. In quam rem nimis conducunt hi libri Sapientiales: prouerbia item Philoſophorum, & maiorum.

Matth.26. Matth.4. Deut.8. Deut.6. Deut.10.

Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes 7
quatuor oriuntur: Bonum, Malum: Vita, & Mors: & dominatrix illorum eſt aſſidua lingua. Vir peritus multos erudit, & anima ſua ſuauis eſt. Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt: in omni re defraudabitur. non enim data eſt illi à Domino gratia: omni enim Sapientia defraudatus eſt. Id eſt, Sicut verbum verax, & conſilium ſtabile, animam felicem reddit: ita verbum nequam ab anima admiſſum, eam immutat: & ex bona malam, ex viua mortuam reddit. Quatuor ſunt cordis ſeu voluntatis effectus: ſ. actio bona, actio mala, vita animæ, mors animæ. Sed hæc quatuor ex verbo dependent. lingua enim eſt horum quatuor dominatrix aſſidua. ſiquidem, ſi bonum verbũ ſequare,

actio erit bona,& erit animæ vita : ſi contrà malum, actio erit mala, & mors animæ ſequetur. Hinc fit, vt vir peritus bene conſulens, & multis, & ſibi ſit vtilis. multis, dum eos erudit : ſibi, dum ſuâ ſapientia ſibi conſulit, ac ſuo cõſilio vitâ ſuaui fruitur. Contrà verò ſophiſta, qui nihil ſciens, vana oſtentatione, ſe vt ſapientem vendit, dum malè conſulit, odibilis fit ijs quibus conſilium malum dedit : tum in negotio, ſuper quo conſilium dat, defraudabitur bono ſucceſſu. vtpote qui gratiâ Dei careat, quæ eſt origo boni conſilij ; careat etiam Sapientiâ, quę eſt altera boni cõſilij radix. ¶ Nota 1. verbum nequam immutat cor. nam ipſum mutat auertendo à Deo, & conuertendo in creaturas, velut gyrando. nam in
Pſal. 11. circuitu impij ambulant. ¶ Nota 2. ex corde oriri bonam malamq; actionẽ, tanquam effectus ex cauſa. quod Philoſophi dicunt oriri effectiuè. efficiuntur enim ex corde
Matth. 15. bonæ & malæ cogitationes (vt Chriſtus dixit) & operationes, vt nos videmus. At vita & mors animæ procedunt ex corde meritoriè. vt enim qui bene agit meretur vitã,
Prouer. 4. ita mortẽ qui malè. Nam rectè illud, Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum : quia ex ipſo vita procedit. ¶ Nota 3. ex lingua, ſeu ex verbo hæc quatuor dependere. Ideo enim ſpi-
Iſaiæ 61. ritus Domini ſuper Chriſtum, vt orbi prædicaret, videlicet, quia ex verbo prædicationis bonum pendebat, & vita. Ideo Paulus
1. Cor. 1. mittitur ad Euangelizandum. Inde enim

omnia

omnia bona ortum habebant. adeò oratio-
ni ratio, ori cor eſt coniunctum. ¶ Nota 4.
virum peritum, qui ſ. in multis probatus
eſt, nõ debere ſibi ſoli ſeruare peritiam: ſed
alios erudire. & nota, ex peritia ſuauem vi-
tam pendere. Pax enim multa diligentibus *Pſal.118.*
nomen tuum, & non eſt illis ſcandalum.
¶ Nota 5. eum ſophiſticè loqui, qui cùm ca-
reat gratia Dei, & Sapientia, conſulit alijs
tamen. videlicet oſtentans ſe ſcire quod ne-
ſcit. Vnde meritò infertur, quòd is in omni
re defraudabitur. id eſt, in omni negotio
bono ſucceſſu carebit. Cæcus enim cæcum *Luc.6.*
ducens cum eo in foueam decidet. ¶ Nota
6. radices bene conſulendi eſſe gratiam Dei,
& ſapiẽtiam multo labore quæſitam. quod
vehementer annotent prædicatores.

TERTIA PARS.
De Sapiente.

EST ſapiens, animæ ſuæ ſapiens: & fructus ſenſus 8
*illius laudabilis. 2. Vir ſapiens plebem ſuam eru-
dit, & fructus ſenſus illius fideles ſunt. 3. Vir ſapi-
ens implebitur benedictionibus, & videntes illum
laudabunt. 4. Vita viri in numero dierum: dies
autem Iſrael innumerabiles ſunt. Sapiens in populo
hæreditabit honorem, & nomen illius erit viuens in
æternum.* Bona occaſione ex dictis accepta,
tradit quatuor conditiones viri ſapientis.
Prima: Sapiens ante omnia ſibi ſapit, ſibi
cõſulit; tam in ſpiritualibus, quàm in tem-
poralibus. ac proinde eius opera ſunt lau-

dabilia. Secunda conditio: Poſtquam ſapiens animam ſuam ornauit virtutibus & ſapiētia, tum procedit, vt plebem verbo erudiat, & exemplo: & fructus qui in plebe ita erudita naſcuntur, fideles ſunt, nullo errore, aut malitia maculati. Tertia: Plebs ita erudita benedictionibus ſuum eruditorem implet, & laudibus. Quarta: Licet vita viri ſapientis taxata ſit à Deo, & natura: at Iſraelitica plebs durabit in æternum, ac ideo ſapiens in ea plebe hæreditarium & æternum honorem habebit, quia eius fama in plebe durabit ęternùm. ¶ Nota, Iſraeliticam plebem duraturam in æternum. tum ſecūdùm carnem, tum maximè ſecundùm ſpiritum. Secundùm carnem, quia durabit vſque ad

Rom. 11. tempora Iudicij, quādo gentibus ingreſſis, Iſrael conuertetur. durabit etiam in inferno. At maximè durat in nobis, qui ſumus Iſrael in ſpiritu: qui durabimus vſque ad Iudicium in terra, & poſt Iudicium in cęlo. ¶ Nota ſecundò, famam ſapiētis ſancti duraturam in æternum. videlicet, quia in cęlo illa ſuæ ſapientiæ gloria durabit. Nam doctores qui plebem in iuſtitia erudiūt, ſuam in cælo habebūt laureā, vt nos ipſi docuere.

QVARTA PARS.

Redit ad præcedentia.

9 *Fili, in vita tua tenta animam tuam: & ſi fuerit nequā, non des illi poteſtatem: non enim omnia omnibus expediunt, & non omni anima omne genus placet.* Id eſt, Habeto exploratos omnes ſi-

nus

nus animę tuæ: vt ſcias in quam rem ſit illa
propenſa. Si in aliquod malum eam pro-
penſam inueneris, ne eius mali, animæ tuæ
facias poteſtatem: Si in aliquod bonum, ne
auoces eam ab eo bono in aliud: non enim
omnia bona nobis expediunt, neque pla-
cent: & cogere animum, vt bonum contra
eius inclinationẽ ſequatur inuitus, eſt nul-
lum ſucceſſum in rebus habere. ¶ Habes le-
ctor pulcherrimam regulam in omni con-
ſilio ſequendam. Si propendet animus in
errores, ne eos illi demus: ſi in matrimoni-
um, ne illi des cælibatum. ¶ Nota, illud
enim non referri ad membrum ſecundum:
ſed ad primum. ſ. tenta animã tuam. ¶ Con-
ſentit Authori Paulus. imò & Chriſtus, no- 1.Cor.7.
lens, vt omnes ſint cęlibes: ſed ij quibus da-
tum eſt. Non omnes, inquit, capiunt ver- Matth.19.
bum iſtud.

Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te ef- 10
fundas in omnem eſcam. In multis enim eſcis erit
infirmitas, & auiditas appropinquabit vſq; ad cho-
leram. Propter crapulam multi obierunt: qui au-
tem abſtinens eſt, adijciet vitam. Cohibet pro-
penſionem animi in eſcas. de qua re tractat,
quia caput ſequens inſtituitur de medicina
languorum, qui maximè ob gulam deſæui-
unt. Ergo noli eſſe auidus erga omnes epu-
las, &c. de quibus piget dicere, quia abundè
dicta ſunt ſuprà c.31. ¶ Illud nota: Etiamſi Eccli 31.
natura taxarit homini vitã, poteſt ille eam
prorogare tamen, ſi abſtineat à copia cibi,

CAPVT XXXVIII.

PRIMA PARS.

De honorandis Medicis.

1 HONORA *Medicum propter neceſſitatem: etenim illum creauit Altiſſimus. 2. A Deo eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. 3. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur.* Quia non pauci abominãtur Medicos, eum errorem contendit Author relegare, docẽs Medicum eſſe honore afficiendum, primâ cauſa, propter neceſſitatem. quia ſ. neceſſarius eſt languoribus noſtris curandis. Vbi rectè admonemur, ne Medicum in quouis leui morbo aduocemus: ſed cùm languor Medicum facit eſſe neceſſarium. vt quando acuti ſunt morbi. in alijs enim morbis frequenter vulgares hi medici curare vix ſciunt. Altera cauſa honoris medicorum eſt, quia eos creauit, & inſtituit Altiſſimus. Eius enim prouidentia diſpoſuit, vt quidam naſcerentur habiles gubernandæ Reip. alij habiles bello: alij ſimiliter Medicinæ, vt alij etiam mechanicis artibus. videlicet, vt corpus Reipub. eſſet ſimile corpori noſtro, in quo alia membra creata ſunt ad vidẽdum, alia ad audiendum &c. Tertia cauſa, quia à Deo eſt omnis medela: ac ideo, vt à Dei miſericordia hominibus indulta, ab hominibus eſt honoranda. Eſt porrò à Deo omnis mede-

medela, tum quia ab ea ſunt vires herbarum, & aliorum medicaminum: tum quia à Deo eſt habilitas, ingenium, & inſtinctus Medici ad curandum: tum demum, quia ab ipſo etiam eſt omnis medicatio, & ſanatio. ¶ Dices, num non & dęmones aliqui ſanāt? Ita planè: ſed eam ſalutem Dominus dat, licet per iniqua inſtrumenta. Sicut excitauit 1. Reg. 28.
Samuelem, Phytoniſſæ incantatione. Ex cauſis dictis infert Author, Medicum debere à Regibus accipere donationem. id eſt, Eccli 46.
debent Reges, vbi neceſſe eſt, ſtipendia publica & honores medicis deſignare. ſ. vt ſalutis noſtrę miniſtris. Infert ſecūdò, digniſſimum eſſe, vt profeſsio ſua Medicum attollat, magnumq́ & honoratum in populo reddat. hoc enim eſt exaltare caput. ſicut de Chriſto dicitur, Quia de torrente in via Pſal. 109.
bibit, ideo exaltauit caput. Infert tertiò, non ſolùm in populo honorandum Medicum, ſed etiam inter magnates debere laudari.

2 *Altiſſimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Nónne à ligno indulcata eſt aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis. In his curans mitigabit dolorem: & vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis: & vnctiones conficiet ſanitatis: & non conſummabūtur opera eius. Pax enim Dei ſuper faciem terræ.* Locutus eſt Author de Medico: nunc de medicamentis, dicens: Altiſſimus crea-

creauit & produxit è terra lapides, herbas, plantas, animantia, quæ eſſent hominum medicamenta. Si igitur Deus in hunc finem hæc creauit, vir prudens non abhorrebit ab eis. Cur enim prudens credat, ſe à ſolo Deo ſanandum: cùm Deus non ſe ſolo, ſed
Exod.15. ligno adhibito, aquas Mara amaras, verterit in dulces? Ergo virtus medicamentorum creata eſt, vt homines eam agnôſcerēt. & hanc agnitionem, ſeu ſcientiam medicamentorum dedit Deus homini, vt homines vires medicaminum agnoſcentes Deum honorarent, tot mirabilium authorem. Igitur per hæc medicamenta Medicus curans mitigat dolores. hæc pharmacopola, ſeu vnguentarius commiſcens, facit pigmēta ſuauiſſimè olentia: & facit vnctiones ſalutares. & ſunt tot eius miſtiones & operationes, vt vix numerari poſſint. Pax enim Dei, quâ vult hominibus mederi, eſt ſuper terram., id eſt, in lapidibus, & herbis terræ. ¶ Nota primò, medicamina creata de terra: quia licet ex volatilibus aeris, & piſcibus aquæ ſint medicamina quædam: potiſſimè tamen medicamēta ſunt creata de terra. vt lapides, metalla, herbæ, plantæ, animalia. ¶ Nota ſecundò rationem non leuem, vt infirmi medicamenta non abhorreant, eſſe, quia Deus ea creauit ad remedia languorum. ¶ Nota tertiò, ad hunc textum non referre, lignum ne quod Moſes
Exod.15. adhibuit aquis Mara, vim habuerit naturalem, an ſupernaturalem ad eas condulcandas.

candas. Sat eſt, quòd vt Deus per lignum ſanauit aquas illas: ita & prudẽs ſperet, quòd Deus per medicamenta, eius languorem ſanabit. Me quidem multæ rationes cogunt, vt credam ligno datam vim ſupernaturalem (id eſt, motum Dei, quomodo Thomiſtæ loquuntur) quâ, ſolo iniectu, aquæ ſunt redditæ dulces. ¶ Nota quartò, Deum dediſſe vires medicamentis, vt ad agnitionem hominum venirent. Nam & Adam, & Salomon eas agnouerunt. Sed partim hominum deſidiâ, partim Principum culpâ, (qui non iubent has vires, quas diſperſim multi cognoſcunt, in vnum cogi volumen, vt ab hominibus ſimul agnoſcerentur) partim peccatis noſtris eam ignorationem promerentibus, multorum medicaminum virtutes ignorantur. ¶ Nota quintò, quorſum Deus dedit medicamentorum notitiam. ſ. vt homines videntes mirabiles herbarum & lapidum effectus, Deum mirabilium Authorem amarent, & laudarent. Ergo herbarum vires enarrãt, quemadmodum & cæli, gloriam Dei. ¶ Nota ſextò, verbum curans referri debere ad Medicum curantem: quia ſtatim ſequitur pharmacopola miſcẽs. Vnde inferas, non ſolùm medicamẽta ſimplicia eſſe proficua ſaluti: ſed etiam & compoſitiones atq; miſtiones pharmacopolarum laudari. Laude enim digna ſunt Theriaca, Mythridatum, & ſimilia. ¶ Nota ſeptimò: Licet ſanis odoramẽta non adeò laudẽtur: infirmis tamen ſunt ferè neceſſaria, ideo inquit,

Thomiſtæ. *Geneſ.3.* *3. Reg.4.* *Pſal.18.*

quit, vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis. ¶ Nota octauò, artem Medicinæ minimè contineri antiquis doſibus & compoſitionibus. infinita eſt, & infinitas compoſitiones facere poteſt. non enim conſummabuntur (ait) opera eius. nam vt & innumeri ſunt languores ſingulares: ita innumeras ſingulares requirit medelas. ¶ Nota nonò, Pace Dei plenam eſſe terram. Sciens enim Dominus tot hominum futuros lãguores, non vt inimicus eos exaſperauit: ſed vt pacem cum homine volens, terram remedijs ſeminauit. Igitur ô homo, quælibet herba, quælibet medicina ad pacem te cum Deo vocat.

SECVNDA PARS.
Infirmum inſtituit.

3 *Fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum: 2. ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. 3. Auerte à delicto, 4. dirige manus. 5. & ab omni delicto munda cor tuum. 6. Da ſuauitatem & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem. 7. & da locum medico, etenim illum Dominus creauit: & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria. Eſt enim tempus cùm in manus illorum incurras: ipſi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & ſanitatem, propter conuerſationem illorum. Qui delinquit in conſpectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Primum infirmi præceptũ eſt, ne deſpiciat ſe: ne ſe languori relinquat: ſed curam ſui habeat. Eſt enim

enim peccatũ mortale, ſi eſt ſpes ſalutis per medicinam, eam nõ curare. Secundum pręceptum eſt, vt infirmus primùm omnium in Deum conijciat oculos: ipſe enim eſt à quo ſalus & curatio ſperanda eſt. licet enim per Medicũ ſalus veniat, à Deo tamen præcipuè venit. Tertium præceptum eſt: Infirmus ſeipſum ſcrutetur: & ſi in aliquo delicto iacet, ſtatim ſe auertat ab eo. Certum enim eſt, frequẽter morbos, propter crimina mitti. Ideo enim, ait Paulus, inter vos multi *1. Cor. 11.* infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. & Dominus, Iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quartum pręceptum eſt, vt infirmus dirigat manus. id eſt, vt proximis tribuat. Cùm enim homo ſibi ſoli dat, manus curuat in ſe: at quando proximis dat, dirigit in eos. Audi Iſaiam huius lòci interpretem: Frange eſuriẽti pa- *Iſaia 58.* nem tuum, & egenos vagoſq; induc in domum tuã: cùm videris nudum, operi eum. Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur. Hoc ergo modo dirige manus, ſi tibi vis citò ſanitatẽ oriri. Quintum præceptum eſt, vt infirmus mundet cor ſuum ab omni delicto. id eſt, vt confeſſione, ac pœnitẽtia cordis purget ſordes. Vnde contra Lutheranos habes, non ſat eſſe ad ſalutem ceſſaſſe à delicto, quod tertio loco præcipiebatur: ſed requiri munditiam cordis, quod quinto loco præcipitur. Non vero munditia cordis eſt ſola reſipiſcentia: ſed eſt vltra eam dolor ac triſtitia admiſſi

delicti. Sextum eſt, vt infirmus det ſuauitatem,& memoriam ſimilaginis. Declaratur
Leuit.2. locus hic ex Leuitico,vbi Dominus iubebat ſimilam ſibi offerri, oleo conſperſam, ac thus. tunc ſacerdos ex ſimila pugillum capiebat,ac totum thus, adolebatq; Domino. idq; vocabatur memoriale Domini, ſuauiſſimè olens. Hoc dicit Author, infirmus offerat ſimilam, quæ memoria Domini eſt, olens cum ſuauitate. Addit Author,Impingua oblationē. Explicatur locus ex Prouer.
Prouer.7. vbi meretrix dicit, Victimas pro ſalute voui. Igitur ſolebant infirmi pro ſalute victimas vouere. Iubet porrò Author, vt victi-
Malach.1. ma hæc pinguis ſit. Dictum enim eſt, Maledictus doloſus,qui votum faciens immolat debile Domino. Septimum præceptum eſt, vt adhibeatur Medicus,qui non diſcedat ab ægro.Tu ne intelligas,Medicum ſemper incubiturum lectulo infirmi: ſed quòd non ſit ſatis ſemel inuiſiſſe languentem. neceſſe enim eſt pluries eum videre, quando ſ. eius opera ſunt languenti neceſſaria. Quod &
Cornelius. Cornelius Celſus admonuit. Eſt enim tempus languoris cùm in manus Medicorum incurrendum eſt. Quia verò Medicus potiſſimùm debet fidere Deo: non ita arti ſuæ, ideo ſubdit. Ipſi Medici Deum precabuntur, vt dirigat requiem à dolore, quam ipſi ſua arte procurant, dirigátque ſanitatem, quam cupit ægrotus. vt videlicet liceat Medico conuerſationem habere cum ægroto, quem ad ſalutem reuocauit. Poteſt etiam intel-

intelligi propter conuerſationem, hoc modo: Rogabunt Medici pro ſalute infirmi. nam ſi Medicus infelix ſit, ac neminem ſanet, quomodo poterit cum hominibus conuerſari? ergo vt conuerſationem cum eis habeat, roget pro eorum ſalute. Vltimum verbum docet, peccata eſſe cauſas morborum, ac ideo eſſe cauſas, vt Medicorum ope egeamus. Nota hæc omnia præcepta obligare ad mortale, ſi infirmitas periculũ mortis habet. Si in quarto pręcepto dubites, memento, infirmum obligari quæ habet ſucceſſoribus iuſtè relinquere. hoc verò vt minimum eſt dirigere manus. Si etiam in ſexto dubites, fatendum eſt, quòd ceſſarit iam oblatio ſimilæ & victimarum: ſed eius loco ſucceſſit oblatio corporis Chriſti, quam infirmus ſumere tenetur in periculo mortis, ſi non paulò antè ſuſcepit.

TERTIA PARS.

Inſtituit nos erga mortuos.

Filli, in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare. 2. & ſecundùm iudicium contege corpus illius, 3. & non deſpicias ſepulturam illius. 4. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vno die. & conſolare propter triſtitiam. Et fac luctum ſecundùm meritum eius vno die, vel duobus, propter detractionem Morem fuiſſe Iudæis nimis plangere mortuos ſuos, indicat planctus Abrahæ ſuper Sara. Iacuit enim diu dolens funus ſuum. Indicat & 4

Geneſ. 23.

Geneſ.35. nomen ſepulturæ Deboræ. vocata enim eſt, Quercus fletus. Maximè indicat fletus Ioſeph, fratrum eius, & ſeniorum AEgypti Geneſ.50. mortuo Iacob. impleuerunt enim ſeptem dies celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi. Ergo quia hic erat Iudęis vſus, præcipit Author primò, vt ſuper mortuo, amico ſ. familiari, aut Principe, producantur lachrymæ, & planctus fiat, ac ſi calamitatem grandem paſſi eſſemus. Secundò pręcipit, vt contegatur mortuus ſudario Iohan.11. ſuo, ſyndone, faſcijsq́; ſepulchralibus, cum Iohan.19. aromatibus, vt mos erat Iudæis ſepelire. Tertiò præcipit, ne deſpiciatur ſepultura: ſed ſi conuenit, monumentum extruatur, & panis ac vinum ſuper ſepulchro ponatur, Tob.4. vt Tobias ſuo filio iuſſit. Quartò præcipit, vt tranſacto officio ſepeliendi, ploremus vnico die. idq́; propter delaturam, id eſt, detractionem. Id eſt, ploremus, ne quis nobis detrahat, vt inhumanis, ſi non ploremus. die peracto, iubet vt conſolemur. Addit tamen, Si defunctus meretur, vt duobus diebus plangamus, duret planctus diebus duobus: nè quis ſ. detrahat nobis, ſi non plangamus. Meretur porrò defunctus planctum maiorem, ſi Princeps eſt, ſi pater, aut auus: ſi officijs & meritis maximè nos deuinxit. Hactenus planctus Hebręus: qui cum ſynagoga defuncta defunctus eſt. Nobis Chriſti-1. Theſſ.4. anis Paulus præcipit, vt non contriſtemur, ſicut gentes quæ ſpem non habent. Dolea-Iohan.11. mus quidem, & ploremus: nam ſuper Lazaro

zaro fleuit Chriſtus: at ploremus nō inconſolabiliter, vt dolebat Iacob: ſed conſolationem accipiamus, vt qui credimus mortuum cælo fruiturū. ¶ Dices, num non ſuprà Author dixit, Luctus mortui ſeptem dies. quomodo nunc duos dies planctui tribuit? Certè planctus magnus & amarus duret duos vel vnicum diem: ſed moderatior duret dies ſeptem. *Geneſ. 37.* *Suprà 22.*

5 *A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit ceruicē.* Id eſt, Non eſt indulgendum triſtitiæ: quia triſtitia accelerat mortem: attenuat vires: & inducit ſenium, quo ceruix curuatur, & homo. accelerat mortem, quia vita eſt in calido & humido: at triſtitia frigida eſt & ſicca, terrena ſ. & melancholica: lędit ergo triſtitia vitam: ac proinde neruos in quibus ſunt vires hominis, terrenos facit, & hebetes, ac ferè melancholia tectos, & ideo debiles. nerui debiliores curuantur, ac ideo fit ſenex incuruus. *In abductione permanet triſtitia: & ſubſtantia inopis ſecūdùm cor eius.* Id eſt, Si te abducas ab hominū familiaritate, permanebit in te triſtitia: quę ſi permanſerit, actū eſt de ſubſtātia & facultatibus tuis. ſubſtātia enim hominis eſt ſecundùm cor eius. Si enim homo attentione, & diligentia ſuam ſubſtantiam tractet, eam conſeruabit: at ſi triſtitia preſſus eam negligat, planè ei peribit. *Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te: & memento nouiſſimorum, & noli obliuiſci. neq; enim*

eſt conuerſio, & huic nihil proderis, & te ipſum peſſimabis Id eſt, Ne te triſtitiæ tradas. Memento, & noli obliuiſci mortem, & ſepulturam (quæ vocantur nouiſſima) breui affutura. & poſt ea, non eſt conuerſio ſeu reuerſio ad fruendum hac vita: fruere ergo eâ dum licet. nam per triſtitiam tuam, & mortuo nihil affers commodi: tibi verò multum affers incõmodi. *Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum.* Id eſt, Tu, qui nimiùm te triſtitiæ dedis, fac te audire mortuum quem defles, dicentem, Heus tu memor eſto, me iudicio Dei mortuum. quid ſcis an idem iudicium te vocet è vita? *Mihi heri, & tibi hodie.* Id eſt, vt cõtigit mihi mors heri, ita contingat tibi hodie. hodie inquã, quia nulli mors certas dedit inducias vſque manè. Quibus verbis duo inſinuat defunctus. Alterum, vt ſuperſtes auertat oculos è morte mortui, & conuertat in mortem ſuam, tam citò fortè futurã. Alterum, vt ſi adeò impatienter fert mortem defuncti, conſoletur: nam fiet, vt breui moriatur, ac ita mortuus mortuũ inuiſat. Concludit Author hanc partẽ, dicens: *In requie mortui requieſcere fac memoriã eius, & conſolare illum in exitu ſpiritus ſui.* Id eſt, Ne nimiùm duret in te ob defunctũ triſtitia: imò ſicut ceſſauit ille viuere, ceſſet eius etiã in te memoria. requieuit ille in pace: requieſcat etiam apud te eius in pace memoria. Conſolare, inquit, illum. id eſt, ſi ille viueret, & te adeò triſtem videret, doleret planè: nec conſolationẽ acciperet, niſi conſolationem

acci-

acciperes. Crede igitur defunctũ ob triſtitiã tuam triſtari. cõſolare ergo illum, cõſolationem ipſe recipiẽs, ſiquidẽ eius exiuit è corpore ſpiritus. Græcis eſt alius ſenſus. ſ. Iam quòd defũcti ſpiritus exiuit, tu ipſe te cõſolare. ¶ Nota, conſolationẽ & lætitiã recipere mortuos de lętitia, & cõſolatione viuorũ.

QVARTA PARS.
De Sapientia.

Sapientiam ſcribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet: quia ſapientia replebitur. Ab hoc loco ad calcem huius cap. & cap. ſequẽti tradit Author de Sapientia Theologię: tradens priùs, quàm differat hæc Sapientia à Sapientia agriculturę, & artium mechanicarũ. Dicit igitur, Sapientiã ſcribæ, ſeu doctoris Theologi (qui illo tempore vocabatur ſcriba) diſcere debemus in tempore otij. Ita vt qui minuit negotia, & occupationes temporales, is percipiet Sapientiam. nec percipiet ſolùm, ſed etiã replebitur eâ. ¶ Nota primò, verbum ſcribæ, nõ eſſe Imperatiui modi, vt ex Gręcis patet: ſed eſt genitiuus à nomine Scriba. Scriba verò erat doctor Theologus, iuxta illud, Super cathedrã Moyſi ſederunt ſcribæ. ¶ Nota ſecundò, Græcis eſſe, Sapiẽtia ſcribæ in tẽpore vacuitatis. vt ſit ita ſupplendum, Sapientia ſcribæ diſcitur, ſeu cõparatur, tempore vacuitatis. Ita igitur in noſtro textu, cùm dicit, Sapiẽtiam ſcribę, ſupple, diſce, vel cõpara, tẽpore vacuitatis. ¶ Tertiò nota, Illud, quia

6

Matth. 23.

Matth. 2?.
1. Eſd. 7.
3. Eſd. 8.

quia Sapientiâ replebitur, Grȩcis legi interroganter, & adiungi ſequentibus, in hunc modum: Quid, aut, quomodo Sapientia replebitur, qui tenet aratrum? cùm ſ. occupatione tam terrena ſit occupatus. Sed ad ſenſum parum refert, ſiue ad ſupera iungatur, vt Latini codices habent: ſiue ad inferiora, vt Græci. Veritas enim quam Author intendit eſt, Sapientiam Theologicā haberi in otio literario: non verò in mechanico opificio, licet hi in artibus ſuis ſapientes ſint.

7 *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, ſtimulo boues agitat, & conuerſatur in operibus eorum, & enarratio eius in filijs taurorum. cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos, & vigilia eius in ſagina vaccarum.* Id eſt, Agricola duplici occupatione diſtinetur, ſ. aratri, quo terram vertit: & iaculi, quo regit boues. Eſt enim hoc loco iaculum, haſta illa prælonga, habens in extremitate ferrum aculeatum, quo punguntur boues. hoc, inquit, ſtimulo boues agitat: aratro verò conuerſatur arando, vertendo, & comminuendo terram. Cùm igitur agricola cor ſuum det ad verſandos ſulcos, & noctu ſurgat, ad ſaginādum pecus, quomodo is Sapiētiam Theologicam comparabit?

8 *Sic omnis faber, & architectus, qui noctem tanquam diem tranſigit: qui ſculpit ſignaculo ſculptilia, & aßiduitas eius variat picturam. Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, & vigilia ſua perficit opus.* Faber vocatur, qui vtitur malleo in opere ſuo. Architectus, licet ſit, qui ædificat, eſt is

Faber.
Architectus.

eſt is maximè tamen, qui magiſter eſt operis: quiq; monogrammata, ſeu quas vocant plantas excogitat, ad quarum normã opus poſtea fiat. Ergo iſti non occupantur ſolùm interdiu, ſed etiam noctes in ſuo opere vigiles ducunt. maximè ferrarij, & argentarij, qui ferreo ſtilo in ferro, argento, aut ligno figuras ſculpunt, alias atque alias variando figuras. Hi omnes dant cor ſuum, vt ſimilitudines in materia dura faciãt: quod pictores faciunt in tabula. atque vigilantes opus ſuum abſoluunt, quomodo igitur tam occupati Sapientiã Theologicam adipiſcentur?

*Sic faber ferrarius ſedens iuxta incudem, & 9
conſiderans opus ferri: Vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur: Vox mallei innouat aurem eius, & contra ſimilitudinem vaſis oculus eius: Cor ſuum dabit in conſummatione operum, & vigilia ſua ornabit in perfectionem.* Dixerat de fabro ſculpente: nunc de fabro ferrario, qui non ſculpit figuras in ferro: ſed qui vaſa facit aut ferrea, aut ænea, aut cuprea. Is ſi magiſter eſt operis, ſedet iuxta incudem, forcipibus tenẽs vas faciendum, ſuis miniſtris interim malleo vas ferientibus. Is ſecundò conſiderat opus ferri: ſuum enim eſt conſiderare, vt vas bene percutiatur. Is tertiò vritur igne fornacis, quo tamen vſtus concertat contra duritiem ferri, ipſum emolliendo, & inde vas efformando. Quartò vox mallei innouat aurem eius:

quia non ipſe, vt plurimum, malleo percutit: ſed nouas ſubinde miniſtrorum mallei voces audit. Et planè mirum eſt, quàm ſuo ordine illi mallei percutiãt, & voces edant. Quintò habet ille oculos ſuos in exemplar vaſis, ad cuius normam vas ferri efficere curat. Cùm igitur cor iſte ſuũ det in hanc occupationem, & vigiliæ ſuæ intendant in operis abſolutionem, quomodo Sapientiam, quæ in otio acquiritur, obtinebit?

10 *Sic figulus ſedens ad opus ſuum, conuertens pedibus ſuis rotam: qui in ſolicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum: & innumera eſt omnis operatio eius: In brachio ſuo formabit lutum, & ante pedes ſuos curuabit virtutem ſuam: Cor ſuum dabit vt conſummet linitionẽ, & vigilia ſua mundabit fornacem.* Illud, in ſolicitudine eſt ſemper, credo ſignificare, quàm figulus ſit ſolicitus noua vaſa cudere: nouas formas excogitare: nouis picturis inſignire. qua cauſa innumera eſt eius operatio. Ergo is cùm iam ad opus ſedet, brachio format vaſa luti: & ante pedes ſuos ſe curuat, vt vaſa illa fingat. Cùm igitur totus ſit, vt conſummet linitionem ex plumbo, aut vitro, (quo intus & extra ſolent vaſa liniri) & tota eius vigilia intendat fornaci mundando, in quo vaſa excoquat, quomodo Theologiæ ſapientiam diſcet? Dans enim curam ſuam vaſis, non dat Sapientiæ. Dans negotio luteo, non dat otio literario.

11 *Omnes hi in manibus ſuis ſperauerunt, & vnuſquiſ-*

quiſque in arte ſua ſapiens eſt. ſine his omnibus non ædificabitur ciuitas. Et non habitabunt, 2. nec inambulabunt,& in eccleſiam non tranſilient: 4. ſuper ſellam Iudicis non ſedebunt, 5.& teſtamentum Iudicij non intelligent, 6. neque palàm facient diſciplinam,& Iudicium, 7.& in parabolis non inuenientur. Id eſt, Horum omnium vita & fiducia, poſt Deum, pendet ex manibus ſuis. ſ. ex labore manuum ſuarum: & quiſque eorum eſt in ſua arte ſapiens: (ſi ſ. in ea excellat, vt ſuprà c 1. diximus.) & ſunt iſti ciuitati neceſſarij. ſ. ſine quibus ciuitas non conſtat. At licet ſint in ſua arte periti, licet fiduciam ipſi in ſuo opere habeant: non tamen hi habitabunt, id eſt, non cenſentur ciuium nomine. & equidem agricolę non habitant in ciuitate. & figuli ſolent in ſuburbanis, non in ciuitate habitare. vtcunque tamen mechanici non ſunt ciues. 2. *Nec inambulabunt.* vbi nota, de Deo Paulum dicere, eum olim in caſtris Hebræorum habitaſſe,& inambulaſſe, & nunc in eccleſia noſtra. Habitabat ſ. velut ciuis: Inambulàbat velut Cēſor & Magiſtratus: conſiderans, ne quid in ciuitate peccaretur. Inquit nunc Author, agricolas & mechanicos non inambulare, id eſt, non eſſe Cenſores, qui vrbem inambulent, & conſiderent, ne quid in ea mali contingat. Et reuera mechanici ſuo opere preſſi minimè in vrbe deambulant. id enim otioſorum eſt. 3. nec hi agricolæ, aut mechanici in eccleſiam trāſilient. Id eſt, iuxta Græ-

Eccli 1.
2. Cor. 6.
Leuit. 26.

Græcam literam, non habebunt in eccleſia dignitatem. Sed nota, cùm Chriſto Domino
Luc.4. noſtro datus eſt liber Iſaiæ, ſurrexit legere, ac ideo tranſilijt eccleſiam oculis, ac eam luſtrauit, vt ipſam doceret. Similiter cùm
Actor.13. Paulus in Antiochia iubetur loqui, & manu ſilentium indicens, cœpit docere, etiam tranſilijt eccleſiam. videlicet ſurgens è loco vbi ſedebat, & veniens in locum vbi doceret. At mechanici illi, non tranſiliēt, quia non docebunt. 4. nec ſuper ſellam Iudicis ſedebunt. Cùm enim careant notitia legis, iudices eſſe non poſſunt. 5. nec teſtamētum Iudicij intelligent. id eſt, legem Moyſi, quæ erat teſtamentum vetus plenum iudicijs, & legibus Dei. Eam illi non intelligent, occupati ſ. in ſuarum artium opere. 6. neque palàm facient diſciplinam, id eſt, non habebunt diſcipulos quos Theologiam doceāt. 7. demum in parabolis non inuenientur. Vbi ſcito, Hebræis fuiſſe vſum multū, quærendi parabolas, & ænigmata verborum.
3.Reg.10. Nam venit Regina Saba tentatura Salomonem in his parabolis: in quibus ille vehementer excellebat. Imò ad tempora Chriſti durauit hic parabolarum vſus: in quibus ſe docti exercebāt. vt infrà docebimus cap.
Eccli 39. ſequēti. at mechanici in hoc parabolarum, aut conſtruendarum, aut extricandarū vſu non inuenientur.

12 *Sed creaturam æui confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis: accommodantes animas ſuas, & conquirentes in lege Altiſſimi.* Liceat mihi

mihi per te, Lector, per creaturam æui, ſeu ſeculi, hominem intelligere. ſicut & D. Gregorius locum illum intellexit, Prædicate Euangelium omni creaturæ. ſ. homini. Eſt igitur homo creatura ſeculi, propter quem ſeculum inſtitutum eſt, & cui ferè omnia ſeruiunt. Mechanicorum ergo & agricolarum eſt, hominem confirmare, id eſt, homini ſeruire. totum enim eorũ opus in commodum hominis cedit. & deprecatio, vota, ac deſideria eorum eò tendunt, vt opera ſua feliciter ſuccedant. licet ex alia parte accommodent animas ſuas ad obediẽdum legi Diuinæ, & conquirant eam, vt ſciant quomodo cæli æternitatem aſſequantur. Licet enim legem non requirant, vt penetrent: exquirunt tamen, vt quod ex ea neceſſarium eſt exequantur. Scio Græcam literã alium ſenſum innuere: ſed hic accommodus eſſe videtur. D. Gregorius. Mar. vlt.

CAPVT XXXIX.

PRIMA PARS.

Quomodo Sapientia acquiratur.

1 *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, 2. & in prophetis vacabit. 3. Narrationem virorum nominatorum conſeruabit, 4. & in verſutias parabolarum ſimul introibit. 5. Occulta prouerbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum conuerſabitur. 6. In medio ma-*

magnatorum miniſtrabit, 7.& in conſpectu præſi-dis apparebit. 8.In terram alienigenarum gentium pertranſiet: bona enim & mala in omnibus tentabit. 9.Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum,& in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione,& pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit,ſpiritu intelligentiæ replebit illum Id eſt, Is qui volet Sapiens eſſe,hæc 9.præcepta ſeruabit. Primùm enim exquiret ac ſcrutabitur ſapientiam omniū antiquorum.vt non ſolùm literas ſacras euoluat: ſed & prophana ſcrinia ſcrutetur. nec contentus Peripatetica philoſohia, etiam Platonicam videat,& Stoicam. Cùm enim humana ratio lumen quoddam ſit, ex Diuinitatis luce procedens, non ſolùm hæc quærenda, & veneranda eſt in ſchola Peripatetica: ſed vbilibet eā reperiamus,veneremur. Quod Paulus docuit, ſententias ex Poetis adducens.
Actor.17.
Secundò, vacabit Prophetis,id eſt,aliorum ſapientiam quæret,at Prophetis omnino ſe dabit,his penitus vacabit.Hi enim non humana voluntate, ſed Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt. Ergo in his non eſt quod
2.Pet.1.
falſitatem timeas: ſed eſt quod veritatem pronus adores. Tertiò, conſeruabit commentarios, ſeu enarrationes,quas viri illuſtres (quos nobis fama ſacrauit) ſuper literis ſacris maximè reliquerunt. Teſtis enim fama eſt,dignos eſſe illos,quos audias,& venereris. Quartò,quoddam tempus dicabit

ad

ad ſimul penetrandas verſutias parabolarum. Erat (vt cap. præcedenti diximus) vſus Hebræorum tempore, multas parabolas & ænigmata confingere, quorum nodos qui acutiùs explicabat, ſapiens habebatur. Id manifeſtat Regina Saba, quæ adductis ænigmatibus tentauit Salomonem, vt in 3. lib. Regum dicitur. 3.Reg.10.
& item dicitur eodē libro, Salomon locutus eſt tria millia parabolarum. 3.Reg.4.
Vocantur porrò verſutiæ, acumina, & ſubtilitates parabolarum. Quintò, occulta prouerbiorum exquiret. Sūnt autem prouerbia, dicta acuta, & grauia, quę adagia nominantur, à grauibus & ſapientibus (etiam à ſenibus) prolata, quibus mores hominū inſtituantur. Addit etiam, abſcondita parabolarum rimabitur: nec id ſolùm, ſed iuxta illa conuerſabitur, viuet, ac vitam inſtituet. iuxta mores ſiquidem, paratur intelligentia: & vt viuis, ita intelligis. Sextò, miniſtrabit Principibus, in medio magnatorum. videntibus ſ. magnatis. vt miniſterium tale ſit, & tantopere dignum, quòd non Principi modò, ſed ipſis probetur magnatis, qui non probare, ſed inuidere ſolent. & ſine dubio Principibus miniſtrando inter magnates, magnum paratur iudiciū. Septimò, in conſpectu Præſidis apparebit, vt ſ. agat alicuius cauſam, aut ſuam. Nam agere cauſam, etiam hebetis acuit ingeniū. Octauò, peregrinetur, etiam inter exteras nationes. Hanc rem copioſè explicatam inuenies apud D. Hieronymū in prologo Biblio- Hieronymus
rum

rum, vbi docet, Pythagoram, Platonem, Apollonium, cauſa Sapientię incognitas gentes adiſſe: quarum bona videntes & mala, his repudiatis, ex illis meliora deligerent. vix enim fieri poteſt, quin aliquod bonum, quod eligas, quæuis natio habeat. Nònò, & maximè, qui verè Sapiens eſſe cupit, cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum. id eſt, ea cura è lecto eum excitabit, & primo diluculo, ante vniuerſa alia opera, ad Dominum mẽtem attollet, & in conſpectu Altiſſimi effundet animá ſuam. Nec cõtentus mente Dominũ deprecatum eſſe, aperiet os ſuum in oratione, prim ùm pro venia delictorũ orans. Hæc enim impedimento Sapientię ſunt. Siquidem in maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Igitur orabit, qui vult Sapiẽs eſſe, Dominum: qui ſi voluerit, ſpiritu intelligentiæ ſuum oratorem implebit. ¶ Notandum primò, non eſſe hoc loco mentionem de Sapientia, vt eſt vnum ex ſeptem donis ab Iſaia enumeratis. hoc enim donum (vt Scholaſtici doctores tradunt) Deus cuiuis iuſto, ſine tot hîc traditis pręceptis, largitur. Eſt igitur ſermo de Sapientia, quæ conſummatum Theologum, Philoſophumq; moralem, ac gubernandæ Reipublicę idoneũ reddit. ¶ Nota ſecundò contra Lutheranos, non ſolam Diuinã Scripturam ſuſcipiendã: ſed etiam illuſtrium Commentatorum commẽtaria conſeruanda. Senſus enim ſcripturę ex Sancto-

Sap. 1.

Iſaia 11.

Scholaſtici.

ctorũ intelligentia eſt accipiendus. ¶ Nota tertiò, exolcuiſſe iam ænigmatum vſum illum antiquum. licet diebus meis quidam eum excitare cõtenderint.Qua ratione non erit neceſſarium iam quartum præceptum. licet profuiſſet Philiſtæis, vt Samſonis ænigma ſoluere potuiſſent. *Iudic.14.* ¶ Nota quartò: Licet non omnino ſit neceſſe Sapienti noſſe prouerbia, at ſine dubio vehementiſſimè ea noſſe profuerit. Per ea enim non ineptè vita noſtra humanitus gubernatur. ¶ Nota quintò:Cauſas 6.7.8.præcepti habes ſuprà c.34.Et ſine dubio,vt Chriſtus omnia ſciens ſpeculando, didicit obedientiam experiendo : ita licet viri docti multa in ſchola comparauerint, audiendo, & docendo : multa eis tamen deſunt, quæ experiendo cognoſcãt. *Eccli 34.* *Heb.4.* ¶ Nota ſextò,cur multi exScholaſticis Theologis ad Sapientiam non perueniunt. videlicet, quia potiùs legendo, quàm orando diſcunt. Ergo ſi vis intelligere,ora. ¶Nota ſeptimò illud verbum,ſi Dominus magnus voluerit. Vbi ſcito, omne donum ad ſalutem neceſſarium,per orationem à Deo certò impetrari : quod verò ipſi oranti neceſſarium non eſt,neque etiam neceſſariò oratione impetrari.Impetratur verò,ſi Dominus magnus voluerit.Qui volet, ſi ita commodum oranti, aut certè Reipublicæ,fuerit. ¶Nota octauò,Spiritum intelligentiæ facere hominem ſapientem : quales fecit piſcatores, quibus aperuit Dominus ſenſum, vt intelligerent Scripturas. *Luc.vlt.*

¶ Nota nonò: Licet Deus multis det ſpiritum intelligentiæ: non multos tamen eo ſpiritu replet, ſed ad menſuram. Chriſto datus eſt Spiritus non ad menſurã: eo enim plenus fuit. alijs datur, prout ſpiritus, qui dat, vult.

Iohan.3. 1.Cor.12.

2 *Et ipſe tanquam imbres mittet eloquia Sapientiæ ſuæ, 2. & in oratione confitebitur Domino. 3. Et ipſe diriget conſilium eius, & diſciplinam, 4. & in abſconditis ſuis conſiliabitur. 5. Ipſe palàm faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, 6. & in lege teſtamenti Domini gloriabitur.* Explicat effectus, quos vir ſpiritu intelligentiæ plenus, ex eo ſpiritu producit. Primus: Emittet eloquia ſua, vt imbres. ita Moſes, Cõcreſcat, vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquiũ meum, quaſi imber ſuper herbã, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. Et forſan ratione eloquiorum Chriſti, dictum eſt, Deſcẽdet ſicut pluuia in vellus. Porrò eloquia Sapientis dicuntur imber, & quia à nube Sapiẽtiæ proferuntur, nõ à re terrena, ſed cæleſti: & quia eum fructum refert ex audientibus, quem refert pluuia è terra. Et notatur, Sapiẽtiam non eſſe rem mutam, aut quæ parcè & malignè loquatur: ſed eſſe velut nimboſam nubem, quæ ex ſe imbres largè producit. Cùm enim omne donum gratis datum, detur in vtilitatem, hoc donum Sapientiæ datur in vtilitatem Reipub. ac ideo ſuper eam eloquia ſua pluet. Secundus fructus eſt: In oratione confitebitur Domino. Is enim ſpiritus

Deut.32.

Pſal.71.

ritus intelligentiæ facit, vt animus ipſo plenus, & oret, & in oratione Deum amet, laudet, & ſummis encomijs euehat. Eſt ille ſpiritus ignis: facit ergo, vt mens in quo eſt, ardeat. eſt charitas, facit ergo, vt amet. eſt ſpiritus intelligentiæ, ergo facit vt mens, quis ſit Deus, intelligat, ac ideo veneretur, & laudet. Tertius effectus eſt: Vir afflatus hoc ſpiritu diriget cōſilium & diſciplinam Dei. Dictum eſt de Chriſto, Voluntas Dei in manu eius dirigetur. tum quia volūtas Dei per Chriſtum proſpera facta eſt, fidelibus ei obedientibus: tum quia Chriſtus, & verbis, & opere viam Dei rectam eſſe monſtrauit. Iuxta quod iubemur & nos vias Dei dirigere. Ita ergo vir pius dirigit conſilium & diſciplinam Dei, recta eſſe oſtendens. eſt autem religio noſtra conſilium & diſciplina, quâ aſſequamur felicitatem. Quartus eſt, In abſconditis Dei conſiliabitur. Iuxta illud, Incerta & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Et illud, Scio huiuſmodi hominem in Chriſto raptum vſque in tertiū cælum, & audiſſe arcana verba. In his ergo occultis & abſconditis Dei cogitat, & meditatur vir ſanctus. Imò ego noui virū, de quo fama dixit, omne conſilium quod alijs dabat, à Deo per reuelationem accepiſſe. Nónne hic conſiliabatur, in rebus abſconditis Dei? Quintus effectus, palàm facere diſciplinam doctrinę ſuæ. id eſt, vt arbitror, ipſe oſtendet ſe facere ea quæ docet. Palàm faciet doctrinam, quâ iubet facere: & diſcipli-

Deut.4. *1. Iohan.4.* *Iſaia 52.* *Matth.3.* *Pſal.50.* *2.Cor.12.*

nam, quâ oſtendit id quod iubet, iam ſe feciſſe, & quòd didicit in ſe priùs, quàm alios
Actor.1. doceret. vt verum ſit, Cœpit facere & docere.
Iohan.5. & quòd erat lucerna priùs in ſe ardens, quàm alijs lucens. imò certè ſimul & ardens & lucens. Sextus demum eſt, gloriari in lege teſtamenti Domini. Id eſt, lætari, quòd legẽ Dei habeat in medijs viſceribus. Iuxta
Pſal.36. illud, Lex Dei eius in corde ipſius. & illud,
Pſal.39. Deus meus volui, & legem tuam in medio
Ierem.31. cordis mei. & illud, Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorũ ſcribam eas. Qui hãc promiſſionem impletam in ſe agnoſcit, nónne ille iure lætetur?

3 *Collaudabunt multi ſapientiam eius, & vſque in ſeculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enuntiabit eccleſia. Si permanſerit nomen eius, derelinquet plus quàm mille: & ſi requieuerit, proderit illi.*
Eccli 37. Dictum eſt de hac re ſuprà c. 37. Senſus verò eſt: Virum ſapientem plenum ſpiritu intelligentiæ (qui emittit eloquia ſua vt imbres, & qui palàm facit doctrinam ſuam) collaudabunt multi, & laus, & memoria, & nomẽ eius durabit per multa ſecula. Iuxta declarationem c. 37. quam citaui. Illud verò, enũtiabit eccleſia, implebatur tunc, ſed maximè nunc, cùm Eccleſia ſancta laudes profert, & feſta celebrat doctorum ſuorum. Porrò vltima periodus Græcis ita legitur: Si permanſerit, nomen

dere-

derelinquet pluſquam mille. Id eſt, Si diu vixerit, famam & nomen relinquet pluſquam mille alij: ſi non vixerit, proderit illi miſeram hanc vitam, in felicem commutaſſe. In noſtro textu idem ſenſus eſt, hoc modo: Si permanſerit diu nomen & fama eius, ipſo viuente, relinquet maiorem laudem quàm mille alij, qui non ita docent: at ſi non diu vixerit, proderit illi. quia mori & eſſe cum Chriſto multò magis melius. *Philip. 1.* Alij, & non malè intelligũt, relinquet pluſquam mille, ſ. diſcipulos, & ſuæ doctrinæ ſectatores. *Ambroſius ita*

SECVNDA PARS.

Conſolatur pios in tribulatione.

ADhuc conſiliabor, vt enarrem: vt furore enim repletus ſum. In voce dicit, Obaudite me diuini fructus, & quaſi roſa plantata iuxta riuos aquarum fructificate. Quaſi Libanus odorem ſuauitatis habete. Florete flores, quaſi lilium: & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis. Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtrorum, & in canticis labiorum, & citharis: & ſic dicetis in confeßione 4 Conſiliabor, id eſt, cõſilia tractabo intus. in corde, vt ea viris pijs foris enarrem. vt furore, inquit, repletus ſum. id eſt, totus intus ardeo, & æſtuo. vt Paulus, cùm dicebat, Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Non anguſtiamini in *2. Cor. 6.*

nobis: anguſtiamini autem in viſceribus
1. Reg. 2. veſtris. & Anna, dicens: Dilatatũ eſt os meum ſuper inimicos meos, quia lætata ſum
Ierem. 25. in ſalutari tuo. Et Ieremias, Factus ſum ſicut vir ebrius, &c. Ego tamen hîc intelligo noſtrum Authorem ira & zelo commotum contra impios, qui eo tempore miſerè Iudæos torquebant. Quos conſolari cupiens ait, furore plenus ſum contra impios: & is furor non conſiſtens in corde, ſed prodiens ad vocem, dicit: Audite me vos pij Iudæi, qui eſtis fructus Diuini. Vt tu lector attentiſſimè percipias, mundum totũ eſſe velut campum, plantatum cęlis, elementis, plantis, & animalibus: vt hæc omnia proferant
1. Cor. 3. viros pios, velut fructus Deo dignos. vocãtur verò Diuini, quia Deus eſt eorum cul-
1. Cor. 6. tor: & quia Deus eſt in eis: & quia Deus erit eorum, & ipſi Dei. Vos igitur ô pij audite, & in medijs tribulationibus ne deficiatis: imò feliciùs bona opera edite, vt roſa facit iuxta riuos aquarum plantata, Quaſi thus (qui vocatur Libanus) odorem in hoc tribulationis igne proferte: florete vt lilium, emittite gratioſas frondes: vt quò magis premit vos impietas, hoc magis vireat pietas veſtra. Collaudate Deum etiam in preſſura: magnificum eum in ea predicate: ac tum in labijs, tum in citharis hymnum ſequentem dicite.

5 *Opera Domini vniuerſa bona valde. In verbo eius ſtetit aqua ſicut congeries: & in ſermone oris illius, ſicut exceptoria aquarum. Quoniam in præ-*

cepto ipſius placor fit, & non eſt minoratio in ſalute ipſius. Accuſant multi etiam ex pijs Deum, cùm varijs calamitatibus exagitantur: dicuntq́, Bonus Iſrael Deus. mei autem penè moti ſunt pedes. & item, Dixerũt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? At verò qui verè pij eſſe volent, ita canere docentur: Omnia opera Dei valde bona ſunt. Quia omnia quæ feciſti, in vero iudicio feciſti. Item, Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius. & demum ſatis eſt, vt opus Dei bonũ ſit, quòd ſit opus eius. Cùm in principio mundi aquæ totam terram operirent, Deus verbo ſuo iuſſit, vt aquæ ſtarent, ne fluerent: & ipſæ ſtant velut in aceruo, & velut in exceptorijs vaſis. iuxta illud, Congregans ſicut in vtre aquas maris. Neque verò ſtant illæ aquæ inuitæ, & repugnantes: quia in præcepto Domini placor fit, & beneplacitum. ac ideo aquis beneplacet, ſic ad Domini pręceptum ſtare. Neque rurſum, quia ſtant, minuitur eis ſalus: imò æquè ſaluæ ac integræ manent, ac ſi iuxta ſpecialem naturam fluerent. Idem intellige de aquis maris rubri, & Iordanis, cùm ad ingreſſum Iudæorum reſtiterunt, velut vtribus comprehenſæ. ¶Dices, quorſum hæc de aquis, ad Iudæorum conſolationem? Certè quia ſicut naturæ aquarum conueniebat fluere: ſed detinebantur, & ita detentæ detinenti minimè reſiſtebant: ita vitæ piorum conueniebat, in mundo feliciter viuere, at ſi Diuino imperio felicitas

Pſal. 72. *Eodem.* *Dan. 3.* *Pſal. 10.* *Pſal. 31. & 77.* *Exod. 14.* *Ioſue 3.*

hæc continetur ne fluat, pij felicitatis impedimentum boni conſulant, non id eis in minorem, ſed in maiorem ſalutem proueniet. Ergo, vt aquarum conſiſtentia fuit opus valde bonum: ita felicitatis ne in pios decurrat impedimentum, opus erit valde bonum. ¶ Nota pulchram proſopopœiam: placor fit aquis, id eſt, beneplacitum, cùm detinentur à proprio fluxu, ex pręcepto Diuino: ſicut ſtellę lætantur, & vocatę dicunt, Ecce adſumus. Hæc prima piorum conſolatio.

Geneſ. 1. *Baruch 3.*

6 *Opera omnis carnis coram Illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis eius. A ſeculo vſque in ſeculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius.* Hæc eſt ſecunda conſolatio piorum, quòd nulla eorum tribulatio, Dei paterna viſcera lateat, eo quòd Deus corā ſe omnia ſecula habeat: & nihil ſit illi mirabile, quia nihil eſt illi nouum. Siquidem coram ſe omnia habeat ab æterno. Eſt hæc ſententia velut reſponſio ad illud afflictorum, qui dixerunt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? reſpondetur; Omnia videt Deus. nam oculo ſuæ infinitatis omnia ſecula comprehendit, Vt enim corporalis oculus ambit grandem maris diſtantiam, quam præſentem habet ſibi; ita oculus infinitus Dei futura ambit & præterita, quæ cōſpicit, ac ſi eſſent præſentia. Hæc eſt Thomiſtica Theologia, quæ ita diu Caietanum torſit.

Pſal. 72. *Thomas Caietanus.*

Non

Non eſt dicere, Quid eſt hoc, aut quid eſt iſtud? 7
omnia enim in tempore ſuo quærentur. Benedictio illius quaſi fluuius inundabit. Et quomodo cataclyſmus aridam inebriauit, ſic ira ipſius gentes, quæ non exquiſierunt eum, hæreditabit. Quomodo conuertit aquas in ſiccitatem, & ſiccata eſt terra, & viæ illius vijs illorum directæ ſunt: ſic peccatoribus offenſiones in ira eius. Hęc eſt tertia conſolatio, quòd tempore ſuo pœna impiorum, & præmium bonorum apparebit. Ait igitur: Nemo iure dicere debet, Quid eſt hoc, quòd ita pij premuntur? quid eſt iſtud, quòd ita impij triumphant? nemo ita dicat. omnia enim, ſiue pœna impij, ſiue præmium pij, ſuo tempore quærentur. Cùm enim pius premitur, præmiũ illi quęritur. Cùm verò contrà impius triumphat, pœna ipſi paratur: vt Amano illi contigit, cui triumphanti crux parabatur. Ergo benedictio Domini fluit in orbem, velut fluuius perennis: ſed ſuo tempore cataclyſmus terram velut ebriã dormire fecit: (toto ſ. tẽpore diluuij) & ita ſuo tempore ira Dei hæreditabit impios. qui nunc quidem triumphant & viuunt: ſed eos defunctos accipit ira Dei in æternam hæreditatem. Sic tempore cõgruo diuiſum eſt mare rubrum in duodecim vias, ſ. aquis exſiccatis, & terra ſicca apparente; & viæ illæ duodecim fuerunt apertæ directæ atque iucundæ Iudæis. tempore etiam congruo eædem illæ viæ fuerũt AEgyptijs offenſiones: ſiquidem cùm irruunt in Iudæos eos perſequen-

Eſther 7.

Exod.14. quentes, dum reuerti volunt, in irruentium aquarum globos offendunt, & eis obuoluti, ab eiſdem capiuntur & abſorbentur. ¶ Nota primò: Illa prima ſententia, Non eſt dicere, quid eſt hoc, &c. infrà in fine cap. latiùs exponetur. ¶ Nota ſecundò: Benedictio Domini, quâ mundum conſeruat, eſt velut perennis fluuius, à throno Dei vſque in centrum terrę decurrens: & omnia complectens, ac ideo tenens, ne in ſuum nihil

Pſal.103. conuertantur. Iuxta illud, Auertente te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritū eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. ¶ Digna verò res eſt quę tertiò notetur, Iram Dei (ſi ita loqui phas eſt) eſſe hęredem impiorum, quę mortem eorum expectet, vt ipſos in hæreditatem ſuſcipiat. Liceat ita loqui, ira Dei ex impietate impiorum velut prouocatur & ſuſcitatur, vt impios in hæreditatem conſequatur. Certè vt miſericordia Dei pios in hæreditatem recipit: ita ira Dei, impios. Vt ſicut illa in vaſa miſericor-

Rom.9. diæ oſtendet diuitias glorię: ita hæc in vaſa iræ potentiam ſuam oſtendat. ¶ Demum quartò materiam offert conſiderandi, quomodo eædem ipſæ viæ, quæ pijs ſunt directæ, & per quas à miſeria ſeruantur: eædem ipſę impijs ſunt offenſiones, in quibus, vorticibus aquarum cōuoluti, ab æterna morte vorentur.

8 *Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſſimis bona & mala. Initium neceſſariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel,*

& mel, & botrus vuæ, & oleum, & veſtimentum. Hæc omnia Sanctis in bona, ſic & impijs & peccatoribus in mala conuertētur. Eſt quarta piorum conſolatio, quòd Deus pijs creauit bona in bonum: nequiſſimis verò creauit bona quidem, ſed quæ eis eſſent, eorum culpâ, mala. Exemplo cõfirmat. Nam initio mundi, vitæ hominũ erant neceſſaria illa decem, quæ Author enumerat. quæ quidem bona, Sanctis in bonum & optimum cedũt: malis autem in malum & peſſimum. Ita Paulus, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. ſ. in æternam illam felicitatem. Et Dauid, Omnia quæ facient pij proſperabũtur. Impij verò non ſic. &c. Nota primò illud, bona bonis creata. id eſt, quæ bonis creata ſunt, bona erunt, & in bonum cedunt. Illud verò, nequiſſimis bona, & mala. id eſt, malis bona priùs occurrunt: ſed tandem mala. ¶ Nota ſecundò, Authorem nihil dixiſſe de carnibus, nihil de vino, nihil de piſcibus, nihil de domibus: quia loquebatur de mundo oriente, in quo homines nec carnibus veſcebãtur: nec vino vtebantur, ſed tantùm botris vuarũ: nec piſcibus, ſed fructibus arborũ: nec domibus egebant. licet impij filij Cain vrbẽ extruxerint: ſed magis in pompam, aut tyrannidem, quàm neceſſitatem: & vt in vrbe tuti eſſent ab his, quibus iniurias inferebant, magis, quàm vt ab iniurijs cęli liberarentur. ¶ Nota tertiò, ſalis vſum fuiſſe ab initio, tum vt panis condiretur; tum vt herbæ, quæ tunc forſan coqueban-

Rom. 8.

Pſal. 1.

Geneſ. 4.

tur,ſale redderent guſtum meliorem. Tum
Geneſ.4. lacte illi primi homines vtebantur, & pane
ſimilagineo, adeò terra tunc copiosè, non
malignè ſua dona proferebat. Iam verò fu-
Geneſ.4. it Tubalcain malleator in cuncta opera ęris
& ferri. ¶ Nota quartò, Adam docuiſſe ho-
mines olei vſum, & veſtiũ: non tamen vini.
adeò eius vires verebatur. ¶ Nota demum,
ad ferẽdum de rebus iudicium, non eſſe ea-
rum præſentem vſum attendendum: ſed fi-
nem. nam mali bonarum rerum vſum ha-
bent: ſed tamẽ mel in fel erit conuertendũ.
9 *Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, 2. & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua: 3. & in tẽpore conſummationis effundent virtutem: 4. & furorem eius qui fecit illos confundent. ¶ Ignis, grãdo, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt. ¶ Beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes, & romphæa, vindicans in exterminium impios.*
Eſt quinta conſolatio, quòd contra impios,
non verò contra pios tria genera flagellorũ
crearit Deus. Primò enim creati ſunt Ange-
li, quos ob ſuam malitiam Deus deputauit
ad vindictam, in hoc ſeculo, & futuro exer-
Pſal.77. cendam. Iuxta illud, Miſit in eos iram indi-
gnationis ſuæ: indignationem, & iram, &
tribulationem: immiſſiones per angelos
malos. Nam per hunc ſpiritũ malum, qui
Satan vocatur, & Iob percuſſus eſt, (licet nõ
1.Para.21. ad iram ille) & Dauid incitatus, vt popu-
lum numeraret. Ergo tum in hoc aere, tum
in aquis, tum in terrarum cauernis, tum
demum

demum in inferno dęmones conſiſtunt, qui impiorum hominum ſcelera, vt Dei miniſtri caſtigent. 2. At illi furore, quèm contra homines gerunt, incenſi, tormenta quibus illos torquent, augent, & firmant. Iuxta illud, Quem tu percuſſiſti, percuſſerunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Neque enim feriunt vt matres benignę: ſed vt hoſtes inimiciſſimi. 3. De his ſpiritibus Author prophetat, fore vt in tempore, quo mundus conſummandus eſt, ſuam illi effundant virtutem. Nam eorum operâ erit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. & niſi breuiati fuiſſent illi dies, nõ eſſet ſalua omnis caro. Tunc enim Satan, qui in carcere nunc eſt, ſoluetur: modico tamen tempore: & exibit, & ſeducet gẽtes, &c. 4. Demum de eiſdem ſpiritibus ita dicit, furorem Dei in eius inimicis confundent. id eſt, miſcebunt, & immittent Dei furorem inter damnatos miſeros, qui in inferno, dæmonum miniſterio torquebuntur. Hos ſpiritus, vocat Chriſtus apud Lucam exactores, apud Matthęum miniſtros carceris. Sed propriè eos vocat tortores, cùm ait, Iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus. ¶ Secundum genus flagellorum, quod Deus contra impios creauit, eſt, ignis, grando, fames, & mors. Alluſit Author ad vltimas plagas, quibus fuit AEgyptus percuſſa. Plaga enim ſexta fuit ex igneo cinere, de camino ardenti in aerem proiecto. Septima fuit ex grandine. Octaua ex lo-

Pſal. 61. *Matth. 24.* *Apoc. 20.* *Luc 12.* *Matth. 5.* *Matth. 18.* *Exod. 9.*

ex locuſtis,quę omni virore AEgypti exeſo famem in terram induxerunt. Nona fuit mors primogenitorũ. Iam in Pſal.dicitur, Pſal.10. Ignis,&ſulphur,ſpiritus procellarũ(in quibus ſolet deſcendere grãdo) pars calicis eorum. Hæc enim etjam miſeros torquebunt damnatos. ¶ Tertium genus eſt, beſtiarum dentes,& ſcorpij,& ſerpentes,& gladius. Alluſio eſt ad ea,quibus impij in deſerto Iudęi cõſumpti ſunt.Perierũt enim gladio,&dentibus beſtiarũ, ac veneno ſerpentum. Iuxta Deut.32. illud, Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentiũ ſuper terram,atq; ſerpentiũ. Foris vaſtabit eos gladius. ¶ Dices, num nõ & hęc flagella pij patiũtur? Patitur Actor.vlt. ſanè Paulus viperæ morſum in manu : ſed quicquid Paulo contingit, cedit in bonum. ſ.in gloriã Dei,& in merita Pauli. vt ſuprà.

10 *In mandatis eius epulabuntur, & ſuper terram in neceßitate præparabuntur, & in temporibus ſuis non præterient verbum.* Id eſt,Hæc flagella prędicta ita lætantur,ac ſi epularentur, cùm ex mandato Domini, eius in ſceleratos vltionem exequuntur. vt ſuprà ex Baruch docuimus. Baruch 3.ſup. num.5. 2. Eadem flagella ſunt accincta, & præparata ad neceſſitatem : vt in ea, flagellent ſceleſtos. 1.Para.21. Ita peſtis accincta fuit tempore Dauid, cùm populũ numerauit : & mors accincta contra Philiſtæos,cùm arcam Domini apud ſe retinebant : & contra Bethſamitas, cùm eam vident. 1.Reg.5. 1.Reg.6. 3. Eadem flagella tempore vltionis exequendæ neque latum vnguẽ à mandatoDei diſcedẽt: ſed punctim

ipſum

ipſum exequẽtur. Proh dolor, quàm ipſum in inferno perficient!

Propterea ab initio confirmatus ſum, & conſiliatus ſum, & cogitaui, & ſcripta dimiſi. Omnia opera Domini bona, & omne opus hora ſua ſubminiſtrauit. Non eſt dicere, Hoc illo nequius eſt: omnia enim in tempore ſuo cõprobabuntur. Id eſt, Cùm has piorum conſolationes, & in impios vltiones agnoſco, confirmor, conſilium quod dem accipio: & cogito, vt hæc ſcribam, & quæ cogito, ſcribo in lectorum vtilitatem. Scribo igitur thema ſuprà dictum, ſ. Omnia opera Domini bona ſunt, & Deus ſubminiſtrat opus ſuũ, hora ſua, id eſt, tempore congruo. Nec debet pius dicere, Hoc tẽpus tribulationis nequius eſt, quàm tempora priora. omnia ſiquidem in tempore ſuo oſtendentur probatiſſima. ¶ Ergo ſi nunc Mauri triumphant, Chriſtiani non item, tempore ſuo oſtendetur ita fuiſſe neceſſe: aut certè ita commodiſſimum fuiſſe. ¶ Et quod maximum eſt, ſi reprobi damnabuntur, ſuo tempore oſtendet Deus id iuſtiſſimè factum. Igitur ſi mortales de Deo, in aliquo opere conqueruntur, expectent, veniet hora, qua id opus iuſtum apparebit. Redeat igitur, ait Author, in ſuum principium oratio. 11

Nunc (ſupple, viri pij) *in omni corde & ore collaudate & benedicite nomen Domini.* Si talis eſt piorum & impiorum cõditio, primùm corde, mox ore, ſimul viri pij Deum laudate, quòd vos in ſortem piorũ cooptauerit. 12

CA-

CAPVT XL.

PRIMA PARS.

Videtur prædictorum continuatio.

1 *OCCVPATIO magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium.* Incipit dicere, quàm miſerè premãtur homines: ſed quòd hæc miſeria ſeptuplum premat impios. vt poſſit eſſe bona pars huius capitis ſexta piorum conſolatio. ¶ Occupatio vocatur inquietudo, atque negotiũ, quo miſeri nos premimur, quærentes honores, diuitias, & delicias: quas ſi negligeremus, felices viuere poſſemus. Terra vocatur mater omnium: vt quæ in vtero ſuo recipiat defunctos, quos vniuerſi abijciunt, nec domi ſeruare patiuntur. Eſt verò occupatio hæc in ſe magna: eſt generalis omnibus: eſt diuturna, ſ. per totam vitam durãs.

2 *Cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis: à præſidente ſuper ſedem glorioſam, vſque ad humiliatum in terra & cinere: ab eo qui vtitur hyacintho & portat coronam, vſque ad eum qui operitur lino crudo.* Docet, quæ ſit occupatio & iugum hominum. Sunt enim variæ cogitationes & curæ. Sunt innumeri timores imminẽtium malorum. Sunt tot inuentiones expectationum, id eſt,

rerum

rerum quas expectamus. expectat enim ille Prælationem, hic beneficium, alius opes, alius matrimonium. tota ferè vita nobis expectando dilabitur. Eſt incertitudo diei mortis. Hæc premunt homines generaliter, incipiendo à ſummo Sacerdote, qui ſuper ſede decora ſedet, vſq; ad viliſſimum & pauperrimum, qui non habet vbi ſedeat, niſi in terra & cinere: & à Rege, qui in digitis hyacinthos, in capite coronam gerit, vſque ad eum qui tam pauper eſt, vt non habeat, niſi linum crudum, quo ſe operiat. ¶ Per eum qui præſidet ſuper ſede glorioſa, intelligo ſummũ Pontificem, qui preſidebat populo, ſedens ſuper pulcherrima ſede. Nam de Heli dicitur, quòd ſedebat ſuper ſella ante poſtes domus Domini. & manifeſtũ eſt, quòd ſi Samuel, & alij Pontifices iudicabant cauſas, (vt à quorum ore requirebatur ſcientia) in ſede glorioſa iudicabãt. ¶ Porrò eo tempore habitus miſerrimorum, & calamitatibus afflictorum erat, ſedere in puluere & cinere. Ita enim Iob corruit in terram, & eius amici ſedent in terra cum eo. Vnde & pœnitentes morem acceperũt in cinere ſedendi. Ago, inquit Iob, pœnitentiam in fauilla & cinere. ¶ Per eum qui vtitur hyacintho, intelligo Regem. nam Spõſa dixit de Salomone, Manus eius tornatiles, plenę hyacinthis. videlicet Hyacinthus ſua virtute præſeruat à veneris, & geſtantem ſuo purpureo colore delectat. ¶ Demum nemini dubium eſſe poteſt, quin lino crudo veſtiri ſit extremæ

1. Reg. 1. *2. Reg. 7.* *Malach. 2.* *Iob 1.* *Iob 2.* *Iob vlt.* *Cant. 5.*

paupertatis, non potentis vel linum curare. ¶ Tu lector notabis Authoris prudentiam. nam primo loco miſerias hominum ſpirituales poſuit, ſ. curas, timores, expectationes. hæc enim ſunt quæ torquent homines. nam ſi hæc abſint, nullum eſt malum quod premat. Quia per curas mala ſentimus. iuxta illud, Vltrices poſuere cubilia curæ.

3 *Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, timor mortis, iracundia perſeuerans, & contentio, & in tempore refectionis in cubili ſomnus noctis immutat ſcientiam eius. 2. Modicum tanquam nihil in requie, & ab eo in ſomnis, quaſi in die reſpectus. 3. Conturbatus eſt in viſu cordis ſui, tanquam qui euaſerit in die belli. 4. In tempore ſalutis ſua exurrexit, & admirans ad nullũ timorem. 5. Cum omni carne, ab homine vſq; ad pecus, & ſuper peccatores ſeptuplum.* Id eſt, Occupatio & iugum ſuper mortales eſt furor, quo irati accendimur: Zelus, quo coniunx coniugem, & inuidus aliũ zelatur: Tumultus, quo contra alios tumultuamur: Fluctuatio, quâ perplexi neſcimus quid in graui negotio faciamus: Timor mortis, quã nobis alij minantur: Iracundia, quæ non tranſit, ſed perſeuerando torquet: Contentio cum alijs in verbis. Et quod miſerrimũ eſt, tempore quo natura eſt in cubili reficienda, adſunt ſomnia, quæ quemuis immutant & turbant, quãuis ſcientem hominem, & doctum: ſicut turbarunt pincernam & piſtorem Pharaonis, imò & ipſum Pharaonem:

Geneſ. 40.
Geneſ. 41.

nem: maximè verò Nabuchodonoſorem. Dan.4.
2. Modicum habet vita noſtra in requie, imò quaſi nihil habet quietis: & huius nihili bona pars eſt ſomnus: ſed ab hoc etiam ſomnia magnam partem auferunt. Nam in multis ſomnia ſunt, vt in die reſpectus. Dicitur dies reſpectus, ſeu reſpectionis, (vt Græca docent) tempus excubiarum. in quo qui excubant attentiſſimè reſpiciunt. Igitur excubiæ ſomnum habent ferè vigilem, attentum, parum quietum, non parum timidum. talis ſomnus contingit multis hominibus: ijs maximè, qui grauiore aliqua cura affligantur. 3. *Conturbatus eſt*, inquit, *in viſu*. Id eſt, Contingit frequenter, horrendo nos ſomnio turbari, dum dormimus: & ſomnij ipſius horrore excitari, & cùm videmus nos ab eo ſomno liberos, putare, à periculoſo nos euaſiſſe bello. 4. *In tēpore ſalutis.* id eſt, Si ſalutem habemus, poſt horrendum ſomnium, exurgimus: & admiramur, quòd nullum iam timorem habemus: cùm tamen in ſomno, tantum timorem ſomnium incuſſerit. Cùm enim videamus cauſam abeſſe timendi, timorem etiam è nobis excutimus. 5. *Cum omni carne.* ſupple, eſt timor ſomniorũ, etiam vſq; ad pecora. ſæpe enim hæc viſa ſunt inter dormiendum ea agere, quę niſi ſomniarent minimè facerent. Lege Ariſtotelem & Plinium, & Cęlium. En mala, quibus homines premũtur, & animãtia: ſed his in ſeptuplũ impij premuntur. Tum quia rigidiùs Deus impios tractat, quã pios.

Ariſt. diuina. per ſom. c.1.
Plin. lib.11. c. vlt.

Tùm quia pij patientiùs ferũt mala, quàm impij. Tum quia pij ad Deum in tribulatione, velut in aſylum, accurrunt: at non ita impij. Tum quia conſolatur Deus pios: at non impios.

4 *Ad hæc mors, ſanguis, contentio, & romphæa, oppreſſiones, fames, & contritio, & flagella. Super iniquos creata ſunt hæc omnia, & propter illos factus eſt cataclyſmus.* Propoſuerat mala noſtra interiora, quæ quiſque à ſe & in ſe patitur: nũc proponit mala exteriora, quæ patimur ab alijs. ſ. homicidia, vulnera, contentiones verborum, enſes vibratos, oppreſſiones potentium, fames ex annonæ defectu, contritiones ex hoſtibus, flagella Diuina. Quæ omnia ſuper iniquos creata ſunt. Si enim iniqui non fuiſſent, neque iſta fuiſſent. at quia iniqui ſunt, hæc flagella dum iniquos percutiunt, iuſtos attingunt. Nam diluuium

Geneſ.6. Noe ideo omnem deleuit carnem, quia omnis caro corruperat viam ſuam. Dum verò aquę diluuij nocentes inuoluunt, pueros etiam inuoluunt innocentes. quia ſ. immi-

1.Reg.15. ſti nocentibus erant. Ideo enim Saul Cinæos ab Amalechitis diſcedere iuſſit, ne his immiſti horum pœnam ſentirent. ¶ Nota illud, Super iniquos creata ſunt. Mala enim quæ iuſtos premunt, non ſunt ſuper illos: ſed ſub illis, aut iuxta illos. nec enim ſunt impedimento, quo minùs illi, & mente, & cogitatione cælum conſcendant. At mala iniuſtorum ſuper illos ſunt. ſiquidem in infernum eos deprimunt. ¶ Eſt igitur conſo-

latio

latio piorum hactenus in hoc capite dicta, quòd Deus mala pœnæ fecit contra malos, in vltionem. ſi bonos attingunt, id eſt in meritum eorum. Vide caput Sapientiæ 1. *Sap. 1.*

5 *Omnia quæ de terra ſunt, in terram conuertentur: & omnes aquæ in mare conuertentur. Omne munus, & iniquitas delebitur, & fides in ſeculum ſtabit.* Videtur ſexta piorũ conſolatio talis: Vt omnia redeunt in ſuum principiũ, (nam quę ex terra ſunt, redeũt in terram: & aquę redeunt in mare, quod eſt aquarum principium) ita munera data ad corrumpẽdam iuſtitiam, & omnis iniuſtitia, ex malo exorta, in nihil & malum conuertuntur. At fides, ſi viua eſt, in æternum perſeuerat. Perſeuerabunt igitur æternùm pij, delebuntur contrà impij. ¶ Nota, terrena in terram conuerti. iuxta illud, Puluis es, & in puluerem reuerteris. tu intellige ordinariè, & vt plurimũ. nam quæ ignis abſumpſit, in ignẽ vertuntur, aut aerem. ¶ Nota ſecundò, omnes aquas in mare redire, vt dixit Eccleſiaſtes. redeunt enim ad locum vnde exierũt. Intellige de fluminibus perennibus. Ait enim, omnia flumina intrant mare. ¶ Nota tertiò, munera dantium, & iniquitas accipiẽtium, ex malo, quod (vt Auguſtinus ait) nihil eſt, naſcuntur: ideo in nihil conuertuntur. id eſt, in mortem ſecundam. vt habetur in Apocal. ¶ Nota quartò, quæ fides ſtabit in ſeculum. illa ſ. quæ eſt contra munera & iniquitatem. his enim ea fides opponitur, quæ æternum duratura eſt.

Geneſ. 3. *Eccles 1.* *Auguſtinus.* *Apoc. 2. 21.*

6 *Subſtantiæ iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur,*
& ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabūt.
In aperiendo manus ſuas lætabitur: ſic prauarica-
tores in conſummatione tabeſcent. Explicat ad-
huc felicitatem iniuſtorum euanidam fo-
re. eſt enim ſubſtantia impiorum, velut flu-
uius ex aquis pluuijs collectus, qui citò ſic-
catur. eſt ſecundò, velut tonitruū magnum,
magnum edés fragorem & ſonitum. at non
lætatur, niſi dum aperit manus, id eſt, non
durat, niſi dum radios, velut manus exten-
dit. loquitur enim de tonitruo fulguri mi-
ſto, quod non durat, niſi ferè dum ſuam ex-
plicat lucem. ita præuaricatores, licet vide-
antur ſonare & fulgere, breui tamen in ſua
conſummatione tabeſcent.
7 *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos,*
& radices immundæ ſuper cacumen petræ ſonant.
2. Super omnem aquam viriditas, & ad oram flu-
minis ante omne fœnum euelletur. Dixit de ſub-
ſtantia & opibus impiorū: nunc de eorum
generatione, quę breui excindenda eſt. Ideo
inquit, nepotes impiorum, non multos ha-
bebunt filios. nam peccatum parentum in
Exod,20. tertia generatione, & quarta Deus punie-
bat. Addit, *Radices immundæ ſuper cacu.* id eſt,
Cùm radices in terra fixę ſunt, ventis etiam
flantibus, minimè ſonant. mouentur enim
quæ ſonum edunt. At cùm radices ſunt ſu-
per cacumine petræ, ibi malè fixæ, flantibus
ventis & ſonant, dum percutiunt petram:
& euelluntur, dum eradicantur à vento.
Tales

Tales ſunt iniqui, minimè in tempore firmi: ſed efficaciâ aduerſitatum, velut malè in petra fixi, euellētur. Lege hęc fuſiùs Sap. 3. & 4. & infrà. 2. Subdit Author, vt viriditas quæ ſuper aquam naſcitur, (ſitus ſ. ille qui ſuper putribus, ſeu ſtagnantibus aquis náſci ſolet.) & item, qui ad oram fluminis non raptim fluentis conſiſtit, is ante omne fœnum euelli & rapi ſolet à vi pluuiarum: ita viror & vita impiorum euelletur. ¶ Nota primò, Deum in lege veteri habuiſſe rationem delendi ſobolem impiorum: vt deleuit familiam Saul: & familiam Hielis, qui ædificabat Iericho. &c. Ideo confidenter dixit Author, nepotes impiorum non multos edent ramos. ¶ Nota ſecundò, acutè vocari virorem putrium aquarum, gloriam & faſtum impiorum. gloria illa eſt, ſed putris & euanida. ¶ Nota tertiò, vitam impiorum, etiam ante terminos quos ei natura taxauit, excindi. non enim dimidiabunt dies ſuos: ſed ſunt vt fœnum, quod antequam euellatur exaruit. Eſt autem omnis caro fœnum.

Sap. 3. 4. Eccli 41. 2. Reg. 21. 3. Reg. 16. Pſal. 54. Pſal. 128. Iſaie 40.

8 *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus, & miſericordia in ſeculū manet. Vita ſibi ſufficientis operarij condulcabitur, & in ea inuenies theſaurum.* Toti impietati & iniquitati hæc tria opponit, Gratiam, miſericordiam, vitam operarij ſibi ſufficientis. Quaſi diceret, Abominamini iniquitatem: amplectimini gratiam, quæ eſt vt paradiſus: miſericordiam,

am,quæ manet in ſeculum; vitam operarij, quæ dulcis eſt, quæ theſaurus eſt. ¶ Nota primò, Gratiam Dei,& vitam per eam gratiam, eſſe ſicut paradiſus. Erat paradiſus plena omnibus plantis: eſt gratia plena omnibus virtutibus. Erat paradiſus locus voluptatis hominis: eſt gratia locus voluptatis Dei. In paradiſo loquebatur Deus homini: in gratia loquitur multò feliciùs. In Canticis, emiſſionis gratiæ vocantur paradiſus. ¶ Nota ſecundò,gratiam eſſe paradiſum in benedictionibus. id eſt,quæ poſſidet benedictiones cęli deſuper,& benedictiones abyſſi deorſum.eam verò maximè,quâ Deus dicet,Venite benedicti patris mei. ¶ Notabis tertiò, miſericordiam manere in ſeculum, nõ ſolùm quia manet in æternitatem: ſed etiam quia vitam hanc & conſeruat,& prorogat. Siquidem impietas dimidiat dies, vt nunc Author dixit. at miſericordia multiplicat. Ea enim (teſte Tobia) à morte liberat. ¶ Nota quartò, quod erat auribus omnium proclamãdum,& in omnibus angulis locorum ſcribendum. Quid quæritis homines mercaturam? cur officia in domibus regum? quęrite vitam operarij,qui ſibi non diuitias, ſed quod ſufficit quærat. hæc vita dulciſſima eſt. hæc theſaurus eſt. eſt vita naturalis. eſt vita quam inſtituit in paradiſo Deus. eſt vita nulli noxia. eſt vita à mundi malis aliena. eſt vita comparando cælo maximè commoda.

Geneſ.2. *Cant.4.* *Geneſ.4. 9* *Matth.25.* *Tob.4.* *Geneſ.2.*

SE-

SECVNDA PARS.

Docet, quæ ſunt magis eligenda.

F*Ilij, ædificatio ciuitatis confirmat nomen: & ſu-* 9
per hanc mulier immaculata computabitur. Id
eſt,O filij audite. ædificaſſe ciuitatẽ famam
parit, & nomen. At melius eſt immaculatã
vxorem habere, quàm ciuitatem ędificaſſe.
Famã habet Cain, quia ædificauit primam *Geneſ.2.*
ciuitatem ; habet Nemrod, quia ædificat
Babylonem: & Aſſur,quia ædificauit Nini- *Geneſ.10.*
uen.Sed quid prodeſt nobilem cõſtruere ci-
uitatem,ſi eſt tibi meretrix vxor? hoc enim
te continuò dolore conficiet.
2. *Vinum & muſica lætificant cor, & ſuper vtra-* 10
que dilectio Sapientiæ. Quòd vinum lætificet,
plus nimis docet experientia, & dictum ſu- *Eccli 31.*
prà eſt.Quòd muſica lætificet,dictum eſt ſu- *Eccli 32.*
prà. Quòd dilectio ſapientiæ lætificet plus,
quàm vinũ & muſica, ratio docet. eſt enim
gaudium Sapientiæ ſpiritualius, & diuini-
us. & dictum eſt de hac re ſuprà. & qui ex- *Eccli 4.*
pertus eſt dilectionem Sapientiæ, ſcit nihil
eſſe dulcius aut lætius quàm Dei Verbum
amare.
3. *Tibiæ & pſalterium ſuauem faciunt melodiam,* 11
& ſuper vtraque lingua ſuauis. Suauis lingua
fuit Chriſto : nam mirabantur omnes in *Luc.4.*
verbis gratiæ eius. ſuauis fuit Paulo : voca-
batur enim dux verbi. demum ſuauis eſt *Actor.14.*
lingua prædicatoris, quæ medetur contri- *Iſaiæ 61.*
tis corde. Eſt etiam ſuauis, quæ conciliat
animos diſſidentes. de qua dicitur, Beati *Matth.5.*

am, quæ manet in ſeculum: vitam operarij, quæ dulcis eſt, quæ theſaurus eſt. ¶ Nota primò, Gratiam Dei, & vitam per eam gratiam, eſſe ſicut paradiſus. Erat paradiſus plena omnibus plantis: eſt gratia plena omnibus virtutibus. Erat paradiſus locus voluptatis hominis: eſt gratia locus voluptatis Dei. In paradiſo loquebatur Deus homini: in gratia loquitur multò feliciùs. In Canticis, emiſſionis gratiæ vocantur paradiſus. ¶ Nota ſecundò, gratiam eſſe paradiſum in benedictionibus. id eſt, quæ poſſidet benedictiones cęli deſuper, & benedictiones abyſſi deorſum. eam verò maximè, quâ Deus dicet, Venite benedicti patris mei. ¶ Notabis tertiò, miſericordiam manere in ſeculum, nõ ſolùm quia manet in æternitatem: ſed etiam quia vitam hanc & conſeruat, & prorogat. Siquidem impietas dimidiat dies, vt nunc Author dixit. at miſericordia multiplicat. Ea enim (teſte Tobia) à morte liberat. ¶ Nota quartò, quod erat auribus omnium proclamãdum, & in omnibus angulis locorum ſcribendum. Quid quæritis homines mercaturam? cur officia in domibus regum? quęrite vitam operarij, qui ſibi non diuitias, ſed quod ſufficit quærat. hæc vita dulciſſima eſt. hæc theſaurus eſt. eſt vita naturalis. eſt vita quam inſtituit in paradiſo Deus. eſt vita nulli noxia. eſt vita à mundi malis aliena. eſt vita comparando cælo maximè commoda.

Geneſ.2. *Cant.4.* *Geneſ.4.9* *Matth.25.* *Tob.4.* *Geneſ.2.*

SE-

SECVNDA PARS.

Docet, quæ ſunt magis eligenda.

Filij, ædificatio ciuitatis confirmat nomen: & ſu- 9
per hanc mulier immaculata computabitur. Id
eſt, O filij audite. ædificaſſe ciuitaté famam
parit, & nomen. At melius eſt immaculatã
vxorem habere, quàm ciuitatem ędificaſſe.
Famã habet Cain, quia ædificauit primam Geneſ. 2.
ciuitatem; habet Nemrod, quia ædificat
Babylonem: & Aſſur, quia ædificauit Nini- Geneſ. 10.
uen. Sed quid prodeſt nobilem cõſtruere ci-
uitatem, ſi eſt tibi meretrix vxor? hoc enim
te continuò dolore conficiet.

2. *Vinum & muſica lætificant cor, & ſuper vtra-* 10
que dilectio Sapientiæ. Quòd vinum lætificet,
plus nimis docet experientia, & dictum ſu- Eccli 31.
prà eſt. Quòd muſica lætificet, dictum eſt ſu- Eccli 32.
prà. Quòd dilectio ſapientiæ lætificet plus,
quàm vinũ & muſica, ratio docet. eſt enim
gaudium Sapientiæ ſpiritualius, & diuini-
us. & dictum eſt de hac re ſuprà. & qui ex- Eccli 4.
pertus eſt dilectionem Sapientiæ, ſcit nihil
eſſe dulcius aut lætius quàm Dei Verbum
amare.

3. *Tibiæ & pſalterium ſuauem faciunt melodiam,* 11
& ſuper vtraque lingua ſuauis. Suauis lingua
fuit Chriſto: nam mirabantur omnes in Luc. 4.
verbis gratiæ eius. ſuauis fuit Paulo: voca-
batur enim dux verbi. demum ſuauis eſt Actor. 14.
lingua prædicatoris, quæ medetur contri- Iſaiæ 61.
tis corde. Eſt etiam ſuauis, quæ conciliat
animos diſſidentes, de qua dicitur, Beati Matth. 5.

 paci-

pacifici. ¶ Nota, quàm antiquus ſit tibiarum vſus. & forſan tibijs canebatur ad pſalterium.

12 *4. Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus tuus, & ſuper hac virides ſationes.* Id eſt, Gaudet oculus videns grata & decora ædificia: aut videns venuſtatem & pulchritudinem fœminarum. at verò tu fili, deſidera campos tuos tritico ſeminatos, atque virentes. Rectè

Quintilianus. enim Quintilianus, Stultum eſt plus æſtimare rubentes violas, quàm fructibus oneratas oliuas. Ex illis paleas: ex his collige grana.

13 *Amicus & ſodalis in tempore conuenientes: & ſuper vtroſque mulier cum viro.* Id eſt, Gratiſſimum eſt, cùm amicus amico poſt longa tempora occurrit. Sed gratior eſt mulieris cum viro indiſſolubilis vnio. propter

Geneſ.2. hanc enim relinquet homo patrem & matrem; nedum amicum.

14 *Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & ſuper eos miſericordia liberabit.* Id eſt, Gratiſſimum, & tutiſſimum, & valentiſſimum eſt adiutorium, quod in tempore tribulationis fratri frater impendit: ſed ſuperat auxilium eleemoſynæ præſtitæ. hoc enim auxilium ex Deo eſt, illud ex hominibus. de

Eccli 17, & 29. auxilio eleemoſynæ ſuprà dictum eſt.

15 *Aurum & argentum eſt conſtitutio pedum: & ſuper vtrunque conſilium beneplacitum.* Conſtituunt pedes aurum & argentum, id eſt, erigunt, ſtatuunt, & ſtabiliunt. Quod Hiſpani dicunt,

dicunt, Ponen a hombre en pie. ſed conſilium eſt beneplacitum, pluſquam aurum. Quod manifeſtum fecit conſilium Chuſai, id enim plus pręſtitit Dauidi quàm aurum. Imò & manifeſtum facit conſilium, quod dedit Iethro Moyſi genero ſuo. Tu intellige hæc de conſilio in re graui. 2.Reg.17. Exod.18.

16 *Facultates & virtutes exaltant cor, & ſuper hac timor Domini. Non eſt in timore Domini minoratio, & non eſt in eo inquirere adiutorium. Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis, & ſuper omnem gloriam operuerunt illum.* Id eſt, Opes & potentia erigunt hominibus animos: ſed melior eſt timor Domini viribus, & opibus. Quia timor Domini dat lætitiam cordi: dat longitudinem dierum: dat in tempore mortis benedictioné. vt ſuprà dictum eſt. Addit Author, in timore Domini nó eſt minoratio, aut defectus. Nam diuites eguerunt & eſurierunt: timentes autem Dominum, ſeu exquirentes, nó minuentur omni bono. & item, Nihil deeſt timentibus eum. Nam qui timent Deum, habent eum. Quid autem deeſt Deum habentibus: cùm ſit ipſe omnia in omnibus? Quare meritò ſubditur, non eſt in eo inquirere adiutorium, ſ. præter ipſum timorem: quem qui habet, non neceſſe habet aliud adiutorium deſiderare. Habet enim Deum, ac ita, etiam ſi inſurgat prælium, & caſtra, non timebit cor eius. Dictum eſt ſuprà: Qui timet Dominũ, nihil trepidabit, & nó pauebit: quoniã ipſe Eccli 1.& 2. Pſal.33. Eodem. Coloſſ.3. Pſal.26. Eccli 34.

ſpes

Eodem. ſpes eius eſt. Vbi etiam dicitur, Timentis Dominum beata eſt anima. Si igitur timere Deum animam facit beatam, planè paradiſus benedictionis eſt. Ratio verò id probat. Timor Dei omne pellit peccatum, ſaltem mortale. At verò vt infernus eſt, vbi crimen mortale eſt: ita paradiſus eſt, vbi nihil conſcientia mordet. Eſt & alia item ratio. Timor Domini omne Dei mãdatum exequitur. Ergo omnem virtutem exercet. num nón igitur paradiſus eſt, anima omni virtute plantata? Subditur, & ſuper omnem gloriam. Vbi ego exiſtimo, noſtrum Authorem ob oculos habuiſſe benedictiones, quibus Deus timentes ſe coronat: ac ideo dixiſſe, Benedictiones Dei operuerunt & ornauerunt timorem Dei, ſuper omnem gloriam, & ornatum. Nam viros omnes illos pios, quos Deus in terra & cælo coronauit, ideo coronauit, quia eum illi timebant.

Eccli 2.

Eccli 2.

TERTIA PARS.

De fugienda inopia.

17 *Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas. melius eſt enim mori, quàm indigere. 2. Vir reſpiciens menſam alienam, non eſt vita eius in cogitatione victus. alit enim animam ſuam cibis alienis. Vir autem diſciplinatus & eruditus cuſtodiet ſe. 4. In ore imprudentis condulcabitur inopia: & in ventre eius ignis ardebit.* Dixerat ſuprà noſter Author, vitam operarij ſibi ſufficientis dulcem eſſe: redit ad idem, dicens: Fili, da operam

tam ne indigeas, ſed contrà ſit tibi vita ſuf-
ficiens. quod & Paulus docet, Eſt quæſtus, *1.Tim.6.*
ait, magnus, pietas cum ſufficientia. & item,
Operemini manibus veſtris, ſicut præcepi- *1.Theſ.4.*
mus vobis, & nullius aliquid deſideretis. &
item, Neque gratis panem manducauimus: *2.Theſſ.3.*
ſed in labore, & fatigatione, nocte & die o-
perantes, ne quem veſtrũ grauaremus. Cau-
ſam reddit Author, Quia melius eſt mori,
quàm indigere. Tu ne rigorem ſpectes: ſed
intellige melius eſſe mori, quàm perpetuò
vitam indigam habere. Nam vix vllus eſt,
qui non aliquando indigeat. & Hiſpani di-
cunt, Nec Regem eſſe, ſine vicino. Quod ſe-
quitur, *Vir reſpiciens*, &c. hunc habet ſen-
ſum: Vir qui expectat cibum ex menſa ali- I
ena, licet videatur felix, vt qui in vita ſua
de victu non cogitat: (paſcendus ſ. ex alie-
no) at vir prudens cuſtodiet ſe, & cauebit à
tali genere vitæ. 3. Nam licet multi impru-
dentes & impudentes habeant inopiam vt
dulcem, tamen miſerum eſt, ignem famis
in ventre ſentire, & alienum cibum expe-
ctare. ¶ Notabis lector primùm, quod fre-
quenter dixi, Authorem hunc fuiſſe Iudæ-
ùm, & hæc ſcripſiſſe Iudæis, quibus Deus in
præmium ſuorum meritorum bona terræ
promittebat, dicens, Si audieritis me, bona *Iſaia 1.*
terræ comedetis. Erat igitur ſignum iniqui-
tatis, pauperem eſſe, & indigere. Ideo iubet
ne indigeamus. ¶ Notabis item, vitã Chri-
ſtianam ſpiritũ paupertatis amplecti, Chri-
ſto dicente, Beati pauperes ſpiritu: & item, *Matth.5.*
Fili-

Luc.9. Filius hominis non habet vbi reclinet caput ſuum. Inſtituit igitur monachos Chriſtus pauper: ſed ita inſtituit, vt præ dulcedine contemplationis, cæleſtibus fruentes, diuitijs terrenis ferè non indigeant. ¶ Notabis tertiò: Si olim tam erat miſerum corporaliter indigere, ô quàm miſerrimum eſt, ſpiritualiter indigum eſſe! O igitur, adiuua Pſal.78. nos Deus ſalutaris noſter, quia pauperes facti ſumus nimis.

CAPVT XLI.

PRIMA PARS.

De Morte.

1 *O MORS, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habẽti in ſubſtantijs ſuis: viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti ſumere cibum!* Tria de morte proponit. Primum, quàm ſit triſtis memoria mortis homini habenti opes: ſine litibus & rixis: homini quieto, id eſt, quem nullæ curæ è ſua pace deturbant. Cuius viæ directæ, & proſperæ ſunt in omnibus. vtpote qui filias ſuas bene collocauit: filios ditauit: ſeruos honeſtauit, &c. ¶ Nota primò, hoc loco rectè pingi hominem humanitus felicem. ſ. qui ſubſtantiam habeat: qui litibus careat: qui lætus ſit ſine cura: qui quæ vult, habet. &c. ¶ Nota ſecũdò: Si huic ita depicto viro, tã eſt triſtis memoria mortis

tis in hoc mundo: viro ſancto, meliores, id eſt, ſpirituales opes habenti, pace poſt multas pugnas comparata, vitâ ſine animarum cura quadamtenus otioſa, cui omnia proſperè cadunt, quàm erit triſtis, quàm horrenda, quàm intolerabilis mortis ſecundæ memoria? O quale eſt memorari, fieri poſſe, vt anima talis æternùm ſit ſine Deo!

O mors, bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt, & incredibili, & qui perdit ſapientiam. Secundum quod de morte dicit, eſt, Sententiam mortis bonam eſſe homini carenti facultatibus, & viribus: iam grandæuo, cui incumbit tota rerum ſuarũ cura: *incredibili*, id eſt, non credenti fore ſuis malis vllum remediũ: & qui ſapientiam amiſit, quæ ſolet hiſce malis eſſe medela. ¶ Tu lector attolle in excelſum oculos, & dic, O quàm bona eſt mors viro in ſpiritualibus diuiti, ſiue iuuenis ſit, ſiue ſenex: ſiue curam habeat, ſiue cura careat: ſiue credat malis ſuis exitum fore, ſiue non credat. O quàm felix fuiſſet Salomon, ſi cùm Cantica ſcribebat, vita defunctus fuiſſet! Quàm felix Iudas, ſi antequam pecuniam accepiſſet, vitam amiſiſſet. Ergo mors bona bonis: malis verò mala. vt enim mors peccatorũ peſſima: ita pretioſa in cõſpectu Domini mors Sanctorum eius. 2

Pſal. 33. *Pſal. 115.*

Noli metuere iudiciũ mortis. 2. Memento quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperuentura ſunt tibi: 3

3. hoc

3. hoc iudicium à Domino omni carni. 4. & qui ſuperuenient tibi, in beneplacito Altiſſimi: ſiue decem, ſiue centum, ſiue mille anni. Non eſt enim in inferno accuſatio vitæ. Hoc eſt tertium de morte, Mortem non eſſe timendam. Prima quidem ratione: quia omnes qui ante te fuerũt, mortui ſunt, & omnes qui ſuperuenient tibi morientur. At ſtultum eſt, te ſolum nolle penſum ſoluere, quod omnes ſoluere noſti: & velle te liberum eſſe, vbi ſcis omnes eſſe ſubiectos. Secunda ratione: quia hæc eſt

Heb. 9. ſententia Dei, cuius ſtatutũ eſt ſemel omnes homines mori. At ſtultum eſt, Domini decreto reſiſtere velle. Tertia ratione: quia annos, quos victurus es, ſiue ſint illi decem, ſiue centum, ſiue mille, ex beneplacito Domini habes. Nonne ſtultum eſt, Deum velle cogere, vt plures annos det, quàm ille decreuit? ex re ille ſua, quod bene illi placet,

Matth. 20. facit. iuxta illud; An non licet mihi quod volo facere? Quarta ratione: quia in inferno (quò tunc pij ibant, & impij, licet ad differentem locum) non accuſabis Deum, quòd non tibi vitam dedit longiorem: ſed accuſabis te, quòd non vitam vixeris meliorem. Igitur non vitæ breuitas, ſed malitia timenda eſt. ¶ Chriſtiane, altior tibi Theologia eſt. non enim tuum eſt, mortem time-

Philip. 1. re: ſed optare. Cupere diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Mori, tibi multò melius. Tuum eſt, vitam habere in patientia, mortem in deſi-

Philip. 3. derio. Tua conuerſatio non in terris eſt: ſed in

in cælis. Tuum eſt dicere, Trahe me poſt te, Cant. 1.
curremus in odorem vnguentorum tuorum. Quò enim Dei amor ardentiùs viſcera tua exurit, hoc impatientiùs deſiderium mortis.

SECVNDA PARS.

Eſt inuectiua contra impios.

4
F*ilij abominationum fiunt filij peccatorum, & qui conuerſantur ſecus domos impiorum. 2. Filiorum peccatorum periet hæreditas, 3. & cum ſemine illorum aſſiduitas improperij. De patre impio queruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio. 4. Væ vobis viri impij, qui dereliquiſtis legem Domini Altiſſimi. Et ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini: & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars veſtra. 9. Omnia quæ de terra ſunt, in terram conuertentur: ſic impij à maledicto in perditionem. 6. Luctus hominum in corpore ipſorum, nomen autem impiorũ delebitur.* Multis rationibus perſequitur peccatores. Prima eſt: quia eorum filij fiũt filij abominationum. id eſt, abominabiles. ſ. ſequentes patrum exemplum. nec ſolùm tales fiunt filij: ſed etiã familiares qui ſecus domos peccatorũ conuerſantur. domini enim domus ad normam, domeſtici eius componuntur. Secunda ratio: quia hæreditatem à patribus iure & iniuriâ quæſitam, filij perdent. perdent ſ. litibus, ludis, luxuriâ. Tertia ratio: quia cum ſemine peccatorũ aſſiduè erit improperium. Vniuerſi enim improperant filijs,

ſuorum peccata parentum. Ideo de patre impio conqueruntur filij, quia propter eius vitia illi improperium omnium ſuſtinent. Nam & nunc, Chriſti crucifixio probro datur, his qui originem ducũt à Iudæis. Quarta, quæ potiùs exclamatio eſt: Væ vobis impij, qui violaſtis leges Dei. Si contingat vos naſci denuo, maledicti naſcemini: ſi contingat mori, maledictio æterna erit ſors, & hæreditas veſtra. ¶Tu lector memento, per
3. Reg. 17. Eliam puerum à morte reuocatum: itémq;
4. Reg. 4. per Eliſeum, per cuius oſſa defuncti, defun-
4. Reg. 3. ctus vitæ redditus eſt, in Eliſei ſepulturam eiectus. Hi mortui, ad vitam reuocati, ad vitam nati ſunt, aut certè renati. ait nunc Author, ſi ſimiliter contingat, è morte ad vitam impium reuocari, maledictus ille vocabitur. nam vocabitur maledictus, quia maledictus mortuus eſt: nec enim poſt mortem fructuoſa pœnitentia eſt. Igitur non eſt hic ſermo de prima impiorum natiuitate.
Epheſ. 2. per eam enim licet filij iræ naſcamur, peccato originis polluti, non tamen naſcimur impij actualibus impietatis culpis deformes. Eſt verò ſermo de impijs qui ſe proprijs culpis defœdarunt: qui filios habent peccatores, &c. Quinta ratio eſt: Vt terrenum omne vertitur in terram: ita impij ex ſua impietate, à Deo maledicta, proruent in æternã perditionem. Sexta eſt: Luctus cadauerum durare ſolet, quantum ſunt illa præſentia. nam ex quo mandantur ſepulturæ, ſolent lachrymæ deficere. At nomen, & fama

fama impiorũ, quamuis Reges ſint & Principes, deletur: nonnunquam etiam antequam ſepulturæ mandentur. nam vt audit plebs eos eſſe mortuos, eorum impietates recenſet. ceſſauit igitur eorum fama, incipit infamia. ¶ Has rationes intellige veras, vt plurimum. Alioqui ex impio Manaſſe pro- 4.[illegible]21.
dijt Ioſias: ex impio Achaz prodijt ſanctus 4.Reg.18.
Ezechias,

Curam habe de bono nomine: hoc enim magis 5
permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni. Bona vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanet in æuum. Occaſione malæ famę impiorum, verbum hoc tradit Author de bona fama. Habeto, inquit, curam, vt ea opera facias, quæ tibi bonam famam pariãt. hæc enim perſeuerat tibi etiam poſt mortem. poſt quã theſauri nihil valent. Et equidem bona vita finitur in numero dierum, quos Deus ille taxauit. at magis durat fama, quàm hæc præſens vita. ¶ Intellige per nomen hoc loco, nomen quod in cælis ſanctis acquiritur. Nam fama vitæ præſentis non eſt tanti, vt ſit eius tantopere habenda cura.

TERTIA PARS.

De his propter quæ ſit erubeſcendum.

Diſciplinam in pace conſeruate filij. Sapientia 6
enim abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Melior eſt homo qui abſcondit ſtultitiam ſuam, quàm homo qui abſcondit ſapien-

tiam ſuam. Veruntamen reuertimini in his quæ procedunt de ore meo. Dicturus Author rem nouam, & nimis vtilem, prologum hunc præmittit, dicens: O filij, dum in pace viuitis, hanc quam vobis trado diſciplinam ſeruate. Cur enim theſaurum hunc Sapientiæ vobis inuideam? Cùm ſciam quàm inutilis ſit ſapientia, quæ non docetur: vt eſt theſaurus, qui non expenditur. Planè ſi ſtultus eſſem, melius eſſet abſcondere meam ſtultitiam, quàm cùm ſapiens ſim abſcondere vobis ſapientiam iſtam. Quod explicatum eſt ſuprà. Igitur vos omnes voco, qui poſt bona temporalia cæci ruitis, reuertimini, vt audiatis quæ procedunt nunc ex ore meo. Græci habent, reueremini in his quæ procedunt de ore meo. id eſt, doceo, vt erubeſcatis de his quæ dicam. cui ſenſui congruunt ſequentia verba: eodem tamen ſenſu cum textu noſtro.

Eccli 20.

7 *Non enim eſt bonum omnem irreuerentiam obſeruare: & non omnia omnibus placent in fide.* Thema eſt dicendorum. & eſt ſenſus: Attendite verba mea. Non eſt bonum omnem inuerecundiam & impudentiam habere. Non eſt bonum omnino carere verecundia. nec enim res impudenter factæ omnibus placent, ac ſi fideliter fierent. Pudeat igitur facere coram omnibus, quod non omnibus placebit, imò multis diſplicebit, vtpote quod non factum eſt fideliter & rectè.

8 *Erubeſcite à patre & matre de fornicatione.*

Id

Id eſt, Filia erubeſcat fornicationem, ſiquidem grauiſſimè eam honeſti ferent parentes. & mulier quæ virgo non inuenitur à *Deut.22.*
marito, qui eam vt virginem accepit, nam *Leuit.21.*
lapidibus obruitur. & ſi Sacerdotis filia eſt, exuritur. *2 A præſidente & potente de mēdacio.*
Suprà volui præſidentē vocari Sacerdotem. *Eccli 40.*
Igitur coram Sacerdote & alijs Principibus erubeſcendum eſt, ne mentiamur: maximè
iurando. Nam iurare olim coram ſacerdotibus *Exod.22.*
præcipiebatur. Cùm igitur iurans Deum afferat in teſtem, qui veritas eſt, pudeat coram ſumma veritate mentiri. *3. A principe & à Iudice de delicto* Nam comprehenſum in flagranti delicto, ſine alijs teſtibus, Princeps, & Iudex, qui locum principis habet,
caſtigat. vt caſtigauit Moſes, quos reperit *Exod.32.*
vitulum adorantes. *4. A Synagoga & plebe de iniquitate.* Nam ſi peccas in vnum, vnum timebis vltorem: at ſi in populum, totum in vltionem populum excitaſti. & vnus placari poteſt: atquomodo placabis tam mul-
tos? Huius rei Roboam fit exemplo, qui *2.Reg.12.*
in decem tribus peccauit. at non impunè.
5. A ſocio & amico de iniuſtitia. Si enim inimi- *Pſal.54.*
cus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Et ſi is qui oderat me, magna ſuper me locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux
meus & notus meus &c. huius criminis ma- *Matth.26.*
ximè Iudas inſimulatur, qui tam amicum Chriſtum, tali iniuria perſecutus eſt. *6. De*

loco in quo habitas, de furto. Furari enim in loco, vbi non agnoſceris, malum eſt: at furari in eodem, quo habitas loco, intolerabile eſt. Quomodo enim vel tu feras communem, qua te omnes notant, infamiam? & quomodo alij te patientur publicũ furem? nam conſulent rebus ſuis, per ſuſpendium tuum. 7. *De veritate Dei & teſtamento, de diſcubitu in panibus.* Locus eſt obſcuriſſimus, habet tamen hunc ſenſum: Erubeſcite à veritate Dei, & teſtamento eius, ne diſcumbatis in panibus, in cultũ idolorum. Certum enim eſt, olim idololatras habuiſſe vſum comedendi in deorum ſuũ cultum. Iuxta illud,
Exod.32. Sedit populus manducare & bibere: & ſurrexerunt ludere. Imò & fideles in veri Dei
Deut.16. latriam comedebant. Iuxta illud, Epulaberis corã Domino, tu & filius tuus, &c. Erubeſcite igitur diſcumbere ad comedendum coram falſis dijs: cùm veritas Dei, & teſtamentum quod cum ipſo pepigiſtis, id vobis prohibeat. Vnus eſt verus Deus; ergo vnum illum adorabis. rurſum fœdus cum
Deut.6. vnico Deo pepigiſti, cur fœdere violato De-
Exod.24. os falſos adoras? 8. *Ab obfuſcatione dati & accepti.* Liber rationum dati & accepti clariſſimus, non obfuſcatus eſſe debet. Erubeſcite igitur, ſi fuſcedo quępiam librum expenſarum obfuſcauit, nę detis rationem integram debiti. eſt enim illud furti genus, cuius pudere debet quemuis virum probum. 9. *A ſalutantibus de ſilentio.* Naturale & ciuile

eſt,

eſt, ſalutãtem reſalutare. Erubeſcite igitur, ſi contingat non reſalutare ſalutantes. *10. A reſpectu mulieris fornicariæ.* Paulus ait, Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. ergo ſi vnũ es cum ea, conſtuprata ea, tu quoque conſtupraris. Cur ergo concupiſcas fœminã, vnde tibi tantum prodibit dedecus? nam caſtam amare, humanum eſt. amare eam quæ alios amat, pudendum eſt. *11. Ab auerſione vultus cognati. Ne auertas faciem tuam à proximo tuo.* Si cognatus, aut proximus eget operâ tua, & tu auertiſti faciem ab eius indigentia, erubeſcendum tibi eſt. Deus enim, natura, & cognatio te, ne vultum auerteres, ſed potiùs ſubuenires, adſtringebant. *12. Ab auferendo partem, & non reſtituendo.* Suprà pręcepit Author, vt Sacerdotibus ſua pars daretur. forſan idem præcipit nunc: vt ſ. erubeſcant, qui partem illis debitam non reſtituunt. Eſt & alius ſenſus. Querebatur frater ille euangelicus de fratre, quòd non diuideret hæreditatem cum eo. huic non diuidenti dicitur, Erubeſce ſi abſtuliſti partem, quam non reddis. Eſt enim impium in hac re teſtatoris, qui eas partes legauit, voluntatem violare. *13. Ne reſpicias mulierem alieni viri, & ne ſcruteris ancillam eius, neque ſteteris ad lectum eius.* Id eſt, Erubeſce, ne concupiſcas vxorem alienam: nec ab eius ancilla ſcruteris, quid ſua domina faciat, eam ad lenocinium dominæ ſolicitando: neque noctu ſtes foris gyrans domum vbi lectus

1. Cor. 6.

Eccli 7.

Luc. 12.

eius eſt.ſ.dominæ.Itaque Author deterret à concupiſcentia vxoris alienæ: & à ſolicitanda eius ſerua,vt heram ſolicitet: & à circũeundo loco vbi vxor aliena lectũ habet. Erat enim tunc grauiſſimum & horrendiſſimum,lectum alienum violare,vt habetur
Prouerb.7. in Prouerb. & adultera morte plecti iube-
Leuit.20. batur,in Leuitic.& Deuter. 14. *Caue ab ami-*
Deut.22. *cis de ſermonibus improperij: & cùm dederis,ne improperes.* Inurbanum,& inciuile eſt,amicis beneficia collata improperare. Ergo caue à ſermonibus,quibus beneficium improperes.Deus enim dat,ſed non improperat.
Iacob.1.

CAPVT XLII.

15. NON *duplices ſermonem auditus,de reuelatione ſermonis abſconditi.* Hęc ſententia ad cap. præcedens pertinet. eſt enim decimũquintum, à quo cauendum & erubeſcendum eſt. & eſt ſenſus: Sermonem quem audiſti ſecretò,& abſconditè,tu ne reueles. & quod tibi primò dictum eſt, tu ne duplices, id eſt, ne ſecundò dicas. Litera verò textus ita ordinanda eſt: Non duplices aut iteres ſermonem, quem vt occultum audis. loquimur, inquit,de reuelatione ſermonis occulti.

9 *Et eris verè ſine confuſione, & inuenies gratiam in conſpectu omnium hominum.* Claudit Author caput præcedens, dicens: Si hæc quæ hactenus admonui ſeruaueris, eris ſine ignominia: & eris omnibus gratioſus. vt

enim

enim pudendum eſt in aliquod dictorũ in-
cidere, ita liberat ab ignominia illa omnia
cauiſſe.

PRIMA PARS.

De his, propter quæ non eſt eru-beſcendum.

NE pro his omnibus confundaris: & 1
ne accipias perſonam, vt delinquas.
Id eſt, Nunc diximus propter
quas res ſit erubeſcendum: iam
dicamus, propter quas non ſit
erubeſcendum. Igitur filij, pro his omnibus
quæ ſequuntur, ne pudore afficiamini: nec
ob verecundiam alicuius perſonæ in his o-
mnino delinquatis. nullius hominis reſpe-
ctus vos adigat ad delinquẽdum in his quæ
nunc referam.

De lege Altiſſimi, & teſtamento. Idæſt, Nul- 2
lus te pudor aſtringat ad violandam legem
& teſtamentum Dei. vel melius: Si legem &
teſtamentum Dei ſeruaſti, nulla propterea
afficiaris verecundiâ. Iubet lex Dei pati in- *Matth.5.*
iurias: offerre alteram maxillã percutienti
vnam: miniſtrare ſeruis noſtris. Si hęc faci-
mus, iniuſtum eſt, vt propterea afficiamur
verecundiâ. licet nobis id alij improperẽt.
2. De iudicio, iuſtificare impium. id eſt, Nulla te
impij verecundia cogat, vt eum in iudicio
iuſtifices. Id enim cauebatur magnopere in
lege veteri. vt in Leuitico, & Deuter. *3. De* *Leuit.19.*
verbo ſociorum & viatorum. Solent ſocij verba *Deut.1.*

quædam dicere, qua nos pudore ſuffundũt: ſolent idem & viatores, qui vt prouocent ad riſum, probra iaciunt in eum, cui occurrunt. Monemur ergo, ne rubore perfundamur ex verbis ſociorum. nec enim hoſtes ſunt, qui iniuriæ cauſâ illa dicant: ſed ſunt ſocij, qui riſus, aut amoris cauſa nos prouocant ad ruborem. Similiter ex verbis viatorum. nec enim illi ob contumeliam, ſed ad alleuiandum viæ laborem ſcurrilia illa profundunt. 4. *Et de datione hæreditatis amicorum.* Id eſt, Si amicus fidei tuæ hæreditatem commendauit, quam ſ. alicui alij dares, nulla inopiæ verecundia cogat te, quin fidem ſerues, & hæreditatem tribuas. Nam eam tibi vſurpare piaculum erit. 5. *Et de æqualitate ſtateræ & ponderum.* Id eſt, Si alij vtuntur iniqua ſtatera, & minore pondere, te non pudeat, quòd iuſtâ ſtatera & pődere vtaris. nam æquam ſtateram & pondera præcipit
Leuit.19. Dominus, in Leuit. & Deuter. & iniquam
Deut.25. damnat apud Oſeam. 6. *De acquiſitione mul-*
Oſee 12. *torum & paucorum.* Familiaris erat mercatura, & negotiatio Iudæis. admonet igitur, vt non pudeat eos acquirere: ſiue multa, ſiue pauca acquirant. Eſt enim eorum prouerbium, Melius eſſe lucrari multa quinque, quàm pauca decem. 7. *De correptione emptionis & negotiatorum.* Alij textus habẽt, de corruptione emptionis; alij verò, de indifferẽte venditione. Liber meus habet, vt poſui. & credo ſenſum eſſe; Solent mercatores & alij nego-

negotiatores cautiſſimè res ſuas agere. mille enim vtuntur cautelis, ne vlli dent locũ errori. cuius rei notâtur Genuenſes mercatores. Inquit nunc Author: Si cautè, & exactè emas, & cum negotiatoribus tractes, & eâ de cauſa, vt nimis cautus corriperis, minimè te eius correptionis pudeat. Melius enim eſt te de cauendo corripi, quàm de perdẽdo dolere. Vel forſan eſt alius ſenſus: Si tibi dãnoſus eſt, aut emptor, aut negotiator, corripe vtrũque, ab vtroq; ſi potes deficiẽs. huic ſenſui conuenit, ſi legas, de corruptione. ℣. *Et de multa diſciplina filiorum.* Ne, inquit, pudeat te, quòd rigore tuos filios tractes, quodq; nimis eos doceas. Qui enim parcit virgę, odit filiũ. de qua re multa ſuprà. & in Prouerb. imò & apud Paulũ. *9. Et ſeruo peßimo latus ſanguinare.* Id eſt, Ne pudeat latus ſerui mali, eum caſtigando, ſanguine perfundere. Iuxta ſuprà dicta Authoris dicentis, Seruo maleuolo tortura & compedes. *10. Super mulierem nequam bonum eſt ſignum.* Si mulierẽ habes petulantem, eam diligentiſſimè claude. etiam adhibito ſigillo. quo diligens ſignificatur cuſtodia. vt Iudæi lapidem ſepulchri ſigillo munierunt: & Rex Babylonis Beli idoli templum. *11. Vbi manus multæ ſunt, claude: & quodcunque trades, numera & appende: datum verò, & acceptum omne deſcribe.* Si familia eſt tibi grandis, claude cellaria tua. Dicitur enim Hiſpanis, In arca aperta iuſtus peccat. Iam ſi quid ſeruandum tradis, id numeratum, & appen-

Vide Metaphyſ. 2.
Eccli 30.
Prouer. 19.
Heb. 12.
Eccli 33.
Matth. 27.
Dan. 14.

appenſum trade: ne cuſtodi liceat inde aliquid ſuffurari. Demum librum habeto rationum, vbi quæ das, & accipis, ſcribas. eſt enim labilis memoria noſtra. Quòd ſi tantę exactionis aliquis te pudefaciet, tu ne pudore afficiaris. Hæc enim pręſtare hominis eſt iudicio & ratione pollentis. *12. De diſciplina inſenſati & fatui.* Id eſt, Si quid te fatuus docuerit, ne pudeat ab eo diſcere. Eſt enim quandoque holitor opportuna locutus, & latet nonnunquã margaritum ſub concha. Exẽplo ſit tibi Silenus Alcibiadis, & D. Auguſtinus & à puero doceri paratus. Ergo non adeò quis, quàm quid dicat, eſt attendendum. *13. Et de ſenioribus, qui iudicántur ab adoleſcẽtibus.* Id eſt, Si etiam ſeniores aliquid docent, tu ab illis diſce: quamuis illi iudicentur, aut etiam rideantur ab adoleſcentibus. Eſt enim in canis prudentia. Alius ſenſus eſſe poteſt: Si ſeniores pertrahantur ad iudicium ab adoleſcentibus, te nihil pudeat, contra ſenem, iuſtum ferre iudicium. *Et eris eruditus in omnibus, & probabilis in conſpectu omnium virorum.* Id eſt, Si quæ dixi præſtiteris, & in te eris eruditus, & ab omnibus probaberis.

SECVNDA PARS.

De filia cuſtodienda.

3 *Filia patris abſcondita eſt vigilia, & ſolicitudo eius aufert ſomnum. Ne fortè in adoleſcentia ſua adultera efficiatur, & cum viro cõmorata odibilis fiat: ne quando polluatur in virginitate ſua, &*

in pa-

in paternis ſuis grauida inueniatur: ne fortè cum viro commorata tranſgrediatur, aut certè ſterilis efficiatur. Pulchrè ait, filiam eſſe quandam vigiliam latentem, & abſconſam in corde paterno: adeò vt hæc ſolicitudo ei auferat ſomnum, videlicet timendo ne filia flore ætatis abutatur, vt litera Græca dicit. aut certè timendo ne cum coniugato commiſceatur, & adultera efficiatur. quod licet nonnunquam ſecretò fiat, vix tamen celari poteſt, quin poſtea coniugata, fornicatione comperta, viro fiat odibilis. reliqua ſunt clara, excepto verbo, quod Lyranus exponit, aut certè ex nimio concubitu ſterilis fiat. Nam libido in tenera ętate nimiam appetentiam mouet: hæc nimium cōcubitum: hinc prodit ſterilitas. Poteſt item exponi, aut certè, in pœnam libidinis admiſſæ in domo paterna, Deus faciat ſterilem in domo mariti. *Lyranus.*

4 *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam: nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, à detractione in ciuitate, & obiectione plebis, & confundat te in multitudine populi.* Luxurioſam, id eſt, quæ dictis & factis ſe libidinoſam oſtendit. hanc cuſtodi, ne inimici tui probro tibi dent, quòd filiam habes fornicariam. Hanc cuſtodi, propter detractionem & obiectionem plebis. id eſt, ne tibi in ciuitate & plebe detrahatur, & vitium filiæ patri obijciatur. Hanc demum cuſtodi, ne quando confundat, & pudore te afficiat in multitudine populi, qui fornicariam filiam lapidibus obruet.

Deut.22. ruet. Nam lapidabat populus eam, quam vir virginem non inueniebat.

5 *Omni homini noli intendere in ſpecie: 2. & in medio mulierum noli commorari: De veſtimentis enim procedit tinea, & de muliere iniquitas viri. 3. Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciēs, & mulier confundens in opprobriū.* Ex Iſaia do-
Iſaiæ 2. cemur, quòd Iudæi pueris alienis adhærebant. Id prohibet Author, iubens ne intendamus in ſpeciem quãuis elegantem hominis. 2. Iubet non cõuerſari cum mulieribus.
Hieronymus. Scitum illud D. Hieronymo adſcriptū, Fœmina ignis: vir ſtuppa: & diabolus ſufflat.
3. Reg. 11. Quis crediſſet Salomonem ita caſurum? at cecidit, quia cum mulieribus conuerſabatur. ſi cecidit viuens cum proprijs, quomodo tu ſecurus eris cum alienis? Iam vt naturale eſt oriri ex veſte tineam: ita ex fœmina viri concupiſcentiam. tibi nihil tale volenti, naſcitur tinea veſtis: ita nihil tale volenti, imò repugnanti, naſcitur ex fœmina deſiderium. 3. Igitur melius eſt verſari cum homine iniquo, quàm cum fœmina blãda. Illius enim iniquitas te eijcit, & auocat à ſe: at huius blandimēta te attrahunt, & prouocant ad ſe. Iniquum virū omnes odiunt: blãdam fœminā vix eſt qui non amet.

TERTIA PARS.
De laudibus Dei.

1 *MEmor ero igitur operum Domini: & quæ vidi annuntiabo in ſermonibus Domini opera eius.*

Hacte-

Hactenus Author formauit mores noſtros: nunc iam fini libri propinquus, quod in eo reliquum eſt, expendit in laudibus Dei, ſanctorum patrum, & in hiſtoria rerum ſuarum. Senſus verborum quæ dixit eſt: Iam memor eſſe volo operum Domini: & quæ per reuelationem vidi, annuntiabo. ſ. opera Domini: non ſermonibus proprijs meis, ſed ſermonibus eius. ¶ Nota primò, quæ vidi, annuntiabo. Hic Author erat propheta, atque ideo quę ſcribebat videbat in prophetico lumine. De quo vide S. Tho. Ideo inquit, quæ vidi. vt & Iſaias ait, Viſio Iſaiæ prophetæ, quam vidit, &c. & aliàs ſæpe. ¶ Nota ſecundò, in ſermonibus eius. Ergo ſermones Authoris ſunt ei inſpirati à Deo: vt non ſolùm Deus illi reuelaret, quæ videbat: ſed inſpiraret, quæ ſcriberet. iuxta illud, Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. S.Tho.2.2. Iſaia 1. 2.Pet.1.

2 *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius* Hæc eſt prima & maxima Dei laus, quòd Sol non immotus, ſed gyrans cælum, & illuminans, reſpicit, & implet omnia: at maior eſt gloria Dei. Nam omne opus Dei plenum eſt gloria & maieſtate Diuina, Deo penitus immoto manente. Sol ſolùm reſpicit (vt ſolet oculus noſter) res à ſe longè diſſitas: at verò Deus non à longè reſpicit, ſed intimè eſt in omnibus nobis, ita vt quæuis res ſit plena Deo. & intimior eſt Deus cuiuis rei, quàm res ipſa ſibi. ¶ Nota primò, Solem antiquis

credi-

creditum animal, imò Deum, qui omnia
reſpiciat. ideo vocatum oculũ mundi. hoc
tamen loco id non aſſeritur, ſed metaphori-
Pſal. 18. cè, vt cæli enarrant gloriam Dei, ita Sol re-
ſpicit. quia facit nos reſpicere. ¶ Nota ſe-
cundò, Deum eſſe vbique per intimam præ-
ſentiam. cui enim illi non adeſſet, eſſe non
Actor. 17. poſſet. Nam in Deo viuimus, mouemur, & ſumus. Et item, In ipſo & per ipſum ſunt o-
mnia. ¶ Nota tertiò, non minorē eſſe Deum
Rom. 11. in verme, quàm in cælo: ſed quoduis opus
Dei plenum eſt gloria Dei. licet in cælo hæc
gloria videatur, in verme non ita videatur.

3 *Nónne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia ſua, quæ confirmauit Dominus omnipotēs ſtabiliri in gloria ſua?* Liceat huius loci hunc
ſenſum afferre: Eſt hæc egregia Dei laus,
quòd in ſua beatitudine fecit ſanctos ange-
los: vt hi enarrarent mirabilia Dei, dicētes
Iſaiæ 6. inceſſabili voce, Sanctus, Sanctus, &c. Si quę-
ras quæ ſint mirabilia, quæ Sancti in cælo
ſemper enarrant? Sunt illa certè, quæ Do-
minus omnipotens confirmauit, ac ſtabilia
fecit in gloria ſua. Planè multa ſunt in hoc
mundo mirabilia Dei: ſed hæc non confir-
mauit Deus, vt ſtabilia eſſent. at gloria bea-
torum, viſio Diuinæ eſſentiæ, eius amor, ci-
uitas cæleſtis, cæli conuexum, ſtellarum or-
dines, hæc ſunt mirabilia, vt ſtabilia, ita di-
gniſſima, quæ à ſanctis Angelis continenter
enarrentur. ¶ Habet hîc Theologus cau-
ſam, quare Deus Sanctos crearit? ſ. vt hi e-
narrent mirabilia Dei. Paulus aliam cau-
ſam

ſam dedit, ſ. vt in eos oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ. ¶ Habet ſecundò, Sanctos in gloria enarrare omnia mirabilia Dei: vtpote qui cognoſcunt in Deo omnes creaturas, quas Deus creauit. Tritum enim eſt in Schola, Beatos noſſe quæ Deus continet eminenter omnia: licet non quæ formaliter continet. Rom.9.

Abyſſum, & cor hominum inueſtigauit: & in aſtutia eorum excogitauit. 2. Cognouit enim Dominus omnem ſcientiam, 3. & inſpexit in ſinum æui: 4. Annuntians quæ præterierunt & ſuperuentura ſunt, 5. reuelans veſtigia occultorum. 6. Non præterit illum omnis cogitatus, non abſcōdit ſe ab eo vllus ſermo. Tertia Dei noſtri laus eſt, quòd omnia omnino ſciat: etiam abyſſum, (id eſt, quæ in intimis maris ſunt) etiam cor hominum: (quod Ieremias dixit eſſe prauum & imperſcrutabile) at Deus omnes hominum aſtutias habet præuiſas & excogitatas. 2. & cognouit Dominus omnem ſcientiam, & artem, & quicquid ſciri poteſt. 3. *Et inſpexit in ſinum æui.* ſinum, habet liber meus, & item Iſidori Clarij: reliqui libri habent, ſignum: Græci habent, ſigna. Credo ego omnia reduci ad vnum ſenſum. Vbi nota, obiectum intellectus Diuini æternitatem ſuam eſſe. æternitas verò eſt vnum punctum indiuiſibile, in ſe tamen comprehēdens omne æuū, & omnia tempora. eſt enim velut ſinus vbi tempora & æuum omne concluditur. Eadem æternitas eſt ſignum ac punctum indi- 4 Ierem.17. Iſidorus.

 uiſi-

uiſibile, vnde incipit, & finitur omne ęuum. Eadem igitur eſt obiectū, in quod Deus inſpicit: eadem eſt ſinus æui: eadem ſigna, & ſignum æui. Eſt ergo illuſtriſſima Dei quarta laus, quòd in æternitatem reſpiciat: in qua præſentiſſimè omnia videntur. Vnde quinta laus Dei procedit, ſ. quòd annuntiet certò ea, quæ præterierunt, & quæ futura

Geneſ. 1. ſunt. Annuntiauit enim Moyſi quæ præterierant in mundi creatione. Annuntiauit &

Prouer. 8. Salomoni, cùm dixit de Sapientia, Ab initio & ante ſecula creata ſum. & item, Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum.

Sap. 9. & cùm dixit, Sapiētia tua quæ affuit tecum, cùm orbem terrarum faceres. Annuntiauit & Eccleſiaſtico, cùm de Sapientia dixit, quæ

Eccli 24. in cap. 24. explicata ſunt. Prophetis verò annuntiauit ventura, quod ſolius eſt Diui-

Iſaiæ 4. nitatis. iuxta illud, Annūtiate quæ ventura

Iſaiæ 45. ſunt, & ſciemus quia dij eſtis. vide etiā Iſaię 45. Nam quæ annuntiarunt Idola, apertiſſimè fuerunt mendacia. 5. Ex eadem quarta Dei laude manat & ſexta, ſ. quòd reuelet veſtigia occultorum, id eſt, ſpecies & ſimula-

Geneſ. 41. chra occultorū. vt reuelauit Pharaoni ſpi-

Geneſ. 37. cas: Ioſepho, manipulos: pincernæ, botros:

Geneſ. 40. piſtori, caniſtrum: Nabuchodonoſori, ar-

Dan. 4. borem: Balſaſari, digitos, qui ſcribebant.

Dan. 5. hæc enim omnia erant veſtigia & indicia futurorum, quæ tam erant occulta. Ex eadem quarta venit Dei ſeptima laus, quòd non eum lateat omnis cogitatus. Quod in

Iohan. 2. Chriſto indiciū fuit Diuinitatis. Ipſe enim

ſcie-

ſciebat, quid intus eſſet in homine. & item,
Videns Ieſus cogitationes eorũ dixit, Quid *Luc.5. 11.*
cogitatis mala in cordibus veſtris? Ex eadẽ
quarta venit octaua laus Dei, quòd non abſ-
condatur ab eo omnis ſermo. Quod etiã di-
citur de Spiritu ſancto, cùm ait, Spiritus Do- *Sap.1.*
mini repleuit orbem terrarũ: & is ſpiritus
qui cõtinet omnia, ſcientiã habet vocis. &c.

Magnalia Sapientiæ ſuæ decorauit, qui eſt ante 5
ſeculum, & vſque in ſeculum: neque adiectum eſt,
neque minuitur, & non eget alicuius conſilio. Vi-
detur mihi perſtare in laudibus Dei ex Sa-
pientia. vt ſit hic ſenſus: Qui eſt ante & poſt
ſecula, decorauit magnitudinẽ & infinita-
tem ſapiẽtiæ ſuæ. Quæris quomodo decora-
rit? ſ. edẽdo opera tam perfecta, vt nihil eis
liceat addere, nihil demere. Dei enim perfe- *Deut.32.*
cta ſunt opera: vtpote qui nullius egeat cõſi-
lio ad ſua opera peragenda. Vidit ergo Deus *Geneſ.1.*
cũcta quæ fecerat, & erãt valde bona. Quòd
ſi eſt, qui ea audeat reprehendere, ita eſt inſi-
piens, qui dixit in corde ſuo, Non eſt Deus. *Pſal.53.*

Quàm deſiderabilia omnia opera eius, & tan-
quam ſcintilla, quæ eſt conſiderare! Omnia hæc vi-
uunt & manent in ſeculum, & in omni neceßitate
omnia obaudiũt ei. Eſt laus nona Dei ab operi-
bus ſuis. De quibus primùm dicit: O quàm
pulchra, admiranda, & amanda ſunt opera
Dei! Certè vt dicat Rex ille, Delectaſti me *Pſal.91.*
Dñe in factura tua. Certè quia ab illo ſunt,
amanda ſunt: & quia ipſe illa fecit, amãdus
item eſt. Dicit ſecundò: Hęc opera Dei ſunt,

Deut.4. vt ſcintilla proſiliens ex illo Deo, qui ignis
Yſaia 40. conſumens eſt. Iſaias dixit omnia eſſe reſpe-
ctu Dei, vt ſtilla ſitulę. Author dicit, hæc ele-
menta, hos quos videmus immenſos cælos,
ſcintillam eſſe Diuinitatis. Dicit tertiò, Hęc
omnia Dei opera eſſe conſiderare, id eſt, eſſe
digna omni conſideratione. adeò, vt ſi vel
culicem attentè conſideres, obſtupeſces, ad-
mirans infinitatem Sapientiæ in tam exi-
guo animalculo. Dicit quartò, omnia Dei
opera viuere, id eſt, durare: vel in ſe, vt cæli:
vel in ſua ſpecie, vt inferiora. Quod planè
infinitam Dei arguit prouidentiam: vt nec
vnquam muſcæ, pulices, & culices deſint.
Pſal.148. Statuit enim ea Deus in ſeculum, & in ſecu-
lum ſeculi. Dicit quintò, omnia Deo pręſtò
eſſe in quauis neceſſitate. Teſtes ſunt ſtellæ,
Baruch 3. quæ vocatæ dicunt, Ecce adſumus. Teſtes
Geneſ.7. aquę diluuij, Deo ſeruientes ad delendũ or-
bem. Teſtes muſcæ, ciniphes, & locuſtæ va-
ſtantes AEgyptum. Teſtes denique peſtis,
fames, gladius, quæ cùm vocantur, epulan-
Eccli 39. tur in mandatis Dei. vt ſuprà diximus.

7 *Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fe-
cit quicquam deeſſe.* Perſtat in laudibus Dei ex
operibus ſuis. quia fecit omnia habere ad-
uerſarium ſuum: nec fecit quicquam in
hoc orbe inferiori, cui deſit ſuum contrari-
Eccli 33. um. vt ſuprà dictum eſt. Tu adde: Fecit De-
us corporalia ex materia & forma, quarum
Ariſtoteles. illa huic machinatur maleficiũ: vt Ariſto-
teles dixit. fecit hominẽ, ex ſpiritu & carne:
animalia, ex qualitatibus aduerſis: annum,
ex tem-

ex temporibus contrarijs. *Vniuſcuiuſque confirmabit bona.* Id eſt, Licet omnia habeant ſuum contrarium, at vnum cõtrarium ex altero firmatur. perit calor ſine frigore: pulchreſcit album ex nigro: ſubſiſtit materia ex forma. Senectus iuuat conſilio: iuuentus, viribus. Nobiles iuuant vulgus armis: vulgus illos, cibo, &c. His dictis, exclamat Author, *Et quis ſatiabitur videns gloriam eius?* Senſus eſt: Quis vnquam tædio afficietur opera Dei conſiderans? Ego illud addo, Authorem hîc exclamaſſe dicendo: Si Deus talis, tantusq́ eſt, quis in cælo ſatiabitur videns Dei infinitatem? Dices, Dauid dixit,
Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Ita pla- *Pſal.16.*
nè. nam qui edunt eum, adhuc eſurient: & *Eccli 24.*
qui bibunt, adhuc ſitient. quia ita illa viſio replebit ſinus animæ, vt ſatiet: ita placebit, ac ſi vacui ſinus eſſent.

CAPVT XLIII.

Laudat Deum ex operibus ſuis. Firmamentum.

ALtitudinis firmamẽtum pulchritudo 1
eius eſt, ſpecies cæli in viſione gloriæ. Tres phraſes Hebræas hic lector agnoſce. Prima eſt, firmamentum altitudinis, id eſt, al-
tiſſimum. vt apud Paulum, Filius dilectio- *Coloſſ. 1.*
nis, id eſt, dilectiſſimus. & Chriſtus Iudam
vocat filium perditionis, id eſt, perditiſſi- *Iohan.17.*
mum:

1.Reg.20. mum: & Saul Dauidem filium mortis, id eſt, digniſſimũ qui moriatur. Secunda phraſis eſt, pulchritudo eius, ſ. Dei, pro re pul-
Pſal.67. cherrima. Nam montes Dei dicuntur cel-
4.Reg.1. ſiſſimi: homo Dei, id eſt, diuiniſſimus: filij
Geneſ.6. Dei, id eſt, ſublimiſſimi, aut ſanctiſſ. ita pulchritudo Dei, id eſt, pulchritudo maxima. Tertia phraſis eſt, in viſione gloriæ, id eſt,
Pſal.75. viſio glorię. vt, Factus eſt in pace locus eius. id eſt, pax eſt locus eius. Iam lector habes ſenſum textus noſtri: ſ. Firmamentũ altiſſimũ eſt pulchritudo maxima: & ſpecies eius eſt viſio gloriæ, id eſt perinde ac ſi gloriam videres. ¶ Nota lector, non eſſe hîc ſermo-
Geneſ.1. nem de firmamento quod diuidit aquas ab aquis, quem aerem hunc plerique arbitrãtur:
Eodem. ſed de firmamẽto vbi ſunt ſtellæ diſſeminatæ, quod ſ. quarto die ſtellis decoratum eſt.

Sol.

2 *Sol in aſpectu annuntians in exitu, vas admirabile opus excelſi. In meridiano exuret terram; & in conſpectu ardoris eius quis poterit ſuſtinere?* Licet Sol vbique ſit admirabilis, eſt tamen potiſſimè in tribus poſituris. ſ. in ortu, cùm primùm aſpicitur. tunc maximè mirãdus eſt.
Pſal.18. tunc enim tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultat vt gigas ad currẽdam viam ſuam. Secũdò in exitu, ſiue in occaſu, quando annũtiat aut ſerenum, aut ventos, aut pluuias. hæc enim ex Solis occaſu cognoſcũtur. quod ſummæ eſt admirationis. Rectè igitur vocatur vas admirandum: ex phraſe Hebræa, quæ vas ſumit pro inſtru-

mento,

mento. quo ſ. Deus cunctis rebus dat vitam, & hilaritatem: & eſt nihilominus vas concludés intra ſe vires rerum inferiorũ. quod ſi penetras, ſtatim fateberis eum eſſe mirabilem. Rectè etiam appoſuit, opus excelſi. id eſt, opus dignũ Deo. quod ſ. vices Dei gerat in machina cæleſti, atque in orbe corporeo. Tertiò, mirandus eſt Sol tẽpore meridiano, cùm ſ. terrá exurit ardore. ſ. tempore ęſtiuo. Sed eo ardore fructus terræ coquit: terram opibus ditat, & eas homini ſubminiſtrat. *Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radijs ſuis obcæcat oculos.* Senſus videtur eſſe: Eſt artifex (vt qui vitrũ facit) qui cuſtodit fornacem, fomẽta lignorum continẽter ſubdens, vt ſemper ardeat, nec vnquã deficiat. at non ita Sol: is enim fornacem ſuam, id eſt, ignẽ ſuum perpetuò, ſine alienis fomẽtis cuſtodit, ad opera ardoris. nam in ſpeculis cauis, in ſphærulis vitri, & alijs rebus, ſine vllo igne, Sol ardere facit rem ibi ſubiectã. O rem mirabilẽ! Ignis Solis iugiter perſeuerat, ſine vllo fomẽto. Iã Sol tripliciter operatur. Siquidẽ exurit mõtes: igneos torrẽtes euomit: ac longiſſimè refulget. Cuius rei teſtes ſunt AEtna mons, à Solis exuſtus ardore: igneos amnes, velut radios exufflãs, atq; eiecta flãma refulgens. nec AEtna ſolus: ſed & alij montes, quos Plinius multos refert. *Plin. lib. 2. c. 106.* Demũ Sol radijs ſuis obcęcat oculos. tãta eſt illi clariſſimæ lucis abundantia, vt nequeãt mortales eã oculi nõ conniuẽtes ſuſtinere.

3 *Magnus Dominus qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter.* Ac ſi diceret: Res longè pulcherrima eſt Sol: ſed longè pulchrior & maior eſt Deus. ſiquidem ad eius ſermonem atque præceptum Sol ſuum feſtinat, & accelerat iter: vt quando retroceſſit decem

4.Reg.20. lineis tẽpore Ezechiæ Regis. Imò quotidie accelerat, & currit viam ſuam, ex Domini

Pſal.18. ſui mandato: vt in Pſal. dicitur. Græci non habent, feſtinauit, ſed, ceſſauit iter: vt indi-

Ioſue 10. cent hiſtoriam Gabaonitarum, cõtra quos Ioſue pugnans, Solẽ ab itinere ceſſare fecit.

Luna.

4 *Et Luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum æui. A Luna ſignum diei feſti: luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundùm nomen eius eſt, creſcẽs mirabiliter in conſummatione.* Multa de Luna dicit. Primum: Sicut Sol ex Dei ſermone ſuum feſtinat iter, ita & Luna in omnibus facit: in omni curſu ſuo Dei ſequendo præceptum: tempore tamen ſuo. nam Sol annum exigit in curſu: Luna menſem. Secũdò dicit: Luna eſt oſtenſio temporis: quod priùs Moſes ex Dei ver-

Geneſ.1. bo dixerat. Fiant, inquit, luminaria in firmamento cęli, & diuidant diem ac noctem: & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos. quod Deus dixit, ſint in tempora, Author dicit, ſit oſtenſio temporis. eſt autem Luna oſtenſio temporũ, id eſt, mẽſium. quos Iudęi per lunationes computabant. Tertiò dicit, Lunam eſſe in ſignum æui. Id dixerat Deus,

ſint

ſint luminaria in ſigna, ſ. ſerenitatis, vento-
rum, pluuiarum, caumatum, &c. Quartò, Luna eſt ſignum diei feſti, ſ. Neomeniæ, & potiſſimè Paſchæ, quod primo menſe, 14. Luna Iudæi celebrabant. Erat autem eis hu- *Exod. 12.*
ius feſti religio ſumma. ac ideo ab hoc officio Lunam laudat Author. Quintò, grande miraculũ eſt, quòd Luna minuatur in conſummatione, id eſt, cùm abſoluit curſum ſuum. ſiquidem reliqua omnia ſydera nunquam minuuntur: imò ſemper in eodem ſtatu conſiſtunt. Sextò inquit, Menſis ſumit nomẽ à Luna. quod intellige apud Hebręos, quibus יראח Iareah eſt menſis, eſt itidem Luna. vult ergo tantam rem eſſe Lunam, vt ab ea menſis ſumat nomen & computum. erant enim Hebræis menſes lunares, vt ſunt nobis ſolares. Septimò, Luna creſcit mirabiliter donec perfectum lumen acquirat. Vide hæc apud Plinium. ¶ Nota lector ver- *Plin. lib. 2. c. 9*
bum illud, & Luna in omnibus, in tempore ſuo, quod verbum ſummam habet philoſophiam, & ſummas Lunæ laudes. Senſus enim eſt, quòd omnia hæc inferiora ferè ſubſunt Lunæ, & gubernantur à Luna. vide æſtus maris, plantationes, ſectiones, & inſitiones arborum: collectiones fructuum: infirmitates lunaticorum: phlebotomias infirmorum: & demum nihil ferè eſt in hoc orbe noſtro, quod quadamtenus non pendeat à Luna.

Stellæ.

Vas castrorum in excelſis, 2. in firmamento ce- 5

li reſplendens. 3. Species cæli gloria ſtellarum, 4. mundum illuminans in excelſis Dominus. 5. In verbis Sancti ſtabant ad Iudicium, 6. & non deficient in vigilijs ſuis. Stellæ vocantur vas caſtrorum, id eſt, arma bellica. Nam Hebræis כלי cheli, ſignificat vas, & arma. Eſt verò S. Scripturis familiare, ſtellas vocrte militi-

Deut.17. am cæli: vt Deut.17. Solem & Lunam, & o-

4.Reg.17.21. mnem militiam cæli. Idem habetur 4.Reg.

Iſaiæ 24.34. & apud Iſaiam. Ergo quam Scriptura vocat militiam cæli, Author vocat vaſa caſtrenſia, id eſt, arma bellica. Et equidem ſi magnis Ariſtotelis ſectatoribus placuit ſingulas ſtellas ſingulos Angelos habere motores: & ſanctæ literæ vocant Angelos mili-

Iſaiæ 6. tes, (ideo enim Deus vocatur Deus Sabaoth, ſiue exercituum) arma horum militũ erunt ſtellæ. Sed hæc Peripatetica ſunt, non adeò noſtra. Secundò ait, ſtellæ in firmamento

Geneſ.1. cæli reſplendent: habetur id in Geneſi, vbi dicitur poſuiſſe Deum die quarto ſtellas in firmamento cæli. Hoc cælum doctis vocatur octauum. Tertiò inquit, Speciẽ, ſeu pulchritudinem cæli, eſſe gloriam ſtellarum. Addit quartò, non ſolùm ſtellarum gloriam eſſe cæli decorem, ſed eſſe etiam, quòd mundum illuminent. maximè id verum eſt nocte, quæ à ſtellis lumen acquirit. Porrò illud verbum, in excelſis Dominus, eſt velut apoſiopeſis: qua ſignificatur cauſa, cur ſtellæ exornent cælum, ſ. quia eſt in eis Dominus: & dignum eſt, ſedem Dei his luminibus exornari. Quintò dicit, Stellæ ſtabunt

bunt in verbis Sancti. id eſt, Si Deus ſanctus dixerit, vt ſtellæ ſtent, ſtabunt promptæ, expectantes Dei iudicium, & decretum: tenebuntq́ iter ſuũ, licet curſu rapidiſſimo currant. Sextò dicit, non deficient, ſeu non delaſſabuntur in vigilijs ſuis. De hac re habes apud Baruch dicentem, Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt. *Baruch 3.* Id eſt, quæuis ſtella habet locum, ſeu ſtationem ſuã, veluti miles in caſtris. In ea nunquam delaſſatur aut deficit: ſed perpetuò eadem perſeuerat.

Arcus cæli, iris.

Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo. Gyrauit cælum in circuitu gloriæ ſuæ: manus Excelſi aperuerunt illũ. 6
Vide, inquit, arcũ, & ne in eius decore conſiſtas. inde aſcende, vt Deum benedicas, qui fecit illum. Quo verbo alluſit ad illud dictum Domini, Arcum meum ponam in nubibus cæli, &c. *Geneſ. 9.* ad quod etiam alluſit quod ſequitur, manus Excelſi aperuerunt illum. Neque enim leuiculum eſt dicere, num ante diluuium arcus cæli fuerit? an verò Deus arcum poſt diluuium fecerit ad pacem cum hominibus ineundam. Tu vide Abulenſem in c. 9. Geneſ. *Abulenſis.* Quod autem ait, gyrauit cælum, verificatur, quia mediam cæli partem, cùm Sol in occaſu eſt, arcus cæli gyrat.

Nix, fulgura, pluuiæ, nubes, grando & alia meteora.

Im-

7 *Imperio ſuo accelerauit niuem, 2. & accelerat coruſcationes emittere iudicij ſui. 3. Propterea aperti ſunt theſauri, 4. & euolauerunt nebulæ ſicut aues. 5. In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis.* Imperio ſuo, ſ. Dei. nam non refertur ad arcum. Ergo Deo imperante feſtina cadit nix, iuxta illud, Qui dat niuem ſicut lanam. Habet verò emphaſin verbum, accelerauit. id eſt, ſtatim ac Deus niui præcipit, vt veniat, celerrimè illa venit. Secũdò, accelerat coruſcationes. Dictu enim mirum eſt, quàm celeriter corruſcatio fulgeat. Porrò vocantur coruſcationes iudicij, quia dies Iudicij frequentiſſimis & vehementiſſimis coruſcationibus horribilis erit. Iuxta illud, Alluxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ &c. Aut etiam, quia iudicium & vindictam faciebat olim Deus contra Iudæorum hoſtes, coruſcationibus eos deterrens. Iuxta illud, Fulgura multiplicauit, &c. Tertiò inquit, propterea aperti ſunt theſauri. Geneſ. 7. habetur, quòd vt diluuiũ veniret, aperti ſunt fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli. Iam in Pſal. dicitur, Aperti ſunt fontes aquarum. vt ſ. grandis pluuia veniret. & in alio Pſal. dicitur, Ponens in theſauris abyſſos. & in alio Pſal. Qui producit ventos de theſauris ſuis. Ex his locis colligitur, Deum habere theſauros & reconditoria in mari, ſeu abyſſo magna, vnde cùm vult producat pluuias: habere etiam theſauros & repoſitoria in aere, vnde ven-

Pſal. 147. *Pſal. 96.* *Pſal. 17.* *Geneſ. 7.* *Pſal. 17.* *Pſal. 32.* *Pſal. 134.*

ventos, coruſcationes, niues producat & grandines. Dicente Domino ad Iob, Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? Ergo quia poſt coruſcationem grandis ſolet deſcendere pluuia, meritò dicit, propterea, id eſt, propter coruſcationem aperti ſunt theſauri & in mari,& in aere,vt inde pluia ruat. Quartò inquit, euolauerunt nebulæ, ſicut aues. dictu enim mirum, quomodo coruſcationibus euaneſcentibus, & pluuia ceſſante, nubes euolent, vt aues, cælo effecto ſereno, ac ſi tempeſtas non præceſſiſſet. iuxta illud, Poſt tempeſtatem tranquillum facis. At, nónne mirabile eſt, miſceri fulguribus aquas:& tam denſarum nubium horrorem ita auolare? Quintò ſubdit, In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis. Id eſt, in magnitudine potentiæ ſuæ aggregat nubes, quæ cùm ſint ex ſe leues, & molles, at inde Dei potentia decidere facit coactos in lapidem grandines, Dauid dixit de grandinibus, Emittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas. Author buccellas vocat lapides quos è ſublimi Deus eiaculat.

Iob 38. — Tob.3. — Pſal.147.

Terræmotus, venti, tonitruum, turbo, nix, pruina, gelu, &c.

In conſpectu eius commouebuntur montes, 2. & in voluntate eius aſpirabit Notus. 3. Vox tonitrui eius verberauit terram, 4. tempeſtas Aquilonis, & congregatio ſpiritus. 5. Et ſicut auis deponens ad ſeden- 8

ſedendum aſpergit niuem, & ſicut locuſta demergens deſcenſus eius. Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus, & ſuper imbrem eius expaueſcit cor. 6. Gelu ſicut ſal effundet ſuper terram: & dum gelauerit fiet tanquam cacumina tribuli. 7. Frigidus ventus, Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua. Super omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut lorica induet ſe aquis. Et deuorabit montes, & exuret deſertũ, & extinguet viride ſicut igne. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ: & ros obuians ab ardore venienti humilem efficiet eum. Id eſt, Deo aſpiciẽte, non terra modò tremet: ſed & montes, qui graui mole conſiſtunt. Alluſit Author ad illud,

Prouer. 8. Qui reſpicit terram, & facit eam tremere. Et

Pſal. 103. illud, Aſpexit, & diſſoluit gentes, contriti

Abac. 3. ſunt montes ſeculi. & infrà, Viderunt te, &

Eodem. doluerunt montes. Eſt igitur terra ad modum pauidi ſerui, qui tremit, ſi iratior eum aſpexerit herus. 2. Auſter ventus, qui nimbifer eſt, à Dei voluntate venit. non negatur, quin ab exhalationibus & vaporibus fiat: at præcipuè eum Deo debemus. 3. Tonitrui fragor à Deo eſt. fragor, inquam, qui velut verberat terram, & dolere facit. adeò, vt ex eius horrore grauidæ abortire ſoleãt. quod vt ſignificetur, Gręcis pro verberauit, dicit, parturire fecit. 4. Tempeſtas, quæ ex vento Aquilone fit, & turbo ex congregatione ventorum ſibi occurrentium, ſupple, etiam à Deo eſt. Eſt verò manifeſtum, ſumi ſpiritum hoc loco pro vento. 5. Deus porrò

Ariſtot. in Meteoris.

aſper-

aſpergit niuem ſuper terram, velut ſi gallinam ſuper oua collocaret. vt enim auis ſuo calore oua fœcundat: ita nix ſuo in terram caſu, eam fouet, & fœcũdam reddit. Is enim annus felix eſt, qui niuoſus eſt. ſ. niue terrã fœcundante. & deſcenſus eius eſt ſicut locuſta deſcendens. nam flocci niuis cadentes aſſimilantur locuſtis è ſublimi in terram venientibus. Addit Author duo eſſe in niue miranda. ſ. candor, & copia. Candorem niuis quis non miretur? Ei enim Chriſti trãſfigurati veſtimenta comparata ſunt. Copiã verò, imbremq; adeò frequentem quis non expaueſcat, id eſt, attonitus contempletur. *Matth. 17.*
6. Idem Deus gelu, id eſt, pruinam (vt habet litera Græca) effundit ſuper terram ad modum ſalis. videtur enim terra pruina reſperſa, ſale eſſe reſperſa. Quòd ſi contingat pruinam gelari, tunc pali & herbæ acquirunt apices acutos, & acumina, vt habent tribuli. 7. Iam ſi ventus frigidiſſimus, qualis eſt Aquilo, flauerit, tunc gelatur aqua, duraq; & tranſparens in cryſtalli modum efficitur. Ergo tunc gelu quieſcit ſuper omnem congregationem aquarum. nam gelantur lacus: gelantur flumina, adeò, vt ſuper ipſis carri tranſeant onuſti: gelatur deniq; mare. nam ideo mare glaciale nuncupatur. Itẽ gelu induit aquas loricâ, eſt enim gelu velut lorica aquarum inferiorum. Vt enim lorica impenetrabilis eſt ſagittis: ita quam gelu gelauit aquam, duram, ac impenetrabilem reddit. Rurſum gelu deuorat

mon-

montes,exurit deſerta,& extinguit omnem rem viridem, ac ſi ignem paſſa eſſent. Ita enim gelu depaſcitur arbores, gramina & omnia viridia,ac ſi ignis eſſet. Sed quia textus meus habet, ſicut ignem, ita intellige; Gelu extinguit omnem rem viridem,vt extingueret ignem, ſi ei admoueretur. Subdit denique Author, duplicem eſſe medicinam rebus tactis à gelu. Prior,ſi ſtatim poſt gelu nebula veniat. poſterior, ſi cadat ros, qui humiliet vim gelu, & refrigeret ardorem venientem à gelu. Ardor enim glaciei exurens herbas, humiliatur, & humectatur ab humore nebulæ atque roris. & ideo hæc ſunt rebus gelatis medicina.

Mare.

9 *In ſermone eius ſiluit ventus, & cogitatione ſua placauit abyſſum, & plantauit illũ Dominus Ieſus.* Videri non malè poteſt, ſenſum eſſe, quòd Dominus præcepto ſuo ventum ſilere facit atque ceſſare, ac ita quòd abyſſum tempeſtate iactatum placet. Sed altior mihi ſe offert ſenſus. Nam dicturus Author de mari, tradit priùs, quid in eo Deus fecerit in origine mundi. cùm enim mare tegeret terras, *Pſal.103.* adduxit Deus ventum,qui aquas maris corriuaret. ſpiritu igitur, qui ferebatur ſuper *Geneſ.1.* aquas,flante,aquæ aggregatæ ſunt in locum vnũ. Aquis verò iam aggregatis,ſiluit ventus,qui eas aggeſſit. & cùm interim aquę tumultuarentur,& in ſuum locum redire deſiderarent, placauit eas Dominus. & hoc vult Author cùm ait, cogitatione & ſapientia

tia ſuâ placauit abyſſum. quo placato, plã-
tauit illum Dominus. Quæris, quomodo
plantauit? reſpondetur ex litera Græca,
plantauit abyſſum inſulis. quia in loco vbi
erat priùs mare, terræ apparuerunt: quæ
inſulæ vocantur. quia ergo terras habita-
biles fecit Dominus in loco maris, ideo in-
ſulas in abyſſo plãtaſſe aſſeritur. Porrò ter-
ras gentium vocari inſulas, habemus in Ge-
neſi, cùm dicitur, Ab his diuiſæ ſunt inſulæ *Geneſ.10.*
gentium in regionibus ſuis. & reuera qui at-
tentiùs conſiderarit, credet terras inſulas
eſſe. Porrò illud, Dominus Ieſus plantauit
inſulis abyſſum, videbitur incommodè di-
ctum. At ſi lector attendas verbum Iudæ, in
epiſtola ſua, intelliges prudentiſſimè dici.
Is habet, Scientes ſemel omnia, quòd Ieſus *Iudas in*
populum de terra AEgypti ſaluans, &c. Er- *Cano.*
go Chriſtus Dominus ſaluauit Iudæos de
AEgypto. Idem ergo plãtauit inſulis abyſ-
ſum. Licet enim tunc carnẽm necdum ha-
beret, Ieſus tamen ex carne ſuſcipienda di-
cebatur. Quod credes, ſi recolas verbum il-
lud Chriſti, In capite libri ſcriptum eſt de *Pſal.39.*
me. Si in principio Geneſis ſcriptum eſt de
Chriſto, (ſ. in capite libri, vt in Pſalmo di-
citur) ergo qui congregauit aquas, & diſco-
operuit terras, erat Dominus Ieſus. De quo
Abacuc dicit, Exultabo in Deo Ieſu meo. *Abac.3.*

Qui nauigant mare, narrant pericula eius: & audientes auribus noſtris admirabimur. Illic præclara opera, & mirabilia: varia beſtiarum genera, & omnium pecorum, & creatura belluarum. 10

Cœpit tractare de mari: nunc proſequitur, quòd ſit nauigabile: quòd ſit periculoſum: quòd intenti orà teneamus in narrantes pericula maris: quòd in eo ſint præclara opera, ſ. varia beſtiarum genera. tot ſ. quot ſunt beſtiæ & pecora in terra. Solet dici, in mari
Iohan. vlt. eſſe 153. piſcium ſpecies, quot ſ. Petrus piſcatus eſt ex Chriſti mandato. Quòd demum ſint belluæ illę immenſæ. ſ. ceti, qui non bel-
Iob 40. luæ videntur: ſed montes. de quibus Iob.

11 *Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis, & in ſermone eius compoſita ſunt omnia.* Locus eſt obſcurus: exiſtimo tamen eius ſenſum eſſe: Iter creaturarum omnium confirmatur & proſperè ſuccedit propter Deũ. Quia enim Deus finis eſt omnium, ideo quæ in finem ſuum proſperè veniunt, Dei cauſa veniunt. eſt enim ipſe alpha & ω, principiũ & finis. Ergo confirmari finem itineris, eſt rem firmiter ad finem venire. Si ergo veniunt arbores ad fructuum maturitatem: ſi ſegetes matureſcunt: ſi animalia perficiuntur, propter Deum perficiuntur. vt ſ. ipſi grata ſint, eius obediendo volũtati. Dictum enim eſt,
Prouer. 16. Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus. Addit Author, non ſolùm Deum eſſe finem finium omnium creaturarum, ſed eſſẽ medium earum: quia in ſermone & dicto eius omnia ſunt compoſita, conſtituta, & ſtabilita. Ergo nõ ſolùm Deus eſt principiũ & finis rerum: ſed eſt medium, per quod vi-
Rom. 11. ta rerũ conſiſtit. Igitur ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Qua ratione ſubdit

Au-

Author. *Multa dicemus, & deficiemus in verbis: conſummatio autem ſermonum, Ipſe eſt in omnibus.* Id eſt, Licet de Deo multa dici poſſint, deficient verba tamen, vt dicamus pro Dei dignitate. Sit hæc ſumma dictorum: Deus eſt in omnibus. Græcis eſt maxima Dei laus. Habet enim in hunc modum: Conſummatio verborum, IPSE EST OMNE. ſiue, Ipſe eſt vniuerſum. Quod verbũ habes frequenter dictum à Mercurio Triſmegiſto, vt *Triſmegiſtus.* videre eſt in Dialogo 9. & 10. ſed maximè quinto Pimandri. vbi ait: Vt veritatem liquidam fateamur, Deum eſſe cuncta fatebimur. Neque verò ab hac Theologia multum Paulus abhorret, cùm ait, Tunc Filius *1.Cor.15.* ſubiectus erit ei: vt ſit Deus omnia in omnibus. Et Ioannes dicens, Quod factum eſt, in *Iohan.1.* ipſo vita erat. Id eſt, omnes res factæ, in ipſo ſunt vita. Alluſit etiam huc Salomon, cùm Spiritum ſanctum vocauit mundum ſubti- *Sap.7.* lem. Qui locus explicat omnia. Sanè, mundus hic corporalis eſt, omnia corporalia corporaliter complectẽs. At Deus eſt mundus melior, omnia corporalia incorporaliter, & immutabiliter continens. vt meliùs ſimus omnes in Deo, quàm in nobis. Ideo Deus eſt omnia eminẽter. Ideo eſt principi- *Apoc.1.* um, medium, & finis: ideo via, veritas, vi- *Iohan.14.* ta. Cùm ergo noſter Author ait, Summam omnium eſſe, quòd Deus ſit in omnibus, intellige, vt principium, medium, & finis rerum. cauſa ſ. efficiens, conſeruans, & finalis vniuerſorum.

12 *Glorianteſ ad quid valebimus? ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua.* Id eſt, Nos gloriam Deo damus. At quò pertinget gloria, quam illi damus: cùm ſit ille omnipotens? Vincit enim omnem gloriam, quam illi dare poſſumus. Eſt enim ſuper omnia opera ſua, ſuperans ea, interuallo infinito: quomodo igitur laus, quæ ex operibus ſuis illi datur, non erit eo, infinito ſpatio minor? Eodem ſpectant ſequentia verba. *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius.* Cùm ait Deum terribilem, alludere videtur ad illud Iudæorum, Non loquatur nobis Dominus: ne fortè moriamur. Cùm ait, magnus vehementer, innuit, Nos adeò exiguos quid ad tãtam poſſe magnitudinem? Cùm demum ait, mirabilis potentia eius, indicat nos admirari poſſe potentiam Dei, nõ penetrare. nam ex ignorantia admiratio venit. *Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius.* Senſus eſt: Glorificantes Dominum glorificate quantum poteritis, adhuc enim infinita diſtantiâ ſuas ipſe laudes ſuperabit. Idem ſignificat ſequens verbum. *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis: maior enim eſt omni laude.* & rurſus ſequens. *Exaltantes illum replemini virtute: ne laboretis. non enim comprehendetis.* Id eſt, Si magno es ingenio, & acumine, indue virum: exere lacertos, vt Deum pro dignitate collaudes. atqui, ne in caſſum

Exod. 20.

Ariſtot. proœmio Metaph.

cone-

coneris. vincit enim te infinitis partibus. Cauſam, quare nemo illum dignè laudare poſſit, Author ſubdit. *Quis vidit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum ſicut eſt ab initio.* Si Deum nemo vidit vnquam: quomodo eum, quem nõ vidit, enarrabit? Ideo enim Chriſtus, vnigenitus Dei filius enarrat de Patre ſuo, quia eum vidit. & Ioannes non de Dei eſſentia, ſed de Chriſto dicit, Quod vidimus, quod audiuimus, & manus noſtræ contrectauerunt, hoc annuntiamus vobis. Dominus verò, Quod vidimus teſtamur. At quis, inquit, magnificabit Deum, enarrando eum, vt eſt à ſua æternitate? *Multa abſcondita ſunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius.* Eſt hæc altera cauſa: quia pauciſſima magnalia Dei vidimus, reliqua cæli nobis abſcondunt. Quomodo ergo ex tam paucis de tam multis pronũtiabimus? videmus hæc vilia, nihil videmus de Diuina maieſtate, de Angelicis choris, de glorioſa illa ciuitate. Iam neque vidimus quę ſunt in viſceribus terræ, in abyſſis maris, in exteris regionibus &c. *Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit Sapientiam.* Id eſt, Tam corporalia, quæ videmus, quàm cæleſtia, quæ non videmus, Deus fecit. Non, vt Manichæi dicunt, hæc Deus, illa dæmon fecit: ſed vnus eſt Deus omniũ Author. Cùm ergo omnia fecerit, & pauciſſima videamus, minimum eſt quod de eo dicere valemus. Nihilominus, ſi quis eſt, qui quicquam

Iohan. 1.
Iohan. 1.
1. Iohan. 1.
Iohan. 3.

de Deo dicere poſſit, pius eſt. nam pijs donum Deus dat Sapientiæ, per quam de eo, vt poſſunt eloquantur. Tu caue, ne Philoſophiam damnes humanam. Nam & hæc à
Iacob.1. Domino Deo eſt: à quo eſt lumen rationis, per quod illa paratur. Sed æſtima, & in magno pretio habes ſacram Scripturam, & diuinam Theologiam, quę nobis per pios homines communicata eſt.

CAPVT XLIIII.

PRIMA PARS.

Laudat in genere maiores.

1 L*Audemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* Id eſt, Poſtquam laudauimus Deum, laudemus etiam maiores noſtros, tam eos qui nos genuerunt, quàm eos qui nos viam Dei docuerunt. Illi enim genuerunt carne: hi ſuo modo ſpiritu. laudemus, inquam, quia inde
1.Cor.9. Dei laus procedit, procedit & noſtra. *In generatione ſua.* id eſt, quemque ſeculo ſuo.

2 *Multámq; gloriam fecit Dominus magnificentiâ ſuâ à ſeculo.* Id eſt, Dixi parentes noſtros glorioſos: certè quia Deus per magnificentiam ſuam à multis ſeculis multam gloriam in eis fecit, & demonſtrauit. Illam particulam, in eis, habent Græci. quâ hæc ſententia clareſcit. ¶ Nota cauſam, & principium vnde venit, quòd Deus ſanctos ſuos illuſtret.

Ea

Ea enim eſt, ſua magnificentia, largitas, & beneplacitum.

Dominantes in poteſtatibus ſuis, 2. homines ma- 3
gni virtute, 3. & prudentiâ ſua præditi, 4. nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum, 5. & imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba. 6. In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina in Scriptura. 7. homines diuites, 8. in virtute pulchritudinis ſtudium habentes: 9. pacificantes in domibus ſuis. Quia dixerat, Deũ dediſſe multam gloriam parentibus Iudæorum, explicat quomodo dederit. Primùm, quia fecit eos dominos in poteſtatibus, id eſt, in regnis ſuis (vt Græci habent.) Fecit ſ. Deus, vt eſſent Reges, à tempore videlicet Saulis. At 1. Reg. 9. 10.
inter bona temporalia nullum glorioſius regia dignitate. Secundò fecit, vt eſſent magni in virtute. ſiue, vt Græci habent, eſſent nominati & celebres in potentia. vt fuit celeberrimus Ioſue, Dauid, Salomon, &c. deſi- Ioſue.
gnarunt ſiquidem bellica virtute clariſſi- 2. Regum.
ma geſta. Tertiò fecit, vt eſſent prudentiſſimi. vt fuere Moſes, Ioſue, & reliqui Iudices, Iudic.
vſque ad Samuelem. Quartò fecit, vt eſſent in prophetis. Græcè eſt, in prophetijs: & tunc clareſcit ſenſus. Maiores noſtri in ſuis prophetijs nuntiabant ſuam dignitatem propheticam. vt Iſaias qui dixit, Ecce ego, Iſaiæ 6.
mitte me. & item, Dominus ab vtero voca- Iſaiæ 49.
uit me, &c. Et Ieremiæ dicit Dominus, Ad Ierem. 1.
omnia quæ mittam te, ibis. & alij Prophetæ

ſim nuntiant ſuam dignitatẽ propheticam,
Aggæi 1. cùm dicunt, Viſio quam vidi &c. Et factum
eſt verbum Domini in manu Aggæi, vel ad
Zach. 1. Zachariam &c. Sed ſi legas, in prophetis, vt
liber noſter, & alij habent, ſenſus eſt: Maiores
noſtri erant nuntiantes inter prophetas,
dignitatem propheticam ſuam. Quæ maxima
laus eſt: quam vt intelligas id nota. Licet
olim Deus multis dederit ſpiritum prædicẽdi
futura, atque ideo, vt eſſent ſuo modo
Num. 23. prophetæ, vt dedit Sibyllis, & Balaam:
atqui dignitatem propheticam, & canonicam,
ſolis dedit Iudæis. Qui agnoſcentes ſe
2. Pet. 1. Spiritu ſancto inſpiratos loqui, aſſerebant
ſe eſſe prophetas: ac ideo ſuam dignitatem
propheticam pronuntiabant. & propterea
horum prophetias Eccleſia, vt canonicas
ſuſcepit, & ſuſpexit. Iam eſt ſenſus apertus:
Parentes noſtri erant inter prophetas, qui
prædicebant futura, digniſſimi, nuntiantes
ſuam propheticã dignitatem, id eſt, dicentes
ſe eſſe verè Eccleſiæ prophetas. Quintò
fecit Dominus, vt maiores Iudęorum eſſent
imperantes ſuo populo, quem præſentem
habebant, & populis alijs, (propter ſuam
pudentiam) loquentes ſanctiſſima verba. vt
Ioſeph, qui non ſolùm populo Iudæo, qui
erat in AEgypto, ſed ipſis etiam AEgyptijs
tradidit, & præcepit ſanctiſſima verba. Iuxta
Pſal. 104. illud, Miſit Rex, & ſoluit eum, &c. Vt erudiret
Principes eius ſicut ſemetipſum: &
ſenes eius prudentiam doceret. Iam intelligis
illud, & in virtute prudentiæ imperantes

tes populis ſanctiſſima verba. Nam Ioſeph docuit AEgyptios religionem parentū ſuorum. Neque ſolus Ioſeph id fecit, fecit Dauid, Ezechias, & alij: quos non ſolùm populo Iudæo, ſed etiam alijs quos ſubijciebant populis, Diuina pręcepta tradidiſſe, credendum eſt. ¶ Conſultè Author dixit, ſuo populo imperantes, ſimpliciter: alijs populis in virtute prudentię. quia Princeps ſuo populo per imperium, alijs per prudentiam præcipit. Sextò fecit Deus Iudæos glorioſos, quia in peritia ſua requirebant modos muſicos, quibus carmina pangebant, quæ nobis ſcripta tradiderunt. vt Dauid, Aſaph, Idithum, filij Corah, Heman, &c. ¶ Nota, quòd licet Iubal fuerit pater canentium cithara & organo, forſan tamen Iudæi muſicam diluuio abolitam reſtituerunt: varia inſtrumenta muſica inuenientes, ad quæ ſuos in Dei laudem pſalmos concinerent. Septimò fuere glorioſi Iudæorum maiores in diuitijs. vt Abraham, Iſaac, Iacob. quos terra non capiebat, adeò erant illi ditiſſimi. ¶ Erat porrò tunc glorioſum, habere diuitias. nam eas Dominus dabat in præmium virtutis. Iuxta illud, Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis. & item, Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, &c. Octauò, erant illi glorioſi, quia ſtudium habebant in virtute pulchritudinis. id eſt, in pulcherrima virtute. Eſt enim phraſis Hebræa, altitudinis firmamentum dicere, pro altiſſimo firmamento. ita vir-

Geneſ. 4. *Geneſ. 13.* *Iſaiæ 1.* *Pſal. 127.* *Eccli 43.*

tus pulchritudinis, id eſt, virtus pulcherrima. ad quam comparandam, eius pulchritudine allecti illi maiores, totum ſtudium adhibebant. Græcis alius ſenſus eſt, ſ. habuiſſe Iudæos ſtudium in bellica virtute, vt Machab.1.2. Machabæi & alij. Nonò, maiores illi erant pacificantes, id eſt, pacificè viuentes in domibus ſuis. id eſt, in proſperitate & felicitate vitam ſuam traducentes. Nec enim ſemper bella gerebant: ſed bello pulchram pacem comparabant. *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus.* Concluſio dictorum eſt, ſ. quòd omnes prædicti per omnes gentis ſuæ generationes gloriam & celebritatem adepti ſunt, & in omnibus diebus gentis Iudææ habentur in laudibus. nam canuntur, & ſcribuntur carmina, & hiſtoriæ de laudibus eorum.

4 *Qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Et ſunt quorum non eſt memoria: perierunt quaſi qui non fuerint, & nati ſunt quaſi non nati, & filij ipſorum cum ipſis.* Id eſt, Ex illis viris glorioſis nati ſunt filij, digni, quorum laudes & nomina narrentur. Nati ſunt alij filij indigni memoriâ: qui perierunt, ac ſi non fuiſſent, non ipſi ſolùm, ſed & eorum filij. Nam ex Sanctis illis, & potentibus, filij non ſolùm boni, & memoria digni, ſed & mali, quos perpetua ſepeliuit obliuio, nati ſunt. Nec enim boni ſunt omnes, quos fert fructus arbor bona.

Sed

Sed illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates 5
non defuerunt: 2. & cum ſemine eorum permanet bona hæreditas, 3. & nepotum ipſorum ſemen in teſtamento ſtetit. 4. & filiorum ipſorum ſemen propter illos in æternum manet. 5. Semen eorum & gloria non derelinquetur. 6. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum viuet in generatione & generationem. 7. Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Eccleſia. Id eſt, Licet ex illuſtribus viris nati ſint aliqui filij obſcuri, illi tamen viri illuſtres & glorioſi (de quibus facturi ſumus mentionem in ſequentibus) viri planè miſericordes fuere: ac ideo ſua benignitas & in pauperes pietates, nunquam tunc defuerũt, nec capient vnquam obliuionem. ¶ Vbi lector attende, quid faciat coram Deo hominem glorioſum, ſ. eſſe virum miſericordiæ. nam eius beneficẽtia non veniet in obliuionem. Huius rei, & reliquarum quæ hîc dicuntur, Tobias illuſtre exemplum eſt. Secundò, inquit, cum filijs horum illuſtrium virorum permanet bona, (id eſt) magna hęreditas: vt cum Tobia iuniore, cũ Iſaac ex Abraham, *Tob. vlt.* cum Iacob ex Iſaac, cum Ioſeph ex Iacob. *Geneſ. 25.* ¶ Vt enim tunc pijs dabantur in præmium opes: ita dabatur, vt filij, eorũ hæreditatem obtinerent. Dicente Deo Abrahæ, Non erit *Geneſ. 15.* hic (Damaſcus Eliezer) hæres tuus: ſed qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis hæredem. Tertiò dicit, Non ſolùm parẽtis ad filium veniet hęreditas: ſed etiã ſemen ipſorum,

rum, qui ſunt nepotes, ſtabunt in teſtamento Dei. erunt enim pij legis diuinæ obſeruatores. Dat etiam hoc Deus ſanctitati patris, vt eius ſint ſancti nepotes. Eſt enim Deus

Exod. 20. miſericors etiam in tertiam & quartam generationem. Quartò dicit: Non ſolùm nepotes erunt pij, ſed eorum generatio in æternum manebit. nam Abrahæ generatio du-

Matth. 1. rat, durat & Dauidis in Chriſto, & in Virgine, & alijs. Quintò aſſerit, Non ſolùm generationem manſuram, ſed & eorum gloriam & celebritatem. nam etiam apud nos celebritas Patriarcharum durat. Sextò inquit: Corpora eorum in pace ſepulta ſunt, id eſt,

Pſal. 4. in pace Dei. Iuxta illud, In pace in idipſum dormiam. Vnde & nos precamur defunctis noſtris, vt requieſcant in pace. Nam Spiri-

Rom. 8. tus ſanctus, cum quo pacem habuerunt, viuificabit mortalia corpora eorum. At verò licet corpora in pace quieſcant, nomen eorum tamen, & fama viuit in æternum. vt experimento videmus. Tu intellige Iudæos, vt æſtimabant temporalia bona: ita æſtimaſſe nimiùm famam & nomen. Septimò velut concludit dicens, Ideo igitur Sapientiam horum Sanctorum & populi laudent, & Eccleſia. Quâ cauſa ipſe Author eorum laudes incipit enarrare.

Enoch.

6 *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* Primum omnium Author collocauit Enoch, vtpote de quo S. Scriptura adeò magnificum exhibet elo-

bet elogium, ſ. quòd ambulauit cum Deo, *Geneſ.5.* (id Author explicauit dicens, placuit Deo) & quòd non apparuit, quia tulit illum Deus. id explicat Author dicens, eum fuiſſe translatum in paradiſum. Græca litera non habet, in paradiſum: ſed ita, Enoch beneplacuit Deo, & translatus eſt: exemplum pœnitentiæ generationibus. At verò exiſtimo eundem eſſe ſenſum. ¶ Hanc rem adeò difficilem hinc incipiamus. Quidam Hebræi aſſeruerunt Enoch iam defunctum fuiſſe translatum, vt tradit Abulenſ. in c.5. Geneſis. *Abulenſis.* Sed omnes doctores catholici, imò tota Eccleſia credit & viuum fuiſſe translatum, & viuum nunc etiam conſiſtere. Ita Auguſtinus ſuper Geneſ. ad literam c.6. & *Auguſtinus.* Hieron. ſuper Amos c.5. *Hieronymus.* Licet ibi aſſerat, eum non in paradiſum, ſed in cælum tranſlatum. Summa. Enoch trãslatus eſt viuus: *Geneſ.5.* vt tradit Moſes, Geneſ. c.5. tradit Salomon, Sapientię 4. tradit Paulus, ad Hebr. 11. ¶ Aſſerit nunc translatio noſtra, quòd viuus Enoch trãslatus eſt in paradiſum. *Sap.4.* *Hebr.11.* Cùm enim cælũ tunc nulli Sancto pateret, donec Chriſto aſcendenti aperiretur: non apparet, quò transferri poterat, niſi in paradiſum: quæ tunc diluuio deleta non erat. An verò nunc paradiſus conſiſtat, an ſit diluuio deſtructa, Auguſtino Eugubino diſcutiendum relinquo. *Eugubinus ſuper Geneſ.* Illud tamen mirandum eſt, Enoch in paradiſum introiſſe, non obſtante Cherubini gladio flammeo, qui homines à paradiſo arcebat. *Geneſ.3.* Sed Deo ſanctiſſimum virum

trans-

transferenti,nihil obſtare poterat. Erat verò Enoch ſuo tempore mortalium ſanctiſſimus. ¶ Iam verò creduntur Enoch & Elias in paradiſo ex arbore vitæ comedere,ac ita durare vſque ad tempora Iudicio proxima, quibus illi venient ad prædicandam gentibus pœnitentiam. ſ. Enoch Gentibus: Elias Iudæis. Ergo prædicabit Enoch Gentibus pœnitentiam, vt hoc loco docemur: prædicabit Elias Iudæis, vt docet Malachias. Ex hac prædicatione fiet, vt Iudæi conuertantur: vt Paulus prophetauit.

Apoc.11.
Malach.4.
Rom.11.

Noe.

7 *Noe inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Ideo dimiſſum eſt reliquum terræ, cùm factum eſt diluuium. Teſtamenta ſeculi poſita ſunt apud illum, ne deleri poßit diluuio omnis caro.* Illud verbum,Inuentus eſt perfectus, & iuſtus, alludit ad illud verbum Dei, Ingredere tu & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac. & ad illud, Noe inuenit gratiam coram Deo, Noe vir iuſtus, atque perfectus fuit. Secundò, illud, factus eſt recon. ſiue vt Græci dicunt, pretium redemptionis, alludit ad verbum Moyſi, Inuenit Noe gratiam coram Deo. Ideo relinquitur à Deo, vt remedium, pretium, & inſtauratio generis humani. id eſt, per quem Deus generi humano reconciliaretur. Tertiò ſubdit, ideo terræ dimiſſum eſt reliquū ſeu reliquiæ. Id eſt, propter Noe reliquiæ dimiſ-

Geneſ.7.
Geneſ.6.
Geneſ.6.

dimiſſæ ſunt orbi. Quartò ſubijcit, teſtamenta ſeculi, &c. Id eſt, fœdus Deus poſuit cum Noe æternum, ne terra in poſterum diluuio periret. Ita enim Deus arcu ſuo poſito, ſtatuit cum Noe fœdus de terra nõ perdenda. Tu intellige terram non perituram diluuio aquæ: ſed conflagratione ignis, vt nos D. Petrus docuit. Geneſ. 9. 1. Pet. vlt.

Abraham.

8 *Abraham magnus pater multitudinis gentium, 2. & non eſt inuentus ſimilis illi in gloria. 3. qui conſeruauit legem excelſi, 4. & fuit in teſtamento cum illo. 5. In carne eius ſtare fecit teſtamentum, 6. & in tentatione inuentus eſt fidelis. 7. Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente ſua, creſcere illum quaſi terræ cumulum: & vt ſtellas exaltare ſemen eius, & hæreditare illos à mari vſq; ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Verbum illud, Magnus pater, alluſio eſt ad verbum Domini dicentis, Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium conſtitui te. Neque ſolùm Abraham eſt pater Iudæorum: ſed omnium credentium, vt Paulus docuit. *2. Non eſt inuentus ſimilis illi in gloria.* ſ. fidei. Credidit enim (cùm iam grandęuus eſſet, & emortua eſſet vulua Sarę) fore ſuũ ſemen, velut ſtellæ cæli, vt Paulus proſequitur. Tum ſecundò, non fuit ſimilis, cũ quo Dominus ita frequẽter, & ita familiariter loqueretur, & cui tãta promitteret. Tertiò Geneſ. 17. Rom. 4. Geneſ. 17. Rom. 4.

Luc.16. tiò tu vide, Limbus vocabatur, Sinus Abrahæ, tantus erat Abraham. 3. *Qui conſeruauit legem.* credo id dictum, quia egreſſus eſt de
Geneſ.12. Hur Chaldæorum, ne ſe legibus illorum cõtaminaret: ſed ſe Deo integrum ſeruaret. 4. *Fuit in teſtamento cum illo.* alluſio eſt ad fœdus & teſtamentum quod pepigit Deus cum
Geneſ.15. Abraham, quando ſacrificauit ei vaccam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium. 5. *In carne eius ſtare fecit teſtamentum.* ſ. circuncifionis. quod vocatur pa-
Geneſ.17. ctum inter Deum, & Iudæos. vt hi velut ſerui ſtigmate ſignati Deo ſeruirent: Deus verò ſeruos ſuos protegeret. 6. *In tentatione,*
Geneſ.22. quâ tentauit Deus Abraham, iubens ei, vt filium immolaret, Abraham obediendo, fidelis inuentus eſt. 7. propter quam obedientiam iurauit Dominus Abrahæ, futurum, vt eſſet glorioſus & ſummus Iudæorum pater. Iurauit item futurum ſemen eius, vt puluerem terræ, ſeu cumulum pulueris. Iurauit item futurum ſemen Abrahæ adeò excelſum, vt ſunt ſtellæ. Nec enim Iudæi pij, vt terreni homines erant, ſed vt diuini, & cæleſtes. Iurauit demum futurum ſemen eius dominum à mari magno occidentali, ad mare mortuum, & à flumine AEgypti, vſque ad fluuium Euphraten, qui erat terminus ferè orbis, qui tunc agnoſce-
Geneſ.12.13. 15.26. batur. Hæc promiſſio facta eſt Abrahæ Geneſ.12.13.15.26. & impleta eſt in Dauid, qui imperauit vniuerſæ terrę hoc loco promiſſæ, vt

ſæ, vt 2.Reg.8.habetur: impleta etiam in Salomone, vt 3.Reg.4.aſſeritur. 2.Reg.8. 3.Reg.4.

Iſaac.

9 *Et in Iſaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput Iacob.* Id eſt, Idem iuramentum quod iurauit Dominus Abrahæ, fecit etiam filio eius Iſaac propter Abraham. Quod iuramentum ſeu promiſſionem habes Geneſ. 26. Secundò, Dominus dedit Iſaaco benedictionem omnium gentium: quia voluit Deus ex Iſaac, non ex Iſmahele, Chriſtum naſci, qui eſt benedictio omnium gentium. Quod ibi dicitur his verbis, Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Semen hoc eſt Chriſtus, vt probat Paulus dicens, Omnibus nobis benedixit Deus benedictione ſpirituali, in cęleſtibus, in Chriſto. Tertiò, teſtamentum ſuum Dominus confirmauit ſuper Iacob, Eſau eius fratre repulſo, quando Iacob benedictionem fratris ſuffuratus eſt: & Dominus eam patris benedictionem in Iacob confirmauit, cùm ſuper lapide ille dormiret, & ſcalam videret, Dominusq; ei diceret, Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, &c. Geneſ.26. Galat.4. Epheſ.1. Geneſ.27. Geneſ.28.

Iacob.

10 *Agnouit eum in benedictionibus ſuis, & dedit illi hæreditatem. & diuiſit illi partem in tribubus duodecim. Et conſeruauit illi homines miſericordiæ, inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.* Id eſt,

Malach.1. Deus odiuit Eſau: agnouit, dilexit, & bene-
Geneſ.27. dixit Iacob. Nam benedixit ei, cùm ei pa-
Geneſ.28. ter benedixit: & cùm in ſomnis ſcalam vi-
dit: ſed maximè, quando cum Angelo lu-
Geneſ.32. ctatus eſt. Secundò, repulſo Eſau in Idu-
mæam, Dominus dedit terram promiſſio-
nis Iacob, in hæreditatem. Tertiò, hanc
partem & hæreditatem Iacob Dominus di-
uiſit in tribus duodecim, dando cuique tri-
Ioſue 13. bui partem in ea. quod factum eſt Ioſue ſor-
tiente & diuidente terram duodecim tribu-
Deut.32. bus. Iuxta illud, Conſtituit terminos popu-
lorum iuxta numerum filiorum Iſrael. In
vltimo verbo Græci, pro viros miſericor-
diæ, habent, virum miſericordiæ. & eſt ſen-
ſus, quòd ipſi Iacob Deus conſeruarit fili-
um Ioſeph, venditum priùs in AEgypto,
virum planè miſericordiæ, qui miſericor-
Geneſ.41.42. diam tempore famis omnibus oſtendit: ac
ideo gratiā inuenit in oculis omnium, qui
veniebant ad eum, vt triticum emerent.
Exod.4.5.6. Textus noſter intelligitur de Moſe & Aaro-
ne, quos progenitos ex Iacob Deus in tot
aduerſis ſeruauit, dans eis gratiam coram
Exod.11. omnibus tum Iudæis, tum AEgyptijs, co-
ram quibus Moſes fuit magnus in omni ter-
ra AEgypti. Fortè intelligitur de duo-
decim Patriarchis, quos Deus pa-
tri eorum ſeruauit, & co-
Exod.11. ram AEgyptijs gra-
tioſos fecit.

CA-

CAPVT XLV.

Laudantur Moſes, & Aaron.

Dilectus Deo & hominibus Moſes: cu- 1
ius memoria in benedictione eſt. 2.
Similem illum fecit in gloria San-
ctorum, 3. & magnificauit eum in
timore inimicorum, 4. & in verbis
ſuis monſtra placauit. 5 Glorificauit eum in con-
ſpectu regum, 6. & iuſſit illi coram populo ſuo, 7. &
oſtendit illi gloriam ſuam. Laus prima Moyſi eſt, quòd fuerit dilectus Deo & hominibus: atque adeò fuerit benedictæ memoriæ. Id eſt, cùm de eo loquebātur homines, & eius recordabantur, ei benedicebant. Ita nos dicimus, Pius Papa felicis, ſanctæ, aut beatæ memoriæ. Erat verò frequens Iudæis, cùm de inſigni aliquo defuncto loquebantur, eum benedicere. ¶ Tu nota rem grandem, ſ. aliquem magno populo præfectum, dilectum ſimul eſſe Deo, & hominibus. nec enim plebi placent, quæ Deo placent. At ingens alicuius ſanctitas, admirationem ſibi plebis rapit, & amorē. Secunda laus Moyſi, quòd Deus ſimilem illum fecerit in gloria Sanctorū. quia ſ. ſe Deus Moyſi oſtēdit in rubo, & familiariter cū illo tractabat: ſicut cū Abrahā, Iſaac, & Iacob familiariter tractauerat. Similē ergo fecit Deus Moſen magnis illis ſanctis, ſuā illi gloriā oſtendens. Tertia laus, quòd Deus eū magnificarit, faciēs eum terribilem, nimiſq; timendum AEgyptijs.

Exod. 11. Exod. 3. Exod. 11.

ſ. propter plagas quas eis incuſſit. Quarta laus, quòd Deus ad verba Moyſi placabat monſtra. id eſt, ceſſare faciebat plagas, quas
Exod.8.10. venire præceperat. placabat enim ranas, muſcas, locuſtas : abigens eas è terra AEgypti. Iubente enim & orante Moſe, plaga illa ceſſabat. Quinta, quòd Deus glorificarit Moſen in conſpectu Regum. quia enim du-
Exod.14. ce Moſe exercitus Pharaonis fuit in mari rubro ſubmerſus, ex ea fama coram omnibus propinquis Regibus magnus habitus eſt
Deut.4. Moſes. Sexta laus, quòd Deus iuſſerit Moyſi coram populo. id eſt, audiente populo, tradebat Deus Moyſi legem & præcepta. Licet
Exod.19.20. populus præ timore Dei vocem horruerit, & de lõgè auditurus ſteterit. Septima, quòd Deus oſtẽderit Moſi gloriam ſuam. ſ. quando Moſe rogante Deum, vt faciem & glori-
Exod.33. am ſuam illi oſtenderet, Deus reſpõdit, Ego oſtendam tibi omne bonum. & tranſeunte Domino, poſteriora eius Moſes vidit. Hiſtoria habetur Exod.33. An verò tunc Moſes viſione beata Deum viderit, vt vident eum in gloria Sancti, res eſt non modò doctoribus, ſed & ſummis Eccleſię Põtificibus controuerſa, quibus illam relinquo.

2 *8. In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, 9. & elegit eum ex omni carne. 10. Audiuit enim eum, & vocem ipſius, 11. & induxit illum in nubem. 12. Et dedit illi coràm præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ, docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael.* Octaua laus Moyſi eſt, quòd Deus

Deus eum fecerit ſanctum in fide & lenitate. id eſt, dedit Deus Moyſi fidem & lenitatem eximiam, ac ideo eximiè ſanctum eum fecit. De fide Moyſi habet Paulus ad Hebręos, imò habet Deuș ipſe dicens, Moſes in omni domo mea fideliſſimus eſt. quod retulit Paulus ad Heb. De lenitate verò habentur in lib. Numer. hęc verba, Erat Moſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Porrò fides, erga Deum eſt: manſuetudo, erga homines. vide quàm ſanctiſſimus erat, qui erga Deũ fideliſſimus, erga homines manſuetiſſimus erat. Quod exemplum debuiſſent ſibi proponere Principes terræ. Nona laus, quòd elegerit eum Deus ex omni carne. Certè, ſicut eligitur Saul, quia ſuo tempore non erat melior eo in Iſrael: & eligitur Petrus in Pontificem, quia non erat in terra ad pontificatum dignior eo: ita eligitur Moſes in ducem populi, quia in omni carne, nullus tunc erat melior eo. Decima laus, quòd Moſes audierit Deum, & vocem ipſius. Hiſtoria habetur Exod. 19. & 20. cùm Moſes vocatur à Deo, & ſpecialiter, cùm reſonantibus buccinę clangoribus, & vehementer perſtrepentibus, ac eâ cauſa toto populo perterrefacto, & longiùs fugiente, ſolus Moſes eam vocem Domini audit, licet timidus, vt Paulus habet. Ideo ſpecialiter hoc loco dicitur, audiuit eum, & vocẽ eius. tam erat illa terrifica vox. Vndecima laus, quòd inductus fuerit Moſes in nubem: (vt eodẽ loco Exodi habetur)

Heb. 11. *Num. 12.* *Heb. 3.* *Num. 12.* *1. Reg. 10.* *Iohan. vlt.* *Exod. 19. 20.* *Heb. 12.* *Exod. 19.*

dicitur enim, totus mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper mōtem, in quem locum vocauit Dominus Moſen. Erat porrò inſigniſſima Moſis prærogatiua, in eundem verticem fumantis & terribilis montis, in quo Dominus erat, ipſum etiam induci. Duodecima laus, quòd dederit ei

Num. 33. coràm, in ſua præſentia, facie ad faciem (vt ſolet amicus cum amico loqui) præcepta & legē vitæ, quâ doceret Iacob, id eſt, Iudæos.

Exod. 20. Ita habes Exodi 20. vbi inductus in nubem igneam Moſes audit ac recipit legem, quam Iſraelem doceret. ¶ Nota, vocari veterem

Galat. 3. legem, legem vitę: quia teſte Paulo, qui eam feciſſet homo, viueret in ea. Secundò vocatur lex diſciplinæ, quia per eam erudiebantur Iudæi, vt diſcipuli à ſuo præceptore. Tertiò vocatur teſtamētum ſeu fœdus, quo

Exod. 19. ſe Deus dedit Iudæis in Deum, Iudæi verò

Pſal. 18. Deo, vt ſerui peculiares. Quartò vocatur

Pſal. 118. Iudicia, quia per eam lites iudicabantur. Hoc nomine ſæpe lex vocata eſt.

Aaron.

3 *Excelſum fecit Aaron fratrem ſuum, & ſimilem ſibi de tribu Leui. 2. ſtatuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gentis. 3. & beatificauit illum in gloria. 4. circuncinxit eum zona iuſtitiæ: & induit eum ſtolam gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis. Circumpedes, & femoralia, & humerale poſuit ei: & cinxit eum tintinnabulis aureis plurimis in gyro, dare ſonitum in inceſſu ſuo, auditum facere ſonitum in templo, in memoriam fi-*

lijs

ijs gentis ſuæ. Incipit laudes Aaronis exponere. & prima eſt, quòd Deus fecit Aaronẽ excelſum, fratri Moſi ſimilem, & de eadem tribu de qua Moſes genitus erat. Si quæris quomodo fecit excelſum? certè quia fecit eum adiutorem fratris. Ipſe Aaron, inquit, loquetur pro te ad populũ, & erit os tuum. maximè quia etiam Aaron operabatur miracula coram Pharaone, vt habes Exod. 7. 8. & Exod. 11. dicitur, Moſes & Aaron fecerunt omnia ſigna & oſtenta quæ ſcripta ſunt, coram Pharaone. vtrunq; enim accepit Deus vt inſtrumenta ad miracula edenda. Secunda laus, quòd Deus pepigerit fœdus cũ Aarone, dando ei Sacerdotium legale in æternum. vide Exod. 28. & Num. 3. vbi Deus contulit Sacerdotiũ Aaroni, & filijs eius. fœdus verò & pactum cum eo leges apud Malachiã fuſiſſimè. vbi dicitur, Pactum meũ fuit cũ eo (ſ. Leui) vitę & pacis &c. ¶ Quod ait æternum, intellige, quandiu lex vetus duraſſet. Iam ſicut Chriſtus eſt rex loco Dauidis in æternũ: ita eſt Sacerdos in æternũ loco & vice Aaronis. Tertia laus, quòd Deus beatificauit Aaronẽ in gloria. vt enim hãc gloriã fratri Moyſi dedit, quòd Deũ viderit, & cũ eo tractarit, hãc etiam gloriã dedit Aaroni. Nam dicit Deus Moyſi, vt aſcẽdat in verticẽ montis glorioſi, ſimul cum Aarone. Aſcendes, inquit, tu & Aarõ tecũ. Quarta laus, quòd Deus Aaronẽ veſtierit ornamentis pontificalibus. In quibus enarrãdis Author obſcuritatẽ peperit, quia priùs tria tradidit ornamẽ-

Exod. 4. *Exod. 7. 8.* *Exod. 11.* *Exod. 28.* *Num. 3.* *Malach. 2.* *Exod. 19.*

ta,vt ſ.quę erant alijs omnibus pulchriora: tum de omnibus tradit,ſigillatim ea deſcribens. Ergo inquit primùm, *Circuncinxit eum zona iuſtitiæ*. Erat hæc zona baltheus ſuper omnes veſtes,cingens oras ſuperhumeralis. Erat porrò contextus ex filis quinque colorum. ſ. aureis, hyacinthinis, purpureis, coccineis, byſſinis. Latitudo eius erat quatuor digitorum. vt tradunt Ioſephus lib.3. Antiq.& Abulenſ.ſuper c.28.Exodi. Ex quibus reliqua, quæ dicenda ſunt, deſumpſi. Hæc dicitur zona iuſtitiæ,quia cùm eſſet vltimum ornamentum, perfectionem & iuſtitiam Aaronis ſignificabat. Secundò *induit eum ſtola gloriæ*. Id eſt, induit ei ſecũdum ornamentum,quod erat Rationale. Hebraicè חשן, choſſen, Græcè λογίον. quod erat quadratum, palmum habens longitudinis, & palmum latitudinis: quatuor ordines lapidum pretioſorum continẽs,in quorum ſingulis, ſingula nomina filiorum Iſrael cælata erant. Hæc dicitur ſtola gloriæ,quia erat pulchrum præ omnibus ornamẽtum. Tertiò *coronauit eum vaſis virtutis*. id eſt,coronauit eum mitra,& lamina ſemicirculari, vbi erat inciſum nomẽ Dei ineffabile.& quia illud nomẽ miracula faciebat,vt ex Reuchlino, & Galatino colligimus, ideo nomẽ virtutis ſeu potẽtiæ vocabatur: & proinde mitra, & lamina, quæ mitræ erat affixa, vaſa virtutis dicũtur. atq; adeò Aarõ his coronatus,coronatus dicitur vaſis virtutis. Et hactenus de pretioſiſſimis & ſacerrimis tribus orna-

Ioſephus. Abulenſis.

Reuchlinus, Galatinus.

ornamẽtis. Quartò poſuit Dominus Aaroni circunpedes, Græcè ποδήρη. Hæc erat tunica manicata in modum Albæ, quâ noſtri veſtiũtur Sacerdotes. Erat tota coloris hyacinthini, demiſſa vſque ad pedes, ideo vocata circumpedes. Ora, ſiue limbus eius erat plenus ſeptuaginta duobus tintinnabulis, & ſeptuaginta duobus malogranatis. ita vt inter vnum & alterum tintinnabulũ, vnum eſſet malogranatũ. Ideo Author dixit, cinxit eum tintinnabulis aureis plurimis in gyro. ſubdens cauſam, cur tintinnabulis eſſet tunica diſtincta, ſ. vt daret ſonitum in inceſſu ſuo: & auditum faceret ſonitum, id eſt, faceret ſonum qui audiretur, cùm intrabat templum ſemel in anno, vt faceret memoriam gentis ſuæ, id eſt, vt offerret ſanguinẽ pro gente ſua. quam rem habet Paulus ad Heb. Hunc verò ritum habes fuſè *Heb. 9.*
mandatum in Leuitico. Quintò poſuit Do- *Leuit. 16.*
minus Aaroni femoralia, Græcis περισκελῆ, quæ texta ex lino, Sacerdotum verenda tegebant. Erat verò hoc ornamentum commune Summo Sacerdoti & alijs Sacerdotibus, vt in Exodo eſt videre. Sextò poſuit *Exod. 28.*
ei Humerale, ſiue ſuperhumerale, Hebræis אפוד ephod, Græcis ἐπωμίδα, exiſtimo figuram eius fuiſſe ad modum eius habitus, quo veſtiuntur ij, quos S. Inquiſitio damnat, quem Sambenito vocant. Pars poſterior iungebatur anteriori ad humeros per duos lapides onychinos, in quorum altero cælabantur ſex nomina filiorum Iſrael;

in altero reliqua nomina. Latera huius ornamenti ſub brachio iungebantur condylis aureis. vt apud Abulenſem Exod.28. habetur. in medio partis anterioris huius ornamenti erat ſtola gloriæ,ſeu Rationale,de quo ſecundo loco dictum mihi eſt: de quo, quia pauca Author dixerat, nunc fuſiùs ipſum explicat. Erat enim id ornamentum in quo Deus conſulebatur,&in quo reſponſa reddebat.

Abulen. Exo. 28.

6 *Stolam ſanctam, auro, hyacintho & purpura, opus textile, viri ſapientis, iudicio & veritate præditi: torto cocco opus artificis, gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri,& opere lapidarij ſculptis, in memoriam ſecundùm numerum tribuum Iſrael.* Hæc Latina hunc facilem ſenſum habent. Intellige ſtolam ſanctam,ſeu Rationale,fuiſſe opus textile ex auro,hyacintho, & purpura,& torto cocco,(filis ſ.coccineis tortis) opus planè viri ſapientis, (ſ. Beſeleelis, de quo in Exod.) & artificis præditi iudicio & veritate: à Deo ad id faciendũ infuſis. Erat etiam ornatum hoc gemmis pretioſis figuratis (erant enim forſan quadratæ) auro ipſi Rationali ligatis: & opere lapidarij ſculptis,ita vt in ſingulis, vnum nomen filiorum Iſrael ſculptum eſſet: vt eorum in rationali eſſet perpetua memoria. Veruntamen Græca litera docet nos altiorem ſenſum,quæ ita habet,Rationale iudicij,ſignis veritatis. Quibus verbis notatur ſummum Rationalis officium, ſ. habere ſigna veritatis.

Exod.31.

tis. Nam conſulto Domino à Pontifice, in Rationali quidam ſplendores emicabant, per quos Dei reſpõſum intelligebatur. Hos ſplendores vocat Author ſigna veritatis. vocauerunt 72. Interpretes, Manifeſtationem & veritatem. vocantur Hebræis Vrim, & Thumim, id eſt, luces, & perfectiones. De quibus hactenus, quid plenè ſint, ignoratur. *Ioſep. lib. 3. c. 8*
Vide Ioſephũ lib. 3. Antiq. Abulenſ. in Comment. ad c. 28. Exod. Eugubinum eodem loco, vbi citat & ſequitur Rabi Salomonem, relinquẽs interim quæ D. Hieronymus ſentiat. vide etiam Galatinum. *Abulen. Exo. 28. Eugubi. Exod. 28. Galatinus.*

7 *Corona aurea ſuper mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris, opus virtutis. Deſideria oculorum ornata.* Redit Author ad tertium ornamentum ſuprà poſitũ. vbi nota, Summum Sacerdotem habuiſſe ſuper caput pileum lineum, ſuper quo habebat mitram, id eſt, pileum hyacinthinum, parte inferiore ſemicirculare, parte ſuperiore cacuminatum. Huic mitræ erat affixa corona, ſeu lamina aurea, ab aure ad aurem. in ea lamina erat ſculptum nomẽ Dei quatuor literarum, ſ. יהוה I E H O V A. quod nomẽ erat ſignum ſanctiſſimum: & gloria honoratiſſima: & virtus operatoria miraculorum. ideo Author dicit eam coronam fuiſſe expreſsã ſigno, ſeu nomine ſanctiſſimo, quod ineffabile dicebatur. & quia id nomen operabatur miracula, ideo erat gloria & honor Dei maxima. Quod ſubdit, Deſideria oculorum

rum or. intellige, tam coronam auream illis literis inciſam, quàm mitram, cui erat affixa corona, fuiſſe deſideria oculorum, id eſt res, quas nimis oculi videre deſiderarét: adeò erant illa ornatiſſima.

8 *Sic pulchra ante ipſum non fuerunt talia vſque ad originem. 2. Non eſt indutus illa alienigena aliquis: ſed tantùm filij ipſius ſoli, & nepotes eius per omne tempus.* Ergo ab origine mundi vſque ad Aaron, non fuere ornamenta tam pulchra, vt illa Aaronis. videlicet, quæ per ar-

Exod. 31. tem infuſam à Deo Beſelèeli, facta ſunt. at quæ Diuina ſunt, omnem artem ſuperant. nec poſt Aaronem quiſpiam illis eſt indu-

Ioſephus lib. 15. antiq. c. vl. tus præter genus Aaronis. Tu vide quid de ſtola referat Ioſephus: & hactenus de or-

Exod. 29. namentis Aaronis.

9 *Sacrificia ipſius conſummata ſunt igne quotidie.* Vide Exod. 29. vbi Dominus iubet quotidie ſibi duos agnos offerri, in holocauſtum, vt igni abſumerentur, alterum manè, veſperi alterum.

10 *Compleuit Moſes manus eius, & vnxit illum oleo ſancto. Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini eius ſicut dies cæli, fungi ſacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum ſuum in nomine ſuo.* Moſen implere manus Aaronis, eſt eum ſacrare. Rationem exhibent Iudæi, cur ſacrare ſit implere manus: quia, vt illi dicunt, quo die ſacrabatur Sacerdos, populus implebat muneribus manum eius. Porrò conſecrationem, quâ Moſes oleo ſancto

ſacra-

ſacrauit Aaronem, habes Exodi vlt. Literam ſequentem ita ordinabis: Fungi ſacerdotio, habere laudem, & glorificare populum ſuum in nomine ſuo, factum eſt Aaroni & ſemini eius, in teſtamentum æternum, ſicut dies cæli. ¶ Iam quòd Deus dederit Aaroni & ſemini eius vt fungeretur Sacerdotio in æternum, quantum dies cæli durarent, explicatum eſt hoc eodem cap. ſuprà num. 3. Illud verò, habere laudem, intellige, habere hymnos, & pſalmos, quibus Deum in templo laudaret. Demum illud, glorificare populum, eſt ſuis interceſſionibus gloriam populo & felicitatẽ impetrare. ¶ Vnde colligat Theologus, ritum laudandi Deum ſolenniter, ſ. publicis laudibus, ad ſummum pertinere Pontificem: ad quem etiam ſpectat, adeò ſanctum eſſe, vt ſuo interuentu Deus populum glorificet. Exod. vlt.

Ipſum elegit ab omni viuente, offerre ſacrificium Deo, incenſum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo ſuo. 2. & dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem in teſtamentis Iudiciorum, 3. docere Iacob teſtimonia, & in lege ſua lucẽ dare Iſrael. 11

Tres poteſtates datas Aaroni cõmemorat. Prima erat, offerre ſacrificia, ſiue holocauſta, quæ extra tabernaculũ offerri ſolebant. Maximè verò ſummi Sacerdotis poteſtas erat, vt vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum, tum duos hircos, & alterum arietem Deo offerret, quando erat intraturus in Sancta ſanctorum. Et tunc etiam aſſume-

ſumebat thuribulum, implens ipſum prunis, ex altari ſuſceptis, & hauſto thymiamate, incenſum intra velū Deo offerebat. Hæc faciebat in memoriam vniuerſæ plebis, vt Deus ei placaretur. Quæ omnia habes fuſè in Leuit. Secunda poteſtas erat in præceptis Dei, vt ſ. per illa Diuina præcepta, & teſtamenta populum ſummus Pontifex iudicaret: vt reuera omnes ſummi Pontifices vſque ad Samuelem populum iudicauerunt. tempore verò Samuelis, vt exiſtimo, tranſlatum eſt iudicium ſeculare ad Reges. Nam Dauid & Salomon hæc ſecularia iudicabāt: vt de Dauide habemus 2. lib. Regum. de Salomone verò lib. 3. Reg. Semper verò manſit in ſummo Pontifice poteſtas iudicandi cauſas nimis dubias & difiſciles: vt mandatur in Deute. 12. & 17. Tertia poteſtas erat, docere populum teſtimonia & legem Dei, ac ita lucem dare Iſraeli. Ita planè. Si lex Dei eſt lux, qui legem docet, lucem dat. Ergo Pontifex ſummus habet authoritatem definiendi, & interpretandi ea, quæ alij prædicatores erunt populum docturi. Vnde Chriſtus faciens Apoſtolos pontifices dixit, Docete omnes gentes, docētes eos ſeruare quæcunque mandaui vobis.

Leuit. 16. 2. Reg. 12. 3. Reg. 2. Deut. 17. Pſal. 18. Matth. vlt.

12 *Quia contra illum ſteterūt alieni, & propter inuidiam circundederunt illum homines in deſerto, qui erant cum Dathan & Abiron, & congregatio Core in iracundia. Vidit Dominus Deus, & nō placuit illi, & conſumpti ſunt in impetu iracundiæ. Fecit illis monſtra, & conſumpſit illos in flamma ignis*

Hiſto-

Hiſtoriam hanc habes in Numeris, vbi ha- Num.16.
betur, quoſdam ex tribu Ruben ſtetiſſe con-
tra Aaronem, qui erat ex tribu Leui, & pluſ-
quam ducẽtos quinquaginta proceres Syn-
agogæ rebellaſſe contra eum: fauentes Da-
than & Abiron, qui officium Sacerdotij ex
inuidia ſibi vſurpare volebant, fauentes
etiam Core, qui erat ex tribu Leui. Sed ter-
ra ſub iniquorũ pedibus dehiſcente, omnes
illi ſunt deuorati. ¶ Tu lector nota, Cùm
terra ſe aperuit impios deuoratura, dæmo-
num viſa apparuerunt, quæ hîc monſtra
vocantur. Ergo terra aperta eſt, dæmones
viſi, & flamma promicuit, quæ rebelles ab-
ſumpſit.

Et addidit Aaron gloriam, 2. & dedit illi here- 13
ditatem, 3. & primitias frugum terræ diuiſit illi.
4. Panem ipſius in primis parauit in ſatietatem: nam
& ſacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & ſemi-
ni eius. 5. Caterùm inter gentes non hæreditabit,
& pars non eſt illi in gente. Ipſe eſt enim pars eius,
& hæreditas. Illud primum, quòd Deus ad-
didit Aaroni gloriam, explicatur ex hiſto-
ria Numerorum. quæ habet, mandaſſe De- Num.17.
um, vt quæuis tribus proferret virgam ſu-
am, proferret & Aaron. Cuius virgam flo-
rere & frondeſcere, & fructum ferre Domi-
nus fecit, in ſignum, quòd Deus Aaronem
acceptaret in Sacerdotem. quæ fuit illi glo-
ria magna. Illud ſecundum, dedit illi hæ-
reditatẽ, explicatur ex verbis Domini, quæ
ſunt, Omnis oblatio, & ſacrificium, & quic- Num.18.

quid pro peccato,& delicto redditur mihi, & cedit in Sancta ſanctorum, tuum erit & filiorum tuorum. has igitur oblationes dedit Deus Aaroni in hæreditatem. Tertium, ſ.primitias frugũ Aaroni datas,habet idem

Num.18. locus dicens, Vniuerſa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vſus tuos. Qua ratione verificatur quartum,quòd ſ.Deus parauerit Aaroni & filijs eius panem ſeu alimenta in primis, & in ſatietate. in primis quidẽ, quia primam rationem Deus habuit de cibo ſuorum miniſtrorum,tum de alijs. Nam inquit,ſacri-

Num.18. ficia quæ Domino ſacrificabãtur,illi edent. vt fuſè habetur loco prædicto.Quintum legitur Græcis aliter,ſ.in terra gentis non hæreditabit. ſed idem ſenſus eſt, ſ.quòd tribus Leui non accepit hæreditatem inter Chananæos,quorum terram Iudæi ſibi compa-

Eodem. rauerunt. Sanè quia Deus dixit,In terra eorum (ſ. inter Chananæos) nihil poſſidebitis,nec habebitis partem inter eos (quod eſt verbum Authoris.) Ego,ait Dominus,pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Dupliciter verò Deus erat hæreditas Sacerdotum, & quia dabat illis, quæ populus ei offerebat : & quiá volebat eſſe vnicus amor eorum.

Phinees.

14 *Phinees filius Eleazari, tertius in gloria eſt, imitando eum in timore Domini : ſtare in reuerentia gentis : in bonitate, & alacritate animæ ſuæ placuit Deo Iſrael. Ideo ſtatuit illi teſtamentum*

pacis,

principem Sanctorum, & gentis ſuæ, vt ſit illi & ſemini eius Sacerdotij dignitas in æternum. Phinees eſt tertius, quia primus eſt Moſes, ſecundus Aaron, tertius quē in hoc cap. Author laudat & glorificat, eſt Phinees. Porrò Phinees glorificatur, quia imitatus eſt Moſen in zelo & timore Dei. Vt enim Moſes cum Leuitis occidit idololatras, qui poſt adoratum vitulum comederant, biberant, & libidinoſè ludebant: ita Phinees occidit principem Iudæum, cum Madianite coeuntem, in cultum Idoli Baal-peor. id eſt, Priapi. Hiſtoria habetur Numer. 25. Rurſum Phinees eſt in gloria, quia ſtetit in reuerentia gentis. Id eſt, cùm populus ſeu gens Iudæa cateruatim rueret ad concumbendum cum Moabitis, videns porrò quòd Phinees occidiſſet Principem Iudæum in ipſo concubitu, reuerentiam habuit. Stetit ergo Phinees, & gens reuerentiam habuit, erubuit, & ſe à malo continuit. Ideo inquit, placuit Deo in eo zelo, bonitate, & alacritate. Ponitur tamen placuit, pro placauit Deum, expiando ſcelus, morte ſceleratorum. Quâ ratione Dominus ſtatuit cum Phinees fœdus pacificum: vt ſ. eſſet Sacerdos, & princeps Sanctorum, ſ. Sacerdotum, & rerum ſacerdotalium: & vt eſſet princeps gentis Iudææ, vt erat Samuel, & Heli. Neque ſolùm eum fecit Sacerdotem, qui poſt Aaronem eſſet ſuperſtes, ſed eius etiam ſemini promittitur Sacerdotiū hoc, in æternum. ¶ Surgit quæſtio cōtra hoc, quia Heli fuit Sacerdos ſum- *Num. 25.*

mus,non ex filijs Phinees,ſed Ithamar. Reſponſum egregium habes apud Ianſenium. ſ.neſciri cauſam,cur ſe Heli in ſacerdotium ingeſſerit. At ſine dubio in poſteris Phinees etiam tempore Heli manſit ius pontifici-
3.Reg.1. um. Nam & tempore Dauid, Sadoc ex Phinees fit ſummus ſacerdos. qui etiam tem-
3.Reg.4. pore Salomonis in Sacerdotio durat. Imò
1.Machab.2. & Machabæi Sacerdotio funguntur, qui erant ex Phinees. Ex his explicatur quod ſequitur.

15 *Et teſtamentum Dauid regi filio Ieſſe de tribu Iuda: hæreditas ipſi & ſemini. 2. Vt daret ſapientiam in cor noſtrum,iudicare gentem ſuam in iuſtitia. 3. Ne abolerentur bona ipſorum: & gloriam eorum in gentem æternam fecit.* Id eſt, Prouidit Deus Sacerdotium in æternum Phinees & ſemini eius: prouidit item regnum & hæreditatem Dauidi & ſemini eius, in æternum, etiam teſtamento firmatum. 2. Vt hac duplici prouidentia daret ipſe Deus ſapientiam veram,quæ ex ſua lege eſt,in corde noſtro: ac etiam gens Iſraelitica iuſtè ex eadem lege iudicaret. 3. Porrò ſi gens Iudęa ſapientiam Dei ſeruaſſet & iuſtitiam, non abolerentur eorum bona, regnum, ac potentia: imò Deo operante gloria eorum eſſet æterna. Deus enim,quãtum ex ſe eſt,gloriam eorum fecit æternam, niſi illi ſapientiam deſererent & iuſtitiam. ¶ Quomodo Sacerdotium Phinees, & regnum Dauid ſit æternum, dictum eſt hoc cap.annot.3.

CA-

CAPVT XLVI.

Laudat Ioſue, Caleb, Iudices, Samuel.

FORTIS in bello Ieſus filius Naue, 2. ſucceſſor Moyſi. 3. in prophetis. 4. Qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei, 5. expugnare inſurgentes hoſtes, vt conſequeretur hæreditatem Iſrael. 1

Quem nos vocamus Ioſue, olim vocabatur Oſea. Vocatus eſt poſtea à Moſe Iehoſua. Num. 13.
Erat enim Hebręis familiare, aliquam literam ex nomine Dei tetragrammato, nominibus ſuis interſerere. Literam ergo primã nominis Dei, ſ. iod, addidit Moſes nomini Eodem.
Ioſue. Septuaginta Interpretes verterunt nomen Iehóſua in Ieſus. Quo nomine vocamus nos redemptoré noſtrum. Et quem Hebræi vocant filium Nun, illi verterunt, filium Naué. Fuit hic Ieſus ſeu Iehoſua, ſeu Ioſue, fortiſſimus imperator: vt cui auxilium Diuinum ſupernaturales vires ſuppeditabat. 2. Fuit porrò magna eius laus, quòd ſuccederet Moyſi, in gubernatione in- Ioſue 1.
numerabilis populi, eiusq́ue duri, & peruicacis. Fuit tertiò grandis eius laus, quòd eſſet propheta cenſendus inter prophetas. Nam propheta dicebatur olim Videns. Vidit ve- 1. Reg. 9.
rò Ioſue Deum lumine prophetico, vt ha- Ioſue 1. 4. 6.
bes Ioſue 1. 4. 6. Quarta eius laus fuit: Erat ille magnus ſecundùm nomen ſuum. Nam Hebræis Iehóſua deriuatur à verbo iaſaa,

quod ſignificat ſaluare, aut mederi. Fuit igitur Iehoſua ſeruator, qui re præſtitit quod ſuum nomen deſignauit. Præſtitit enim ſalutem & victorias nobiliſſimas Iudæis ſuis. Quinta laus: Præſtitit hanc ſalutem expugnare, pro expugnans inſurgentes hoſtes, vt Iſrael conſequeretur hæreditatem ſeu terram, quam illi Deus promiſerat. ¶ Notandum, quoſdam velle aliud eſſe nomen huius Ioſue, aliud Chriſti & Domini noſtri. At ego ſine dubio credo amborum vnum eſſe nomen. Quia nomen Ioſue deduxit Eccleſiaſticus à verbo ישע iaſſah, id eſt, ſaluauit. dicit enim, fuit magnus ſecundùm nomen eius in ſalutem, &c. Ab eodem etiam verbo deduxit Angelus nomen Chriſti, dicẽs, Vocabitur Ieſus: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Ideo 70. Interpretes Ioſue vocarunt Ieſum, vt & nos Chriſtum Dominum vocamus.

Luc. 1.

2. *Quam gloriam adeptus eſt extollendo manus ſuas, & iactando contra ciuitates romphæas? Quis ante illum ſic reſtitit? nam hoſtes ipſe Dominus percuſſit. Aut non in iracundia eius impeditus eſt Sol: & vnus dies factus eſt quaſi duo? Inuocauit Altiſſimũ potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis.* Quinta Ioſue laus eſt, quòd adeptus ſit gloriam, extollendo manus. Id habetur in eius hiſtoria his verbis, Ioſue non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum, donec

Ioſue 8.

nec interficerentur omnes habitatores Hai. Verè gloria magna, tempore tanto manum ſublimem cum clypeo tenuiſſe. Illud verò, Iactando contra ciuit. Grecis eſt, extendendo rompheam contra ciuitatem. vt ſit ſenſus, glorioſum fuiſſe Ioſue in percutiendis hoſtibus, vt nunquam gladium in caſſum extenderit. Textus noſter videtur indicare, vſum Ioſue armis miſſilibus, quæ contra ciuitates iactabat. hæc enim arma romphee etiam dicũtur. Sexta laus, quòd ipſe Ioſue fuerit primus dux ex Hebræis, qui bella geſſerit, non tam ſuâ potẽtia, aut induſtria, quàm Dei præſenti fauore: quia ipſe præſens Dominus hoſtes percutiebat. Id quod explicatur ex hiſtoria, quæ habetur Ioſue 10. dicente, Ioſue cupiẽs delere quinque Reges aduerſarios, iuſſit Soli, vt contra Gabaon non moueretur, & ita factum eſt. Stetit enim Sol ſpatio vnius diei, factaq; eſt vna dies, dux. docet tamen textus noſter, hoc feciſſe Ioſue ex iracundia contra Reges illos, vt omnino eos vno die deleret. Docet item, Ioſue in medio pugnæ Deum inuocaſſe, vt hoſtium vim perderet. quam orationem Deus audiuit, & miſſo grandine maximo, multò plures grando contriuit, quàm gladius interfecit. Huc ſpectat quod ſequitur. *Impetum fecit* (ſupple Dominus) *contra gentem hoſtilem. & in deſcenſu* (ſupple Bethoron, vt in eadem hiſtoria habetur) *perdidit* (ſupple Deus) *contrarios, vt cognoſcant gentes potentiam eius, quia contra Deum pugnare non*

Ioſue 10.

Eodem.

eſt facile. Et ſecutus eſt à tergo potentes. Reges illi quinque impugnantes Iſraelem, cui videbant Deum fauere, arma viſi ſunt contra Deum arripuiſſe. At videntes ſtragẽ, quam patiebantur, cognouerunt potentiam Dei: & quàm non ſit facile arma contra Deum induere. Quod demum dicit, ſecutus eſt à tergo po. intellige ex eadem hiſtoria,ſ. re-
Ioſue 10. manſiſſe quinque Reges illos à tergo Ioſue: qui eorum exercitu deuicto,ad quinqueReges rediјt, fecitq; vt omnes Iſraelitę eorum colla calcarent. Ergo,ſecutus eſt, valet ac ſi diceret, inſecutus eſt rediens ad potentes, quos à tergo dimiſerat. Græci habent pro potentes,potentis. vt ſit ſenſus: Ioſue ſecutus eſt à tergo Dei,non diſcedens ab eo.

Ioſue, & Caleb.

3 *Et in diebus Moyſi miſericordiam fecit ipſe, & Caleb filius Iephone,ſtare contra hoſtem, & prohibere gentem à peccatis,& perfringere murmur malitiæ.* Hiſtoria hæc habetur in Numeris,vbi
Num.14. dicitur,Cùm Iudæi audiſſent exploratores, narrantes vim & potentiam hoſtium, voluerunt eligere ſibi ducem, quo ductore in AEgyptum reuerterẽtur, Deum relinquentes & Moſen. Contra Iudæos reſtiterunt Ioſue & Caleb, exponentes quàm eſſet facilè hoſtes ſuperare. Quâ ratione coegerunt Iudæos, vt ſtarent contra hoſtem, & gentem Iudæam prohibuerunt à defectione: &
Num.13. & 14. fregerunt murmur ac ſeditionem, quam defectores in exercitu illo parabant. Lege Num.13.14.

Et ipſi

Et ipſi duo conſtituti, à periculo liberati ſunt à 4
numero ſexcentorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in terrã, quæ manat lac & mel. id eſt, Soli hi duo, Ioſue, & Caleb, à Deo conſtituti, à mortis periculo liberati ſunt, quã incurrerunt ſexcenta millia peditũ, in deſerto per quadraginta annos vagantes. illos duos liberauit à morte Dominus, vt eos induceret in illam hæreditatem, & terram, quæ lacte & melle fluebat. Ita enim in eadem hiſtoria dicit Dominus, Seruum meum Num. 14.
Caleb qui ſecutus eſt me, inducam in terram hanc &c.

Et dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem, & 5
vſque in ſenectutem permanſit illi virtus, vt aſcenderet in excelſum terræ locum. Et ſemen ipſius obtinuit hæreditatem: vt viderent omnes filij Iſrael, quia bonum eſt obſequi ſancto Deo. Explicatur hic locus ex Ioſue 14. vbi Caleb, cùm eſſet Ioſue 14.
annorum 85. adeò fortis & validus erat, ac cùm eſſet annorum 40. & in tam ſenili ætate petijt excelſum terræ locum, id eſt, montana Hebron, vt ea expugnaret, quod & fecit. quâ cauſa Hebron fuit ſua, & ſuæ poſteritatis. Cognouerunt igitur Iudæi ex viridi Caleb ſenecta, & ex montanorũ per eum expugnatione, quàm ſit bonũ obſequi Domino Deo.

SECVNDA PARS.
Iudices.

ET *Iudices ſinguli ſuo nomine, quorum non eſt* 6
corruptum cor: qui non auerſi ſunt à Domino,

vt ſit memoria illorū in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo, & nomen eorum permaneat in æternum, permanente ad filios illorum Sancto-
Eccli 44. *rum virorū gloria.* Capite 44. ſuprà dixit Author: ſed illi, viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuere: ad quorum filios peruenit hæreditas bona: quorum nepotes fuere boni viri &c. Horum virorum exemplum adduxit Enoch, Noe, Abraham, Moſen, Aaron, Ioſue, Caleb, nunc adducit Iudices, illos præſertim qui idololatriâ, & auaritiâ non fuere corrupti. de quibus hiſtoria texitur in lib. Iudicum. hi ergo ſunt viri miſericordiæ: adeò, vt ſit memoria illorum benedicta (vt explicaui ſuprà c.45.)
Eccli 45. & adeò, vt oſſa eorum videantur reuiuiſcere, & magis viuere defuncta quàm cùm viuerent: adeò eorum laus & fama & nomen permanet in ęternum, permanente ſua gloria etiam ad filios eorum. ¶ Illud, oſſa eorum pullulent, videtur innuere futuram reſurrectionem. ſed germanus ſenſus eſt quem dixi.

TERTIA PARS.

Samuel.

7 D*ilectus à Domino Deo ſuo Samuel, propheta Domini, renouauit imperium, & vnxit princi-*
1.Reg.3. *pes in gente ſua.* Samuel fuit dilectus à Domino, quia ei adhuc puero ſe demonſtrauit. &
1.Reg.2. de eo dicitur, quòd placeret Deo & hominibus. Dicitur porrò propheta Domini, ita enim

enim eum vocabât, Videntem, aut prophe- 1.Reg.9.
tam Domini. qui enim propheta dicitur,
vocabatur olim Videns. Iam Samuel reno- 1.Reg.10.
uauit imperium, quia politiam Iudęorum,
cùm eſſet Iudiciaria, fecit ille vt eſſet regia.
in quem finem priùs vnxit Saulem in Re-
gem, mox Dauidem. ex quorum tempore 1.Reg.16.
imperium Iudaicum ex Sacerdotibus trāſ-
latum eſt in Reges.

In lege Domini congregationem iudicauit. Et 8
vidit Dominus Iacob, & in fide ſua probatus eſt pro-
pheta. & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis: quia vi-
dit Deum lucis, & inuocauit Dominum omnipo-
tentem, in impugnando hoſtes circunſtantes vndiq;
in oblatione viri inuiolati: & intonuit de cælo Do-
minus, & in ſonitu magno, auditam fecit vocem ſu-
am, & cōtriuit principes Tyriorum, & omnes duces
Philiſthijm. Samuel iudicauit congregationē
Iudæorū per legem Domini annis multis:
circumiens ſingulis annis, Bethel, Galgala, 1.Reg.7.
Maſphat, vniuerſamq; prouinciam. Quod
verò ait, vidit Dominus Iacob, ſenſus eſt:
Tempore Samuelis viſitauit Dominus, &
oculis miſericordibus vidit Iacob, id eſt,
Iudæos. fuerunt enim eius tempore felices.
Quod addit, in fide ſua probatus eſt pro-
pheta. alludit ad illa verba, quæ habentur
1.Reg.3. Cognouit vniuerſus Iſrael à Dan, 1.Reg.3.
vſque Berſabee, (id eſt, ab initio prouinciæ
Iudææ ad finem) quòd fidelis Samuel pro-
pheta eſſet Domini. Quod autem ſubdit, co-
gnitus eſt in verbis ſuis fidelis, habetur eo-

1.Reg.3. dem loco his verbis, Euenit ſermo Samuelis vniuerſo Iſraeli. id eſt, quicquid ille dicebat euenturum, eueniebat. Cur ita? Certè quia videbat Deum lucis, qui cùm ſit veritas, mentiri non poteſt. Alluſio eſt ad eundem
1.Reg.3. dem locum, vbi habetur, Addidit Dominus vt appareret ei in Silo. Ergo vt Moſes tractabat cum Deo familiariter, ita videtur Samuel tractaſſe. Demum quod dicit, Inuocauit Dominum omnip. explicatur ex hi-
1.Reg.7. ſtoria 1.Reg. vbi ita narratur, Cùm conueniſſent in pugnam contra Iudæos Satrapæ Philiſtinorùm, & (vt hîc habemus) etiam principes Tyriorum, qui Iudęos circunſtabant, (adeò erant illi multi) Samuel Deum inuocauit, & ei agnum immolauit. vnde factum eſt, vt Deus ea oblatione placatus, (vt quam offerebat vir inuiolatus Samuel) fragore magno hoſtes exterruerit: ac ita vincerent Iudæi. ¶ Quidam non legunt, viri inuiolati: ſed, agni immaculati. Sed ſenſus eſt vtrobiq; vnus. Non enim Deus ex agno immaculato, ſed ex offerente viro inuiolato & incorrupto placatus eſt. Quàm verò
1.Reg. 12. fuerit Samuel inuiolatus, legitur 1.Reg.12. Quod etiam ſtatim ſubditur.

9 *Et ante tempus finis vitæ ſuæ & ſeculi teſtimonium præbuit in conſpectu Domini, & Chriſti. Pecunias & vſq; ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo.* Res hæc
1.Reg.12. legitur 1.Reg. vbi habetur, Samuel ante finem vitæ & ſeculi ſui, coram Domino, & Saule (qui Chriſtus vocabatur, vtpote vnctus à

ctus à Samuele) expoſtulauit cum populo, dicens, Loquimini de me, vtrùm bouem cuiuſquam tulerim aut aſinum : ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi. Neque fuit qui eum accuſaret, imò reſponderunt, Non es calumniatus nos, nec oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quippiam. ¶ Calceamenta hoc loco ponuntur pro re minima, quæ Iudici poteſt offerri, ſicut vſus eſt eo nomine Baptiſta, cùm dixit, Cuius non ſum dignus calceamenta portare. *Matth.3.*

10 *Poſt hoc dormiuit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ : & exaltauit vocem eius de terra, in prophetia, delere impietatem gentis.* Samuel excitatus à Pythoniſſa, oſtendit Sauli fore, vt die ſequenti periret ipſe cum filijs & exercitu. & hoc dixit Samuel vocem ſuam exaltans è terra, & prophetans, delendam impietatem Saulis & populi. vt habetur lib. 1. Reg. ¶ Caue lector ne credas phantaſma viſum Sauli, & non ipſum Samuelem. Deus enim qui veritatem per Samuelem prædixit, eum à mortuis excitauit. 1. Reg. 28. 1. Reg. 28.

¶ Intellige etiam non ſolùm eo tempore Saulem fuiſſe iniquum : ſed etiam gentem Iudæam. ideo enim eius impietas deletur.

CAPVT XLVII.

Laudatur Nathan, Dauid, Salomon.

Nathan.

1 POST *hæc ſurrexit Nathan prophe-*
ta in diebus Dauid De hoc Na-
2.Reg.7.12. than habes lib.2. Reg.7. & 12. &
3.Reg.1. lib.3.Reg.1. quòd autem fuerit
propheta, habes copioſum te-
ſtimonium 2.Reg.7. vbi Dauidi multa ille
ventura prænuntiat.

Dauid.

2 *Et quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à fi-*
lijs Iſrael. 2.Cum leonibus luſit quaſi cum agnis: &
in vrſis ſimiliter fecit, ſicut in agnis ouium in iuuen-
tute ſua. Laus prima Dauidis eſt, eum ſepa-
ratum à filijs Iſrael, vt ſeparatur adeps à
Leuit.3. carne. Nam Leuit.3. iubet Dominus adipem
ſacrificiorum ſibi ſoli dicari, totumq́; Deo
in altaris igne cremari. Separabant ergo Le-
uitę adipem è carne, quem Deo in holocau-
ſtum offerebant. Ita Dominus ex omni gen-
te Iudæa ſibi Dauidem ſeparauit, qui nulli,
niſi Deo ſoli ſeruiret: in cuius pectore con-
tinenter amoris ignis arderet: & de quo De-
Actor.13. us diceret, Inueni virum iuxta cor meum.
& demum, qui præ alijs ferè, Chriſtum ma-
ximè deſignaret. Secūda eius laus eſt, quòd
luſerit, dum iuuenis eſſet, cum leonibus &
1.Reg.17. vrſis. Lege 1.Reg.17. vbi Dauid arripit men-
tum leonum & vrſorum, (num non agno-
ſcis velut luſum?) & eos ſuffocat, & inter-
ficit.

ficit. Tanta erat viro in his interficiendis alacritas & facilitas.

3 *Nunquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium de gente? In tollendo manū in ſaxo fundæ deiecit exultationem Goliæ: vbi inuocauit Dominum omnipotentem: & dedit, in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ.* Tertia laus Dauidis eſt, quòd occiderit gigantem. Nota verò eſt hæc hiſtoria, quæ refert quomodo gigas ille exprobrauerit phalangibus Iſrael. quod opprobrium abſtulit Dauid. ¶ Nota verbum, exultationē Goliæ. Ergo cùm accedebat Goliath ad Dauid, exultabundus veniebat. ¶ Nota inſuper, inuocauit Dominum. Ergo, quæ Dauid dixit antequam committeret ſingulare certamen, orans dixit & Deum inuocans. ¶ Nota demum, hanc victoriam tribuendam miraculo Dei. nam dicit Author, Deus dedit in dextera eius, &c. ¶ Cornu populi vocatur phraſi Hebræa, vires & potentia populi. vt, Erexit cornu ſalutis nobis.

1.Reg.17. *Eodem.* *Cornu.* *Luc.1.*

4 *Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ.* Ita intellige: Deus fecit, vt glorificaret populus Dauidem, in decem millibus, & laudaret eum in canticis benedictionis. Nam gigante occiſo per Dauidem, fœminæ ducebant choros & cantabant, dicentes, Percuſsit Saul mille, & Dauid decē millia. Vnde Sauli oritur inuidia.

1.Reg.18.

Illud

Illud verò, in offerendo illi coronam, cre-
do intelligi de pretioſiſſima corona, quam
ablatam ab idolo Melchon obtulerunt Da-
1.Paral.20. uidi: vt habetur 1.Paralip.20. De qua etiam
Pſal.20. videtur intelligi Pſal.20. cùm ait, Poſuiſti
Domine ſuper caput eius coronam de lapi-
de pretioſo. Fuit enim tam excellens illa
corona, vt meritò fiat mentio de ea. Igitur
Deus glorificauit Dauidem, faciens de eo
cantari, quòd occiderit decem millia: & fa-
ciens quòd ei dicta corona offerretur. quæ
eſt quarta & quinta laus.

5 *Contriuit enim inimicos vndique, & extirpauit*
Philiſthijm contrarios vſque in hodiernum diem:
contriuit cornu ipſorum vſque in æternum. Faten-
dum eſt, poſt Dauidem inſurrexiſſe Phili-
2.Paral.28. ſtæos contra Iſrael, & præualuiſſe: vt habe-
tur 2.Paralip. ſed intellige locũ hunc, quòd
Dauid vires Philiſtæorum ita fregerit, vt
nunquam illi dominium habuerint ſuper
1.Reg.4.6. Iudæos. Nam Iudæi olim ſeruiebant Phi-
liſtæis tempore Heli Sacerdotis: at poſt Da-
uidem nunquam ſeruierunt. & hæc eſt laus
ſexta Dauidis.

6 *In omni opere dedit confeßionem Sancto, & Ex-*
celſo in verbo gloriæ. De omni corde ſuo laudauit
Dominum: & dilexit Deum, qui fecit illum, & de-
dit illi contra inimicos potentiam Septima laus
eſt, quòd poſt partam quamuis de hoſte vi-
ctoriam, non eam ſibi Dauid tribuebat, ſed
Deo: ſtatim condens pſalmum, in quo con-
fiteretur Domino, cumq; verbis glorioſis
lauda-

laudaret. Octaua item laus, quòd non laudarit ſolùm, ſed ex omni corde laudarit & dilexerit: quia videbat Deum ſuum eſſe & factorem, & fautorem.

7 *Et ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vſque in conſummationem vitæ: vt laudarent nomen ſanctum Domini, & amplificarent manè Dei Sanctitatem.* Nona Dauidis laus eſt, quòd inſtituerit cantores, & quòd ad eorum ſonum, dulces muſicorum inſtrumentorum excogitarit melodias. vide quę dixi ſuprà c. 44. Hanc porrò Dauidis laudem habes fusè 1. Paralip. vbi dicitur, vniuerſi cantores, ſub manu patris ſui (id eſt, magiſtri cantorum) ad cantandũ in templo in cymbalis, pſalterijs, & citharis, &c. Vnde inquit Author proceſſit magnum decus & ornatus in celebrationibus feſtiuitatum. & item ornata ſunt tempora feſta, ſ. Sabbatha, Calendæ, & aliæ ſolennitates. Demum, vt habetur 1. Paral. inſtituit Dauid, vt Leuitæ laudarent nomen Domini, & ſtarent manè ad confitendum & canendum Domino. videlicet ampliſſimis laudibus, eius ſanctitatem celebrantes.

Suprà 44. *1. Paral. 25.* *1. Paral. 23.*

8 *Chriſtus purgauit peccata ipſius, & exaltauit in æternum cornu eius: & dedit illi teſtamentum regni, & ſedem gloriæ in Iſrael.* Paulus inquit, Ieſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula. *Heb. 13.* Nam licet carne aſſumpta non fuerit temporibus antiquis, fuit tamen ab æterno ſecun-

ſecundùm Diuinitatem,& propoſitum car-
Iudas. nis aſſumendæ. ideo Iudas dicit Chriſtum
eduxiſſe populum ab AEgypto: & Author,
purgaſſe peccata Dauidis. quæ eſt eius deci-
Eccli 43. ma laus. vide ſuprà c.43. num.9. Neq; enim
eum Deus ob peccata repulit ſicut Saulem
repulerat. Purgauit porrò, cùm per Na-
2.Reg.12. than ei dicitur, Tranſtulit peccatum tuum:
& cùm ab Angelo peſtem accepit. Sed vn-
decima & maxima laus eſt, quòd ei Domi-
nus promiſit, venturũ ex eius ſemine Chri-
ſtum, qui regnaret in domo Dauid in æter-
num,&cuius ſedes & thronus perpetuò du-
Iſaia 8. raret: vt Iſaias promiſit,&Angelus promiſ-
Luc.1. ſum iam impleri pronuntiauit.Nam Chri-
Matth.1. ſtus Dominus ex ſemine Dauid eſt: qui re-
gnat, regnabitq; in throno Dauid patris ſui.
De quo hactenus.

Salomon.

9 *Poſt ipſum ſurrexit filius ſenſatus,& propter il-
lum deiecit omnem potentiam inimicorum.* Id eſt,
Poſt Dauid ſurrexit filius eius vir ſapiens
& prudens, propter quem Deus vires ini-
micorum continuit: volens, vt Salomon
3.Reg.4. regnaret in pace. Gerebat enim Salomon fi-
guram Chriſti regnũ in cælis habituri, per-
petuâ pace firmatum.

10 *Salomon imperauit in diebus pacis. 2.cui ſubie-
cit Deus omnes, vt conderet domum in nomine ſuo,
& pararet ſanctitatem in ſempiternum: quemad-
modum eruditus eſt in iuuentute ſua.* Prima Sa-
lomonis laus eſt, quòd regnarit in pace.
Tanta

Tanta erat viri potentia & authoritas: & tanta erat Dei erga eum & charitas & prouidentia. Secunda laus, quòd Deus continuerit omnes Salomonis aduerſarios, quo tempus illi eſſet feriatum, ad ædificandum templum nomini Dei. ſ. ad ædificandam Sanctitatem, hoc eſt, Sancta, & Sancta ſanctorum. quæ erant duæ Templi partes. Addit Author, Quemadmodũ erud. in iuuent. Id eſt, ſicut Deus erudiuit eum, adhuc iuuenem. Nam iuuenis Salomon petijt ſapientiam: quam impetrauit, & per quam domum Deo ædificauit. Lege 3. lib. Reg. & 2. lib. Paralip. & Sapientiæ c. 9. 3. Reg. 3. 2. Paral. 1. Sap. 9.

11 *Et impletus eſt quaſi flumen Sapientiâ. 4. & terram retexit anima ſua. 5. & repleſti in comparationibus ænigmata. 6. ad inſulas longè diuulgatum eſt nomen tuum, 7. & dilectus es in pace tua. 8. In cantilenis, & prouerbijs, & comparationibus, & interpretationibus mirata ſunt terræ, & in nomine Domini Dei, cui eſt cognomen, Deus Iſrael.* Laus Salomonis tertia eſt, quòd impletus eſt Sapientia, vt aquis multis ſolent flumina in hieme repleri. Ita enim dicit lib. Regum, Dedit Deus Sapientiam Salomoni multam nimis. & infrà, Præcedebat Sapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & AEgyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus, &c. Tantum eſt à Deo edoceri. Laus quarta, quòd retexerit terram, id eſt, quòd aperuit omnia terræ myſteria. Nam diſputauit à Cedro Libani ad hyſſopũ, quæ 3. Reg. 4. Eodem. 3. Reg. 4.

egreditur è pariete. Græcè legitur, terram operuit anima tua. Ita planè, quia eius ingenium, vt maius quàm terra, eam texit, vt eam retegeret, & eius abſconſa reuelaret. Laus quinta, quòd replerit ænigmata, per comparationes. Nam locutus eſt tria millia parabolarũ. ergo impleuit ſeu repleuit magnum numerum ænigmatum, & comparationum obſcurarum. Si libet hæc altiùs intelligere, memento eorum quæ dixi

Eccli 39. ſuprà c.39. Erat enim vſus tunc Sapientibus ænigmata cõminiſci, & alijs explicãda pro-

Iudic.14.9. ponere. Quod fecit Samſon: fecit & Ioa-

2.Reg.14. tham corã viris Sichem, & Thecuitis corã

3.Reg.10. Dauid. Huiuſmodi ęnigmata adduxit regina Saba multa Salomoni. Dicit nunc Author, huiuſmodi multa ænigmata excogitaſſe Salomonem. quæ tamen non extant. Laus ſexta, quòd ob ſapientiam Salomonis ad diſtantiſſimas regiones eius fama per-

3.Reg.4. uenerit. Ita enim eius hiſtoria dicit, Veniebant ad eum de cunctis populis ad audiendam Sapientiam Salomonis, & ab vniuerſis Regibus terræ. Vnde manat laus eius ſeptima, ſ. quòd in ſua pace ab omnibus diligeretur, cuius Sapientiam admirabãtur. Manat etiam laus octaua, quòd omnis terra admirabatur carmina, prouerbia, comparationes, & ænigmatum interpretationes, quæ

3.Reg.4. edebantur à Salomone. Liber Regum dicit, eum edidiſſe quinque millia carmina, ſeu odas. quorum pars creditur eſſe Canticum Canticorum. Dicit etiam, eum edidiſſe tria

millia

millia parabolas ſeu prouerbia, aut etiam comparationes. Nam prouerbia etiam intitulantur parabolæ. reliqua non extāt. Hæc miratæ ſunt terræ, & admiratę ſunt nomen Dei Iſrael, quem audiebant tātæ Sapientiæ authorem. vt Regina Saba admirata eſt. 3.Reg.10.

12 *Collegiſti quaſi aurichalcum, aurū: & vt plumbum compleſti argentum.* Laus nona, quòd fuerit Salomon ditiſſimus. quod erat argumentum inter Iudæos, quantum Deus eum diligeret. Habet porrò hiſtoria, quòd Salomon dederit argentum & aurum in Ieruſalem quaſi lapides. 2.Paral.9.

13 *Et inclinaſti femora tua mulieribus: poteſtatem habuiſti in corpore tuo 2. Dediſti maculam in gloria tua, & prophanaſti ſemen tuum. 3. Inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris ſtultitiam tuam: vt faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum.* Explicat Salomonis vitia. Primum fuit eius libido. nam adamauit mulieres multas, vt lib. Regum dicit. quia verò coibat cum 700. Reginis, & 300. concubinis, ideo dicitur habuiſſe robur & poteſtatē in corpore. ſ. amiſſo robore animi. lege locū citatum. Secundum & maximum vitium fuit idololatriæ, quo maculauit omnem gloriam ſuam. & quia tūc idololatrę conſecrabāt filios ſuos, & filias dęmonijs, hoc ipſum fecit Salomon. offerebat enim dijs alienis filios ſuos, & ideo dicit, prophanaſti ſemen tuū. ſ. ipſum Moloch idolo conſecrādo. hęc fuit grandis Salomo- 3.Reg.11. Eodem. Pſal 105. 3.Reg.11.

nis infamia, & ſcelus. Quâ cauſa (inquit) induxiſti iracundiam Dei cõtra liberos tu-
3.Reg.12. os. abſtulit enim Deus ab eis decem tribus, vna ſola eis remanente. Secundò induxiſti in totum populum ſtultitiam tuam: ſtulti-
Eodem. tia enim fuit, quòd populum onere & iugo duriſſimo grauares. hanc ſtultitiam in eum tuo malo induxiſti. hac enim cauſa imperiũ Iudęorum partitum eſt in duas partes, pars minima ceſſit ſemini tuo. & ex Ephraim feciſti culpâ tuâ, vt imperaret Ieroboam, imperio idololatrico: ac ideo duriſſimo.

14 *Deus autem non derelinquet miſericordiam ſuam, & non corrumpet nec delebit opera ſua: neque perdet à ſtirpe nepotes electi ſui, & ſemen eius qui diligit Dominum non corrumpet. Dedit autem reliquum Iacob, & Dauid de ipſa ſtirpe.* Lector præ oculis habe Chriſtũ redemptorem, natum è ſtirpe Dauid, omnibus ſanctis antiquis optatum. Ergo inquit Author, Deus non relinquet miſericordiã, quin ex regia ſtirpe Dauid Chriſtus veniat. Neq; delebit opera ſua, quin ex eadem ſtirpe ſemper principes veniant, ex quibus Chriſtus oriatur. Non perdet nepotes è ſtirpe Dauid electi ſui: non corrumpet ſemen Dauidis, qui ſicut viuus dilexit Dominum, ita nunc, & nunc magis defunctus eum diligit. Dedit igitur reliquias regni Dauidici ipſi Iacob: & ipſi Dauidi dedit reliquias ex ſua poſteritate, ex qua Chriſtus Dominus naſceretur. ¶ Intelligis lector, Iacob, & Dauid eſſe datiui caſus. quibus Deus conſeruauit reliquias ſeu poſteritatem,

tatem, donec Chriſtus veniret. per quem in
æternum durat regnum & poteſtas ipſi Ia-
cob, & Dauidi. Sequitur.

Et finem habuit Salomon cum patribus ſuis. id 15
eſt, mortuus eſt, vt patres ſui. *Et dereliquit*
poſt ſe, de ſemine ſ.i.o. gentis ſtultitiam, & imminu-
tum prudentia, Roboam, qui auertit gentem conſi-
lio ſuo: & Ieroboam, filium Nabat, qui peccare fe-
cit Iſrael, & dedit viam peccandi Ephraim: & plu-
rima redundauerunt peccata ipſorum. valde enim
auerterant illos à terra ſua. Id eſt, Sapientia illa
Salomonis è ſemine ſuo reliquit ſtultitiam
in gente Iudæa. ſ. Roboam. qui relicto ſe- 3.Reg.12.
num conſilio, & iuuenum approbato, cau-
ſa fuit, vt decem tribus auerterent ſe, & de-
ficerent à regno Dauidico. Reliquit Salo-
mon etiam Ieroboam, qui conflatis idolis, Eodem.
quæ adorare iuſſit Iſraelitas, fuit eis cauſa
idola colendi: aperuitq; viam Ephrâitis, vt
eſſent idololatræ. ac ita redundarunt multa
peccata: quæ ita redundarunt, vt longiſſi-
mè eos in terram alienam abduxerint. ſ. in
Niniuen & Mediam, vt habes 4.Reg.18. & 4.Reg.17.18.
in hiſtoria Tobiæ.

Et quæſiuit omnes nequitias, vſque dum perue- 16
niret ad illos defenſio: & ab omnibus peccatis libe-
rauit eos. Quæſiuit Ieroboam, & Ephraim
omnes iniquitates, & abominationes ido-
lorum. reliqua ſunt difficilima. Quidam
ea intelligunt, vſque dum perueniret Chri-
ſtus: qui Iſraelitas ab omnibus peccatis li- Rabanus.
berauit. Ita Rabanus. Alij, vt Lyra, vſque Lyranus.

dum veniret Cyrus: per quem reſtituuntur Iudæi in terram ſuam. Alij, donec veniret Lõgimanus. Arbitror ſenſum eſſe: Ephraim inuolutus eſt omnibus iniquitatibus idolorum, donec veniret Elias, (de quo Author ſtatim dicet) qui Dei cauſam defendit facto miraculo ignis, holocauſtum abſumentis: ac ita liberauit populum à peccatis idolorum. nam videns miraculum illud dixit, Dominus ipſe eſt Deus, &c. Hiſtoriam habes 3. Regum. Porrò vocatur miraculũ illud defenſio, ſ. quâ Deus, eius lex, atque religio ab Elia defenſa ſunt, & vera ac ſancta demonſtrata.

3 Reg. 18.

CAPVT XLVIII.

Laudantur quatuor viri Iudæi. Elias.

1 *ET ſurrexit Elias ꝓpheta, quaſi ignis,*
& verbum ipſius quaſi facula ardebat. 2. Qui induxit in illos famem,
3. & imitãtes illum inuidia ſua, pauci facti ſunt. non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini. 4. Verbo Domini exaltauit cælum, & deiecit à ſe ignem terræ. Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis. In prima laude Eliæ credo contineri eius hiſtoriam, quæ narrat per orationem eius cecidiſſe ignem in holocauſtum, & voraſſe bouem, ligna, lapides & altare. Ergo fuit Elias, vt ignis, & eius oratio velut fax, quæ incendit holocauſtum

3. Reg. 18.

cauſtum illud. Res planè omnium ſeculorum memoria digna. Secunda laus continet aliud Eliæ miraculum, induxit enim ſuper Iſrael famem. Nam dixit, Viuit Do- 3.Reg.17.
minus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. Non igitur pluit per annos tres & dimidium. ac ita fames Iſraelem oppreſſit: vt legis 3.Reg. Tertiò proponit facinus grande Eliæ. Nam cùm Sacerdotes Baal di- 3.Reg.18.
cerent ſe eſſe prophetas, vt erat Elias: & ſe ſacrificaturos, vt Elias: & ſe audiendos à Baal, vt Elias à Deo: & fieret contrà, nam illi non ſunt auditi: Elias verò auditus eſt, Elias iuſſit eos occidi. ideo pauci facti ſunt. *Eodem.*
Non enim potuerunt Iudæi ſuſtinere præceptum Domini iubentis ignem de cęlo ruere, ac holocauſtum tam euidenti miraculo deuorare, quin prophetas Baalis occiderent. Quartam laudem Eliæ adducit, quòd exaltarit cælum. Ita habet liber meus. alij libri habent, quòd continuerit cælos. ſ. ne tribus annis & dimidio pluerent. vt in ſecunda laude dictum eſt. ſed idem eſt ſenſus libri mei. vbi ſcito, dictum eſſe in Pſalm. Inclinauit cælos, & deſcendit: *Pſal.17.*
& caligo ſub pedibus eius. Dicturus pſalmus, quòd Deus grandem pluuiam aquæ, & grandinis in hoſtes immiſerit, dixit, Inclinauit cælos. ſ. ad pluendum. ergo dicturus Author quòd Elias prohibuit, ne pluuia veniret, contraria phraſi vſus eſt. ſ. exaltauit cælum. Nam etiam Hiſpani,

cùm vehemens pluuia venit, dicimus, cælum venire deorſum. Huic quartæ laudi annectit Author quintam, ſ. tantæ potentiæ fuit Elias, vt cælis iuberet, aliquando, ne darent aquam: aliquando, vt darent ignem. Iuſſit enim Elias bis, vt ignis de cęlo deſcen-
4. Reg. 1. deret, & quinquagenarios milites conſumeret. & ita factum eſt. Tu lector intellige, ignem è cælo veniſſe in montem, vbi ſedebat Elias, quem ignem ipſe è loco vbi erat, rotauit in terram, vbi milites erant. ideo textus ait, à ſe deiecit ignem terræ, ſiue in terram. eſt enim terræ dandi caſus. Sic, ait, amplificatus & exaltatus eſt Elias miracula faciens.

2 *Et plus. Quis poterit ſimiliter ſic gloriari tibi? 1. Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis, de ſorte mortis, in verbo Domini Dei? 2. Qui deieciſti reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo. 3. Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defenſionis. 4. Qui vngis reges ad pœnitentiam, 5. & prophetas facis ſucceſſores poſt te. 6. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. 7. Qui inſcriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Id eſt, Et amplius. Quis poterit gloriari ſimiliter, vt tu? De nullo enim homine narrantur hæc ſeptem mirabilia, quæ narrantur de te: videlicet vſque ad tempus Authoris. Nam primò excitaſti mortuũ, eum in verbo Domini, ab inferis,

& à

& à mortis imperio, & regno, reuocando. quaſi diceret: Intraſti in ſortem & dominium mortis, tua oratione, & inde mortuum extraxiſti. ſ. filium viduæ Sareptanæ: vt 3° Regum recenſet. Secundò, deieciſti Reges. id eſt, denuntiaſti futuram perniciem Regi Achab, & Regi Ioram eius filio, & Reginæ Iezabel. Hanc enim prænuntiauit comedendam à canibus: Ioram verò percutiendum à Iehu: demum ſanguinem Achab à canibus lambendum. ac ita denuntiaſti, facilè confringendam horum regum potentiam. Similiter denuntiaſti mortem Regibus glorioſis in lectoſuo decumbentibus: vt Ochoziæ, conſulenti Beelzebub. Sumitur autem plurale pro ſingulari, vt eſt frequentiſſimum. Tertiò, audis in Sina iudicium. Intellige Sina eſſe montem grandem, cuius iugum orientale vocatur Oreb, vt Zieglerus notauit. Ad hunc montem venit profugus Elias: in cuius ſpelunca ſtans, vocatur à Domino, interrogaturq́ quid ibi ageret? Tunc Elias, Ego ex tuis ſeruis manſi ſolus, alijs omnibus occiſis. Fugi verò, quia quęror ad necem. Cui Dominus, ſe ex hac nota defendens, reſpondit: Non es tu ſolus. Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Ideo dicit Author Eliam in Horeb audiſſe iudicia defenſionis. lege 3. Reg. Quartò inquit, Vngis Reges ad pœnit. Nam vnxit Hazael regem ſuper Syriam: & Iehu filium Nanſi, ſuper Iſraelem: idq́ ad pœnitentiam. quia pœni-

3. Reg. 17. *3. Reg. 21.* *4. Reg. 1.* *Sina.* *Rom. 11.* *3. Reg 19.* *Eodem.*

tebat Deum regis Syriæ: ideo eum interfici
4.Reg.8. iubet per Hazael. vt habetur 4.Reg. & pœnitebat regis Iſrael: ideo iubetur occidi. vt
4.Reg.9. habetur eod. 4.Reg.c.9. Porrò dicitur Deum pœnitere, cùm opus delet quod fecit. vt
Geneſ.6. illud, Pœnitet me feciſſe hominem. ¶ Dices, Elias non vnxit hos reges, ſiquidem nihil de ea vnctione habet Scriptura. Ego credo Eliam hos vnxiſſe, licet eis nihil de regno explanauerit apertè. vide hæc copioſè apud
Abulenſis. Abulenſ. q.21. ſuper c.19. lib.3.Reg. Quintò,
3.Reg.19. prophetas facis ſucceſſores. nam fecit Eliſæum ſuum ſucceſſorem, mittens ſuper eum pallium. Sextò, receptus, vel aſſumptus es
4 Reg.2. in turbine. ita enim dicit lib.4.Reg. Aſcendit Elias per turbinem in cælum, ferētibus eum equis igneis. Vbi verò nunc ſit Elias,
Eccli 44. vide quæ dixi ſuprà c.44. cùm agerem de Enoch. dicebam enim illos in loco viuere amœniſſimo &c. Septimò, qui inſcriptus es. id eſt, De quo ſcriptum eſt in prophetijs temporum futurorum, quòd venies ad leniendam iracundiam Dei, tua oratione: & quòd conuertes cor patrum ad filios, tua prædicatione: & quòd reſtitues Deo tribus Iſrael, eas ad ſuum Meſſiam conuertendo, tua diligentia. Hæc intelliges lector, ſi lege-
Malach vlt. ris priùs vltima verba Malachiæ: & præ
Matth.7. oculis habueris ſermonem Domini dicen-
Matth.11.17. tis, Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Ergo ante diem Iudicij veniet Elias in propria perſona: (in cuius ſpiritu venerat Iohannes, vt Dominus dixit.) Is ſua

orati-

oratione leniet iram Dei: & ſua prædicatione pietatem antiquorum patriarcharum inferet pectoribus filiorum, & ſua diligentia Iudæos nunc à Chriſto alienos ei reſtituet, iuxta prophetiam Pauli, Cùm intra- Rom.11. uerit multitudo gentium, omnis Iſrael ſaluus fiet. Hæc habentur in prophetijs Malachiæ. quæ iudicia & decreta Dei de temporibus cenſentur. Et equidem mirandum eſt, quoſdam huic rei fidem denegare, cùm Dominus dicat Eliam venturum: idem dixerit & Malachias: & vniuerſa Eccleſiæ traditio ſentiat, credens Eliam & Enoch fore teſtes illos, quos occidet Antichriſtus: de quibus in Apoc. Ad hanc rem ſpectat, quod Apoc.11. ſubdit Author. *Beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt. Nam nos vita viuimus tantùm, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum*, Video locum eſſe difficilimum: ſed cuius hic ſit, vt exiſtimo, ſenſus: Beati ſunt illi Iudæi, qui te venientem ante diem Iudicij, viderint, & tua amicitia decorati fuerint. quia ſcilicet credent in Chriſtum: & ab ipſo glorioſi in cælum transferentur. At nos, ſcilicet Iudæi qui vſque ad Chriſti in cælum aſcenſionem futuri ſumus, poſt mortem noſtram non aſſequemur tale nomen, vt ſtatim à morte glorioſi dicamur & ſimus. Nulli enim cæli ianua patebit, donec eam Chriſtum aperiat. ¶ More prophetico, viderunt, ponitur pro, videbunt. nam lumen prophetiæ futura adeò certò

ocu-

oculis prophetæ proponit, ac ſi eſſent præ-
Iſaia 63. terita. vt illud, Torcular calcaui ſolus. ¶Ex hac noſtra explicatione clareſcit illud Pſal.
Pſal. 141. Me expectant iuſti, vt retribuas mihi. ſ. vt Chriſto in cælum intrante, cæli ianua iuſtis pateat vniuerſis.

Eliſæus.

3 *Elias qui in turbine tectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus eius. 2. In diebus ſuis non pertimuit principem, & potentiâ nemo vicit illum. Nec ſuperauit illum verbum aliquod, 3. & mortuum prophetauit corpus eius. 4. In vita ſua fecit monſtra, 5. & in morte mirabilia operatus eſt.* Ita ordina literam: Elias ille tantus, vt in turbine tectus fuerit, at in Eliſæo completus fuit ſpiritus eius. De turbine igneo, qui Eliam texit, & ab Eliſæo diuiſit: dixi annot. ſupe-
4. Reg. 2. riore, & habetur 4. lib. Reg. Quòd verò ſpiritus Eliæ completus fuerit in Eliſæo, habet
Eodem. idem locus, dicens, Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum. non imminutus, ſed plenus. vt enim Elias habuit duplicem ſpiritum, ſ. prophetiæ, & miraculorum: ita habuit plenè Eliſæus. Secunda laus Eliſæi eſt, quòd non extimuerit princ. ſ. Ioram regem Iſra-
4. Reg. 3. el, cui dixit, Quid mihi & tibi eſt? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. & infrà, Niſi vultum Ioſaphat erubeſcerem, non attendiſſem te, nec reſpexiſſem. Quod addit, nemo per potentiam vicit eum, innuit hi-
4. Reg. 6. ſtoriam narrantem, quòd haberet Eliſæus auxiliares angelorum copias & exercitus,

quos

quos ſeruus Eliſæi vidit. Quod ſubdit, Nec ſuperauit eum verbum. id eſt, nulla res eum ſuperauit. ex phraſi Hebræa. & innuit hiſtoriam, quòd Rex Syriæ per inſidias voluerit occidere Eliſæum, nec potuit: voluit etiam rex Iſrael, nec item potuit. vtrunque lege 4. Reg. Tertia laus, quòd mortuus prophetarit. id eſt, miraculum edidit. vbi vides, prophetare, ſumi pro, facere opus prophetæ. Ergo quidam latrunculi occiderunt virum, quem iniecerũt in ſepulchrum Eliſæi: reuixitq́ʒ defunctus. Habes hiſtoriam 4. lib. Reg. c. 13. Quarta laus, quòd in vita ſua fecerit monſtra, id eſt, mirabilia & portenta. Nam ſedecim mirabilia eum feciſſe ſacra nobis tradit hiſtoria. Illud maximè, quòd exercitum hoſtilem percuſſum cæcitate, in Samariam adduxerit. & illud, quòd eius interuentu, fugato exercitu Syrorum, modius ſimilę valeret ſtaterem vnũ. Quinta laus, quòd cùm moreretur fecit miraculum. ſ. quòd iuſſerit Regem Iſrael percutere ſolum ſagittâ. prænuntians fore, vt quoties terram percuteret, toties cõfringeret hoſtium potentiam. vt habes 4. Reg.

4 Reg. 6. Eodem. 4. Reg. 13. 4. Reg. 6. 4. Reg. 7. 4. Reg. 13.

4 *In omnibus iſtis non pœnituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis: vſque dum eiecti ſunt à terra ſua, & diſperſi ſunt in omnem terram: & relicta eſt gens perpauca: & princeps in domo Dauid. Quidam ipſorum fecerunt quod placeret Deo: alij autem multa commiſerunt peccata.* Miratur Anthor, quòd populus ſub tantis prophe-

tis.

tis, viſis tot eorum miraculis perſtiterit in
4.Reg.17. idolorum cultura, donec per Salmanaſar
eiecti ſunt Iſraelitæ è patrio ſolo, diſperſi in
Hala, & Habor, & in ciuitatibus Medorum:
& ex duodecim tribubus manſerunt pauci,
ſ. duæ tribus & dimidia quæ erat regnum
4.Reg.18. Iuda. in quo manſit Princeps è ſtirpe Dauid. & ex principibus his, & ex ſibi ſubiectis, quidam Deo hæſerunt, quidam multa admiſerunt peccata, vt lib. 4. Reg. recenſet.

Ezechias.

5 *Ezechias muniuit ciuitatem ſuam. 2. & induxit in medium ipſius aquam: 3. & fodit ferro rupem, 4. & ædificauit ad aquã puteũ.* Prima laus Ezechię eſt, quòd munierit Ieroſolymam,
2.Paral.32. reſtaurans muros diſſipatos: & ædificans turres ſuper eis, & faciens forinſecus alterum murum. vt habetur 2.Paral. Secunda laus eſt, quòd obturarit omnes fontes qui erant extra Ieroſolymam, adducens aquas in Ieroſolymam: vt veniẽtes hoſtes aquam
2.Paral.32. non inuenirent, (ita dicitur 2.Paral.32.) & vt habitantes Ieroſolymam ſiti non laborarent. ideo fecit piſcinam, & aquęductum, per quem aquas deduxit in vrbem, vt habet lib. 4. Reg. Tertia laus, ſimul & quarta, quòd inciderit ferro rupem, & ædificarit
4.Reg.20. puteum. Cui loco credo lucem afferri ex
2.Paral.32. 2.Paral. vbi habetur, Ipſe eſt Ezechias qui obturauit ſuperiorem fontem aquarũ Gihon, & auertit eas ſubter ad Occidentem

vrbis

vrbis Dauid. Porrò cùm vrbs Dauid tota ſit fundata ſuper rupe, hanc fodit, vt per eam adduceret aquas: quibus corriuandis, & in vnum congregãdis, fecit puteum. hunc vocat (vt exiſtimo) liber Regum piſcinam. & 4. Reg. 20.
via in rupe cauata vocatur aquęductus. quę vt inſigniſſima opera lib. 4. Reg. tantopere Eodem.
celebrat.

In diebus ipſius aſcendit Sennacherib, & ſuſtulit 6
manum ſuam contra illos, (ſ. Iudæos.) *& extendit manum ſuam in Sion* (vt contra arcem Ieroſolymæ) *& ſuperbus factus eſt potentia ſuâ.* Hæc hiſtoria habetur fuſè 4. Reg. *Tunc mota* 4. Reg. 18. 19.
ſunt corda, & manus ipſorum: & doluerunt quaſi parturientes mulieres. Hæc commemorat Iſaias, ſ. Iudæos veniſſe ad Iſaiam in hac tribulatione, dicentes: Dies tribulationis, & Iſaiæ 37.
correptionis, & blaſphemiæ dies hæc: quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi. En qui dolores tunc Iudæos angebant. *Et inuocauerunt Dominum miſericordem, & expandentes manus ſuas extulerunt ad cælum, & ſanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipſorum. Non eſt commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis ſuis, ſed purgauit eos in manu Iſaiæ ſancti prophetæ.* Hæc in lo- 4. Reg. 18. 19.
cis citatis ſunt aperta. Illud verò, quòd Deus purgauit eos, hunc ſenſum habet: Per orationem, & interceſſionem ſancti Iſaiæ, Iſaiæ 37.
Deus dedit Iudæis ſpiritũ pœnitentiæ: quo purgati, digni habiti ſunt, quibus Dèus beneficium victoriæ præſtaret, vt ſequentia ape-

aperiunt. *Deiecit* (ſ.Deus) *caſtra Aſsyriorum,& contriuit illos Angelus Domini. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo : & fortiter iuit in via Dauid patris ſui,quam mandauit illi Iſaias.* Hæc non egent expoſitione. lector videat locos citatos, vbi ſunt aperta vniuerſa.

Iſaias.

7 *Iſaias propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei, In diebus ipſius rediјt Sol, & addidit Regi vitam. Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes in Sion, vſque in ſempiternum. Oſtendit futura & abſcondita, antequam euenirent.* Laus prima Iſaiæ,quòd fuerit propheta magnus. ſ.ſummus inter prophetas maiores & minores. Secunda laus, quòd fuerit fidelis. ſ. qui certiſſimus in prophetijs ſuis fuit. Tertia laus,quòd eius operâ redierit retro Solis vmbra decem gradibus, vel lineis, vt habes
Iſaiæ 38. in Iſaia, & in lib.4.Reg. Quod miraculum
4.*Reg*.20. adeò fuit illo tempore celebre, vt Rex Babylonis miſerit legatos, qui eam rem dili-
Eodem. gentiùs ab Ezechia perquirerent. Quarta laus,quòd addidit Regi vitam. Nam impoſuit maſſam de ficis vulneri Regis,quâ diuinitus Rex conualuit : & addidit illi Deus quindecim annos vitæ: vt ibidem habetur. Quinta laus, quòd ſpiritum magnum habuerit, quo ſ.maximus propheta cenſetur.
Iſaiæ 7.8.9. quo vidit vltima.ſ. aduentum Meſſiæ, eius
Iſaiæ 53.63. paſſionem, reſurrectionem, aſcenſionem,
62. diem Iudicij, Eccleſiæ ordinem, æternam
Iſaiæ 14.30. & felicitatẽ, & ſupplicium : vt legenti eum ma-

manifeſtum eſt. Sexta laus, quòd lugentes in Sion conſolatus ſit conſolatione æterna. quæ verba alludunt ad caput Iſaiæ 61. vbi Chriſtus dicit, Spiritus Domini ſuper me, *Iſaiæ 60.* vt conſolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere. Ergo prædixit Iſaias venturum Meſſiam, qui lugentibus æternam daret conſolationem. nec enim vlla æterna conſolatio eſt, niſi quam dat ille. Septima laus, oſtendit futura. Planè multas vrbium vaſtationes oſtendit. illud in primis, ſ.nomen Cyri, regnum eius, & benignitatem in Iudęos. quam prædictionem ille compleuit, multa benignitate vtens erga eos. vide Iſa.45. *Iſaiæ 45.*

CAPVT XLIX.

PRIMA PARS.

Laudat Ioſiam.

1 M*emoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarij.* Exod.30. *Exod.30.* pręcipitur, vt thymiama adolendum Domino ſuper altare incenſi, ex ſeptem rebus odoratiſſimis componeretur, quæ opere vnguentarij miſcerentur. Erat ergo thymiama res ſuauiſſimi odoris. talis erat memoria Ioſię. quòd autem ſermo ſit de illo thymiamate, lege textum Græcum, & ita eſſe cognoſces: & literam ita ordina: Memoria Ioſiæ eſt, vt compoſitio facta odorata. ſ.quę eſt opus pigmentarij.

2 *In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini.* id eſt, Adeò ſuaue eſt loqui de Ioſia, vt eſt mel ſuaue: & adeò dulce eſt de eo audire, vt audire muſi-
Eccli 32. cam in conuiuio vini. de qua ſuauitate ſuprà c.32. Cur verò tam ſuaue ſit memorari de Ioſia, ſubdit.

3 *Ipſe eſt directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abominationes iniquitatis. Et gubernauit ad Dominum cor ipſius: & in diebus peccatorum corroborauit pietatem.* Prima Ioſiæ laus eſt, quòd Deus eũ direxerit, vt gens Iudæa pœnitentiam ageret de cultu idolorum. Quæ equidem ſumma laus eſt. Quod enim tot ante eum Reges firmarunt, adorantes idola, ipſe aboleuit, illa omnia delens. Et quod tot Sacerdotes & doctores infirmare nequiuerunt, ipſe vnus deſtruxit. tanta eſt potentia Regis. Secunda laus, quòd tulerit & deleuerit idolorum abominationem. ſ. altaria idolorum: eorum ſimulachra: eorum
4.Reg.23. aruſpices: effœminatorum ædiculas, &c. Le-
3.Reg.11. ge 4.Reg.23. Tertia laus eſt, quòd gubernarit & direxerit cor ſuum ad Dominũ. Nam Salomon dirigebatur à Domino: ſed ipſe ſe noluit ad eum dirigere. vt ſuprà dictum
Eccli 47. eſt. Quarta laus eſt, quòd in diebus impiorum, cùm tota terra impijs feruebat, ipſe non solùm plantauit pietatem in Deum: ſed corroborauit etiam. adeò vt totum regnum Iudæ, & magna Iſraelis pars fœdus
4.Reg.23. cum Domino inirent, idololatriâ deletâ.

Præter Dauid, & Ezechiam, & Ioſiam, omnes peccatum commiſerunt. Nam reliquerunt legem Altiſſimi reges Iuda, & contempſerunt timorem Dei. Dederunt enim regnum ſuum alijs, & gloriam ſuam alienigenæ genti. Incenderunt electam Sanctitatis ciuitatem, & deſertas fecerunt vias ipſius in manu Ieremiæ. In prima ſententia eſt dubium, quomodo Dauid, Ezechias, & Ioſias peccato caruerunt? cùm Dauid inciderit in adulterium Bethſabee, homicidium Vriæ, numerationem populi? Ezechias turpiter ſit lapſus, cùm ad eum venerunt Babyloniæ legati. Ioſias item, cum temere regi reſtitit AEgypti. Alterum dubium, quomodo alij Reges, his tribus exceptis, fuerint peccatores, cùm Aſa, & Ioſaphat fuiſſe dicantur recti, & feciſſe quod rectum erat coram Domino? Tertium dubium, quomodo Reges Iuda dederint regnum ſuum alijs, & incenderint electam Deo Ieroſolymam? Quartũ, quid ſit, deſertas fecerunt vias ipſiſius in manu Ieremiæ prophetæ. ¶ Primò dubio reſpondetur, non eſſe hîc ſermonem de peccatis communibus: ſed de idololatria, quam tres illi Reges adeò religioſè cauerunt, & eliminauerunt. ¶ Secundo reſpondetur ex dictis. Planè Aſa vir fuit pius: ſed excelſa, in quibus adorabantur idola, nõ abſtulit, cùm poſſet tamen. abſtulit porrò effœminatos, & idola, & matrẽ ſuã amouit, ne eſſet Sacerdotiſſa Priapi. vide 3. Reg. Ioſaphat etiam fuit vir pijſſimus: excelſa

2. Reg. 11.
2. Reg. 24.
4. Reg. 20.
4. Reg. 23.
3. Reg. 15.
3. Reg. 15.
3. Reg. 15.

2.Paral.20. men non abſtulit. vt habetur 2. Paral. Verum tamen eſt, publica excelſa illum abſ-
2.Paral.17. tuliſſe: vt habetur 2.Paral. videtur tamen
Lyranus. non abſtuliſſe excelſa priuata. aliter tamen nodum hũc explicat Lyranus, tu apud eum vide. ¶ Tertio dubio reſpondetur: Deus ſpeciali fauore ſeruabat templum illud, ac ciuitatem, quæ ob templum, ciuitas Sanctitatis dicebatur. Seruabat porrò, dum Iudæi eius legem ſeruabant. Cùm igitur Reges Iudæ legem Dei non ſeruarent, erant cauſa, vt regnum Iudæ daretur hoſtibus: & vt templum violaretur à gentibus, & vt ciuitas incenderetur: ac ita, vt viæ per quas veniebãt Ieroſolymam, deſertæ fierent, nemine iam ad eam veniente. ¶ Quarto dubio reſpon-
Vide Oſee 12. detur, in manu Ieremiæ, ſignificare, vt Iere-
Aggæi 2. mias prædixerat. manus enim Hebræis ſignificat miniſterium, ſeu inſtrumentũ quo res fit. At vaticinatus eſt Ieremias vaſtatio-
Iere.7.8.&c. nem Iudæ, per Nabuchodonoſor. vide Ierem.6.7.8. &c.

Ieremias.

5 *Nam malè tractauerunt illum, qui à ventre matris conſecratus eſt propheta, euertere & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renouare.* Peſſimè tractarunt Iudæi Ieremiam. id ha-
Iere.18.26.37 bes in ipſo. Quòd autem à ventre matris Deus eum ſacrarit ad prophetandum, vt erueret, deſtrueret, & ædificaret, habes Ierem.1.
Ierem.1. vbi ei Dominus ait, Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires

de

de vulua, ſanctificaui te. & infrà, Conſtitui te, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ędifices, & plantes. id eſt, vt pręnunties Ieroſolymam euellendam, & iterum poſt 70. annos reædificandam.

Ezechiel.

Ezechiel, qui vidit conſpectum gloriæ, quam oſtendit illi in curru Cherubim. Nam commemoratus eſt inimicorum in imbre, benefacere illis, qui oſtenderunt rectas vias. id eſt, Ieremiæ ſuccedit Ezechiel, qui vidit viſioné glorioſiſſimam, quam Deus oſtẽdit illi in curru Cherubim. Ezech. 1. g. 8. a. 10. a. 11. d. ¶ Vbi attentiſſimè obſerua animalia illa, quæ vidit Ezechiel, oculis plena, fuiſſe Cherubim. Facies igitur hominis, aquilæ, leonis, & bouis, erant facies Cherubinorum. ex his enim currus conſtabat, ſuper quo Deus ſe oſtendit Ezechieli. Quod addit Author, Ezechielem commemoraſſe inimicos in imbre, explicatur ex eodem dicente, Populum ſuo tempore peccaſſe: & falſos prophetas ei bona, & felicia prænuntiaſſe. Ergo populus ædificabat parietem peccatorum, & falſi prophetæ parietem linibant: cùm tamen boni prophetæ infelicia prædicerent. propter quod Deus per Prophetam prædicit, venturos hoſtes ad modum imbris, & grandinis, qui parietem & linitionem ſolo coæquent: vt veri inueniantur prophetæ, qui Iudæis oſtendebant vias rectas. quâ ratione ſuis prophetis Deus bene faciebat, oſtendens ſ. illos fuiſſe veraces.

6

Ezech. 1. 8. 10. 11.

Ezech. 13.

Duodecim Prophetæ.

7 *Et duodeçim prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo: nam corroborauerunt Iacob,& redemerunt ſe in fide virtutis ſuæ.* Quid ſit oſſa pullulare, dixi ſuprà c.46.num.6. Eſt enim, quòd eorum memoria viuat. Porrò prophetæ corroborarunt Iacob, quia ſuis meritis, & interceſſione auxilium Dei populo impetrabant: ſimul etiam aduentū Meſſiæ promittebant. Demum redemerunt, & liberarunt ſe, tum à mendacio: quia non niſi quæ Deus reuelabat, prædicebant. tum ab idolorum cultura, in quam alij incidebant. Fidem virtutis ſuæ intellige, fidem eorum potentiſſimam. Fides enim infirma non adeò præſeruat & redimit homines à caſu: à quo valens & grandis liberat.

Eccli 46.

Zorobabel, Ieſus.

8 *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu Iſrael. Et Ieſum filium Ioſedec? qui in diebus ſuis ædificarunt domum, & exaltauerunt templum ſanctum, Domino paratum in gloriam ſempiternam.* Laus prior Zorobabelis eſt, quòd fuerit ſignum in dextra Dei erga Iſraelem. pro ſigno, ex litera Græca, intellige ſignaculum, ſeu annulum ſignatorium, quo ſolebant principes literas munire, vt ipſum principem repræſentarent, vbi duo myſteria ſubſunt. Alterum, quòd Deus tam pretioſum habebat Zorobabelem, quàm ſolent Principes ſuum annulum ſignatorium habere, & quòd repræ-

ſenta-

ſentabat Zorobabel perſonam Dei: vt annulus Regem repręſentat. Vnde alterum lucet myſterium, quòd Zorobabel erat princeps Iſraeli. nam vices Dei in populo gerebat. Solet dici, hunc locum ab Authore deſumptum ex Aggæo, & Zacharia. At credo loca Zachariæ & Aggæi in ſenſu literæ de Chriſto dici: non adeò de Zorobabele. Altera Zorobabelis laus eſt, quòd cum Ieſu filio Sacerdotis Ioſedec ædificarit, & exaltarit templum ſanctum. Hanc hiſtoriam habes apud Eſdram, Aggæum, Zachariã. Quod autem ait, Domino paratum in gl. ſemp. habet priorem ſenſum, templum illud fuiſſe Chriſto paratum, vt in ipſum introiret, & ſuo introitu gloriam æternam illi donaret. gloria enim illius templi ſemper erit, quòd in medio eius ſuſcepimus miſericordiam Dei. Ideò enim ait Aggæus, magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plùs quàm primæ. Alter ſenſus eſt: Illud templum ita ædificari, fuit gloria æterna Dei, qui repugnantibus vndique hoſtibus templum abſoluit.

Aggai 2. *Zach. 3. 4.* *1. Eſdra 3.* *Aggai 2.* *Zach. 3.* *Pſal. 47.* *Aggai 2.*

Nehemias.

9 *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit portas & ſeras, qui erexit domos noſtras,* Hanc hiſtoriam habes Nehem. 3. Senſus eſt: Et memoria Nehemiæ in multa tempora durabit: vt qui tanto ſuo ſumptu muros Ieroſolymæ ædificarit, &c. *Nehem. 3.*

Enoch.

10 *Nemo natus eſt in terra, qualis Enoch: Nam & ipſe receptus eſt à terra.* Intellige, ſi placet, neminem natum, vt Enoch ſ. ante diluuium. cuius ſignum fuit, quia ante diluuium neminem ſecum rapuit Deus in paradiſum, niſi Enoch. at poſtea etiam Elias eſt à terra in paradiſum receptus, vt ſimul eſſet cum
Eccli 44. Enoch. vide quæ diximus ſuprà de Enoch. c. 44.

Ioſeph.

11 *Et Ioſeph, qui natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi: & oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt.* Video doctis placere, vt iungãtur homo, & princeps. & ſit ſenſus: Ioſeph natus eſt, vt eſſet princeps fratrum. Forſan verò eſt alius ſenſus: ſ. Ioſeph è natiuitate fuit homo. id eſt, ferè vt natus eſt, cœpit eſſe vir. Nam cùm 16. annorũ eſſet, iam ſomnia
Geneſ. 37. prophetica habebat: vt in Geneſi habetur. iam etiam puer abhorruit dominæ amplexus. Secũda laus, quòd fuerit princeps fratrum. Nam fratres eius, proni eum adorauerunt, dicentes: Serui tui ſumus. Tertia laus, quòd fuerit firmamẽtum gentis. Nam
Geneſ. vlt. pauit omnem gentem patris ſui in Ægypto: nõ ſolùm patre viuo, ſed etiam defun-
Eodem. cto. Ipſo fratribus dicente, Ego paſcam vos & paruulos veſtros. Quarta laus, quòd fuerit fratrum rector. Nam eos conſtituit in
Geneſ 48. optimo Ægypti loco, & curam eorũ ſemper habuit. ita in Geneſi. Quinta laus, quòd fue-

fuerit ſtabilimentum populi. nam pane, quem in cellarijs reſeruauit, AEgyptum à miſera fame per ſeptem annos liberauit. hiſtoria nota eſt. Sexta laus, quòd oſſa eius viſitata ſunt. Nam cùm Iudæi egrederentur de AEgypto, oſſa Ioſephi tranſtulerunt in Iudęam, vt ipſe mandauerat olim. Fuit autem viſitatio Diuina, auferre oſſa ex gente impia, & träsferre in terram ſanctam, cum Abraham, Iſaac, Iacob, &c. Septima laus, quòd eius oſſa prophetarint. Scio quibuſdam placere, ideo oſſa propheta ſſe, quia indicarunt Ioſephum fuiſſe verum prophetam, cùm dixit, Poſt mortem meam Deus viſitabit vos. & infrà, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto. Ego tamen credo, ideo oſſa prophetaſſe, quia aliquod miraculum Deus in eis operatus eſt, aliquẽ mortuum viuificando, aut languidum ſanando: vt ſuprà de oſsibus Eliſæi dictum eſt.

Geneſ. 44. Geneſ. vlt. Eccli 48.

Seth, Sem, Adam.

12 *Seth, & Sem apud homines gloriã adepti ſunt: & ſuper omnem animam in origine Adam.* Adam genuit impium Cain, ac ideo inglorium. genuit item pium Abel, cui occiſo ſucceſſit Seth in pietate: ab eoq; pij omnes duxerunt originem. ideo Eua dixit, Poſuit mihi Deus ſemen pro Abel. ſ. pium pro pio. & ideo etiam Enos, filius Seth, cœpit inuocare nomen Domini: vt bonus filius boni parentis. gloriam hanc igitur habet Seth, quòd ſit piorum pater, ante diluuium. Similiter, Noe genuit tres filios: ſed pater piorum, &

Geneſ. 4. Eodem.

Hebrææ gentis fuit Sem. quem fuiſſe Mel-
Abulenſis. chiſedech, quidam dicũt in c.6.Geneſ. Eandem igitur gloriam inter Hebræos adepti ſunt Seth, & Sem. ſ. quòd ab eis pietas emanarit, à Seth, ante diluuiũ: à Sem, poſt ipſum. At ſuper omnem animam habuit gloriam Adam in origine mundi. fuit enim conſtitutus ſuper omnia opera Dei: fuit ſapientior omnibus: fuit pater tandem omnium:
Eccli 17. cuius laudes audiuimus ſuprà c.17.

CAPVT L.

Laudatur Simon Summus Sacerdos.

1 *SIMON Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vita ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum.* Caue credas hũc Simonem, de quo hoc cap. mentio habetur,
1.Mach.3. 4. eſſe illum de quo traditur 2.Machab.3. Hic enim fuit patriæ proditor: & Oniæ non fi-
2.Mach.4. lius, ſed acerrimus hoſtis, vt 2.Mach.habetur. ¶ Iam Onias pater Simonis (de quo tractamus) non eſt Onias ille Simonis inimicus, de quo nunc dicebam. Nam Onias Simonis hoſtis, occiſus eſt tempore Antiochi Epiphanis: & ei ſucceſſit in pontificatu non Simon filius, ſed Menelaus dicti Oniæ
2.Mach.4. frater. ita 2.Machab. At noſtro Oniæ, ſucceſſit Simon filius, vt hîc habemus. Rurſum, Onias de quo in Machabæis agitur, eſt poſterior Authore noſtro: at Onias pater Simo-

Simonis, de quo Author agit, eſt eo prior. vide hæc in tabulis Lucidi. ¶ Tu nunc attende. Onias priſcus pater Simonis priſci, de quo nunc tradit Author, Sacerdos eſt viuente Alexandro Magno, & Ptolemęo Lagi, qui cladem intulit Iudęis. functus eſt Sacerdotio annis 27. Ei ſucceſſit filius Simon ſanctus, de quo nunc agimus, qui vixit in Pontificatu annis 23. Huic ſucceſſit Eleazarus annis 20. qui Ptolemęo Philadelpho Biblia transferenda curauit: ita Ioſephus lib. 12. *Ioſeph. 12. antiquit. c. 2.* Eleazaro ſucceſſit Manaſſes, non eius filius, ſed patruus. frater ſ. Oniæ priſci. fungitur Manaſſes Sacerdotio annis 27. Ei ſuccedit Onias Pontifex, qui erat Simonis ſancti filius. Fuit hic Onias temporibus Ptolemæi Euergetis, & Philopatoris. nam, vt Lucidus *Lucidus.* ait, vixit pontifex annis 39. Succeſſit huic Oniæ puſillanimo, & auaro (vt Ioſephus ait) Simon filius. Cui defuncto tertius Onias ſucceſſit vir ſanctiſſimus, de quo in Machab. agitur. Cui ſucceſſit Onias quartus, vt *Mach 1. cap. 12. & lib. 2. c. 3. & 15.* ait Ioſephus. ¶ Ergo rem ita accipe: Onias priſcus Pontifex eſt ſub Alexādro, & Ptolemęo Lagi filio, eius ſucceſſore. Simon iuſtus *Ioſephus lib. 13 ant. cap. 6.* Oniæ filius, ſub eodem Ptolemæo eſt, & ſub eius ſucceſſore Philadelpho. ſub quo feliciore ſunt fortuna vſi Iudęi: ac ideo potuit Simon (de quo hic agimus) ea opera exhibuiſſe, quę hoc loco dicũtur. Eius Simonis tẽpore, fuit Ieſus Author noſter, filius Sirach. qui, vt oculatus teſtis, de eo ſcribit. Ptolemæo Philadelpho (qui regnauit 39. annis, vt ait Ioſe-

Lib.12. ant. c.2. Ioſephus) ſucceſſit Ptolemæus Euerges. cuius regni anno 38. venit nepos Authoris noſtri in AEgyptum, & librum aui ſui (quem nos Eccleſiaſticum dicimus) ex Hebræo in Græcum idioma traduxit. Quo tempore Pontifex erat, vt videtur, Onias ſecundus: non ſanctus, ſed auarus. poſtea vixit ſanctus Onias, de quo 2. Machab. Iam ad literam. Simon priſcus ſuffulſit domum, & corroborauit templum. Scribit Ioſephus, Ptolemæum Lagi (quo tempore erat Pontifex Lib.12. ant. c.8. priſcus Onias) dolo Ieroſolymam ingreſſum, Iudæos in AEgyptum captiuos abduxiſſe. Credibile igitur eſt, fabricam etiam templi quaſſaſſe, quam à Simone Oniæ filio reparatam, Eccleſiaſticus docet.

2 *Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio & excelſi parietes templi.* Prior pars literæ docet, templum ante Simonem fuiſſe humile, & ab ipſo fuiſſe altius ædificatum: altera pars docet, ſuper ipſo templo fuiſſe ædificium aliud extructum. Vt hoc ædificium (quod domus theſaurorum vocabatur) & templum, eſſet duplex ædificatio, vt olim Salomon ędificauerat. ad quam rem neceſſarij erant excelſi parietes templi, quos Simon ædificauit.

3 *In diebus ipſius remanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum.* Docet hæc litera, nimis à Græca diuerſa, puteos Ieroſolymę imminutos aquis. videlicet, quia eorum aquæductus, operâ Ptolemæi, erant confracti, ac ita aquis defecti. Induſtriâ

ſtriã verò huius Simonis remanauerunt aquæ, (ſ. aquæductibus reſtitutis) ac ideo putei aquas reſumpſerũt ſupra modum. de his puteis & aquęductibus ab Ezechia factis, vide ſuprà. Græca ſic habent: In diebus ipſius Eccli 48.
diminuti ſunt putei aquarum. æs, tanquam maris ſupra modum. id eſt, In diebus ipſius deerant aquæ puteorum: ſed ipſe eas reſtituit. vbi inſumpſit æs vt mare. tantæ fuerũt expenſę, in illorum puteorum reparatione. *Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione*. Ptolemęus Lagi filius contriuit gentem Iudęam: ſed poſtea fuit in eos benignior. Credo ego id factum authoritate & diligentia huius Pontificis Simonis. quod Author voluit docere, cùm docet Simonem liberaſſe gentem Iudæam à perditione, quâ eam Ptolemæus perdiderat.

Qui praualuit amplificare ciuitatem. Qui adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis: & ingreſſum domus, & atrij amplificauit. Muri Ieroſolymæ per Nehemiam ædificati ſunt: at poſtea creſcente Iudæorum numero, ciuitas anguſta tot ciuibus erat. Igitur Simon, fortaſſe ex munificentia Ptolemæi (quem ſibi conciliauit) fecit vt Ieroſolyma ambitu maiori gauderet. Id primò docet Author noſter. docet item, Simonem fuiſſe benignum, & familiarem ſuæ genti. quâ cauſa erat inter Iudęos glorioſus. Tertiò docet, eum ampliorem & ornatiorem feciſſe ingreſſum tum templi, tum atrij. Quale verò fuerit Atrium templi, lege in Biblijs Philippi Regis. Cre- 4

do mea.

dò mentionẽ hîc eſſe de atrio Sacerdotum, quod primum Templo adiacebat & ipſum circundabat.

5 *Quaſi ſtella matutina* (id eſt, Lucifferus) *in medio nebulæ.*(id eſt,inter nebulas emicans) *Et quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ,* (id eſt, quas lux fecit fulgidas, & glorioſas) *& quaſi flos roſarum in diebus vernis.* (cùm ſ. roſæ pulcherrimæ prodeunt.) *Et quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ. Et quaſi thus* (ſ.planta,quę thus profert inciſa) *redolens in diebus æſtatu. Quaſi ignis effulgens,* (ſ. cùm noctu flamma in altum ſe profert) *& quaſi thus ardens in igne. Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo. Quaſi oliua pullulans, & cypreſſus in altum ſe extollens.* Per calamitatem,quam Iudæis Ptolemæus Lagi inflixit, videbantur Iudæi in nocte, & denſis tenebris verſari. At Simon hic tanta ſanctitate,prudentia,& doctrina refulſit,vt ſimilis eſſet Lucifero,Lunę,Soli,in cælis: & ſimilis eſſet arcui in aere: & in terra, roſis, lilijs,& arbori thuris,quę thus reddit in diebus æſtatis, circa ortum Canis, vt Plinius docet. Item ſimilis ignis flãmæ, ſe in altum efferenti, quæ adeò pulchra eſt: & thuri in igne,adeò ſacro,adeòq; odorato. Item ſimilis aureo vaſi, non vacuato, ſed ſolido, & omni pretioſo lapide exornato. Demum ſimilis fuit oliuæ, quæ charitatem erga proximos in oleo figurat: & cupreſſo,quę contempla-

Plin. lib.12. cap 14.

templationem & charitatẽ erga Deum erectam, ſua proceritate & rectitudine in cælũ, oſtendit. ¶ Habet Pontifex ſpeculum, in quo videat, qualem ſe pręſtare debeat. ſ. tam benignum, & purum quàm ſunt Lucifer, Luna, Sol, tam in ſe pura, tam erga nos benigna. Iam vt arcus admonet Deum fœderis ſui, ne terram diluuio perdat: ita Pontifex adeò ſanctus ſit, vt Deum admoneat, ne peccatores pœnis inferni condẽnet. Tertiò, vt roſæ, lilia, & arbor Sabæa, tam ſunt odorata: ita Põtifex, Chriſti ſit bonus odor. Quartò, vt ignis ardet, & purificat: ita zelus Pontificis ardeat, & ſordes depellat. Quintò, vt thus olet in igne: ita ille in perſecutione. Sextò, ſit vas aureum charitate, ſolidum humilitate, ornatum omnibus gemmis. ſ. omnibus virtutibus. Septimò, ſit oliua in miſericordia, cupreſſus in mẽtis erectione. Geneſ. 9. 2. Cor. 2.

In accipiẽdo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri eum conſummatione virtutis. In aſcenſu altaris ſancti, gloriam dedit ſanctitatis amictum. id eſt, Cùm Simon accipiebat ſtolã glorioſam, (de qua ſuprà c. 45.) & cùm veſtiebatur mitrâ, in qua erat lamina, cui cõſummatiſſima virtus (ſ. nomen Dei) erat inſculptum, & reliquis veſtibus ſacerdotalibus, ac ita in altare ſanctũ aſcendebat, totum illum amictum ſanctiſſimum, reddebat glorioſum. Adeò enim ille maieſtate pollebat, vt ornamenta ſanctiſſima, ſuo decore redderet glorioſiora. Sicut Paulus ait, ſe illuminaſſe Euangelium. ſua enim & vita & eruditione illud reddebat illuſtre. 6 Eccli 44. Epheſ. 3. 6. 2. Cor. 4. 6.

In

7 *In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, & ipſe ſtans iuxta aram: circa illum corona fratrum, & quaſi plantatio cedri in monte Libano, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria ſua,* id eſt, Cùm acciperet partes, ſeu membra animalium, (vt ea Domino ſacrificaret) & ipſe ſtaret iuxta aram, circa illum erat corona fratrũ, (minorum ſ. Sacerdotũ) qui Simonem circundabant, velut cedri minores circundant cedrum maiorem, in monte Libano: & veluti rami palmę, qui circundant ramum, è medio palmę ſurſum aſcendentem. Erant, inquit, tunc filij Aaron, ſ. Sacerdotes & Leuitę, ornati glorioſis ornamentis. ¶ Partes de quibus hoc loco fit mentio, exiſtimo eſſe adipem animalis, qui erat ſuper vitalia: & reticulum iecoris, duos renũculos, cum aruinulis ſuis.

Leuit. 8. hæc enim adolebat Domino Summus Sacerdos, vt habes Leuit. 8. Aliqui intelligunt per partes, armum, & pectuſculum animalis. ſed hæc Sacerdos non accipiebat de manu ſacerdotum, ſed de manu eorũ qui im-

Leuit. 7. molabant, vt Leuit. 7. habetur. Fortaſſe etiam partes & membra ſunt, quæ detracta pelle, ſuper ſtrue ignis Domino adoleban-

Leuit. 1. tur, vt habes Leuit. 1.

8 *Oblatio autem Domini in manibus ipſorum, coram omni Synagoga Iſrael. Et conſummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelſi regis, porrexit manum ſuam in libatione, libauit de ſanguine vuæ. Effudit in fundamento altaris odorem*

Diuinum excelſo principi. Lege Leuit.9. vnde *Leuit.9.*
intelligitur, quòd cùm ſummus Pontifex offerebat Domino holocauſtum, tollebant Sacerdotes vniuerſam oblationem. ſ. vitulum, arietem, pro Pontifice: hircum verò, vitulum, agnum, bouem, & ouem pro populo, adſtante omni Synagoga & cœtu Iſraelis. Tunc Pontifex ad aram immolabat vitulum, & hircum, & offerebat inde holocauſtum, quod (vt credo) hoc loco vocatur cõſummatio. porrigebatq; manum ad crateram vini, vnde libabat. Tum demum ad baſim altaris ſanguinẽ vituli, & hirci fundebat, in odorem ſuauiſſimum Domino. Hæc, inquit Author, præſtitit Simon. Nam Sacerdotes tenebãt manibus vitulos, & hircos (qui erant oblatio Domini) aſtãte omni plebe. Tunc Simon holocauſtũ & conſummationem faciẽs, vt ampliſſimam redderet eam oblationẽ, quam Deo Regi excelſo offerebat, porrexit manũ ad crateram, & libauit è ſanguine vuæ, ſ. ex vino. Iuxta illud, Et ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum. *Deut.32.*
Demum Simon (iuxta quoſdam) vinum effudit in baſim altaris, in odorem Deo ſuauem, vt in lib. Num. habetur. Sed quia non *Num.15.*
memini alicubi vinũ effundi in altaris baſim, ſed ſanguinem: ideo credo ſanguinem effuſum à Simone. quâ re completũ eſt eius ſacrificium. ¶ Rurſum volunt aliqui, fungi conſummatione, eſſe, abſoluere oblationem. ſit ſanè. Sed melior videtur dictus ſenſus de holocauſto. Nec enim finiebat Sacer-

dos munus ſuum, cùm libabat è vino. multa enim reſtabant, quæ Author ſubdit.

9 *Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis ductilibus ſonuerunt: & auditam fecerũt vocem magnam in memoriam coram Domino.* id eſt, Cùm effudit Simon ſuper altaris baſim, cœperunt canere cantores, qui erant Leuitæ: cœperunt etiam ductiles tubæ (quales noſtræ ſunt) ſonare: & longiùs hic ſonus auditus eſt, adeò, vt eius harmoniæ perſtaret inter Iudæos memoria, cùm hęc Author ſcriberet. Erat porrò mos Iudæis in huiuſmodi celebritate

2.Paral.5. tubis canere. nam cùm Salomon dicauit templum, centum viginti tubis cecinerunt, & innumeris alijs muſicis inſtrumentis.

2.Paral.20. Tempore etiam Ezechiæ canebant organis:

2.Paral.35. & tempore Ioſiæ cantores ſtant in ordine ſuo.

10 *Tunc omnis populus ſimul properauerunt, & ceciderunt in faciem ſuper terram, adorare Dominum Deum ſuum, & dare preces omnipotenti Deo*

Dan.3. *excelſo.* Ex Daniele habemus, quòd cùm in ſacrificio muſica inſtrumēta ſonabant, populus ſe proſternebat adoraturus, & oraturus. Ita nunc muſicis inſtrumentis concrepantibus, cuncti ſe deijciebant in terram, adorantes Deum, & pro ſe deprecantes.

11 *Et amplificauerunt pſallentes in vocibus ſuis, & in magna domo auctus eſt ſonus, ſuauitatis plenus.* id eſt, Cantores, & qui pſallebant, perdurarunt in ſuo concentu: & quia domus erat ampla, & fornicata, augebatur dulcis ſonus in ea.

in ea.augēt enim fornicatæ teſtudines ſonū.

Et rogauit populus Dominum excelſum in prece, 12
vſque dum perfectus eſt honor Domini, & munus
ſuum (ſupple Sacerdotes) *perfecerunt.* id eſt,
Non deſtitit populus ab oratione ſua, quo-
uſque omnia Sacerdotes abſoluerent.

Tunc deſcendens, manus ſuas extulit in omnem 13
congregationem filiorum Iſrael, dare gloriam Deo
à labijs ſuis, & in nomine ipſius gloriari: & iterauit
orationem ſuam, volens oſtendere virtutem Dei.
Aſcenderat Simon ad altare: peractâ igitur
immolatione, deſcendit. Quæ ſequūtur, iu-
dicio meo, explicātur ex more Iudæorum,
quem Salomon ſeruaſſe habes lib.3.Reg.vbi 3.Reg.8.
ſtans ille ante altare, expandit manus in cæ-
lum, & benedixit populo. Benedictio verò
erat, Deum exaltare, & fidelem in promiſſis
oſtendere. Tum flexit vtrunque genu, & fe-
licia populo à Deo impetrare contendit: ſi-
mul Diuinam laudans potentiam, quę poſ-
ſet cuncta, quæ vellet. Ad eum modum Si-
mon fecit. Nam conuerſus ad congregatio-
nem, quæ in atrijs ſtabat intenta, extulit in
cęlum manus, labijs ſuis dans gloriam Deo,
& in nomine eius exultans, quòd tanta be-
neficia ab eo accepiſſet. Tunc conuerſus ad
altare iterum, orationem coram Domino
fudit pro felicitate Iſraelis, oſtendens à Deo
felicitatem dependere. ¶ Scio quoſdā dice-
re, Simonē benedixiſſe populo, in modum
crucis manus tendēdo. ſ. ſurſum, deorſum,
& ad latera duo. Quod poſſet firmari ex

Geneſ.49. benedictione,quâ Iacob Ioſepho benedixit. ſ. benedictionibus cęli deſuper, & abyſſi iacentis deorſum,& benedictionibus vberũ.

14 *Et plus orauit Deum omnium, qui magna fecit in omni terra: Qui auxit dies noſtros à ventre matris noſtræ. Et fecit nobiſcum ſecundùm ſuam miſericordiam.* id eſt, Non perfunctoriè Simon orauit, ſed plus, id eſt, diu perſtitit orans Deum. Orationis porrò ſumma erat, recenſere magnalia, quę per omnem terram Deus facit: ſpeciatim quomodo Iudæos in eum ſtatum ex ventre Saræ prouexerit, & quot eos beneficijs affecerit: vt inde gradum faceret ad eadem beneficia populo petenda.

15 *Det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus noſtris in Iſrael per dies ſempiternos: credere Iſrael nobiſcum eſſe Dei miſericordiam, vt liberet nos in diebus ſuis.* Vt Simon precatus eſt felicia populo: ita precatur Author, primùm, vt Deus det iucunditatẽ cordis. quâ re comprehendit felicitatem priuatam. cùm enim corde lætus ſum, felix ſum. Nam & Paulus Philip.4. ait, Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. Secundò, vt det pacem in diebus noſtris, & ſemper. quæ eſt felicitas publica. Nam pax eſt ſtatus omniũ bonorum. Tertiò ſpeciatim petit, vt Iſrael credat, ſibi Dei miſericordiam adeſſe. ſi enim id vt debet, credat, habebit liberationem ab hoſtibus, per omnes dies, quibus vixerit Deus. Quod Deus præſtitit, non extinguens gentem Iudæam vſque ad Chriſtum: per quem meli-

meliùs liberati, verè liberi ſunt per omnem *Iohan.8.*
æternitatē. de ſpiritualibus Iudæis loquor.
non enim qui in manifeſto, Iudæus: nec *Rom.2.*
quæ in carne, circuncisio.

Duas gentes odit anima mea: tertia autem non 16
eſt gens quam oderim. Qui ſedent in monte Seir: & Philiſthym: & ſtultus populus qui habitat in Sichimis. Dixit laudes Maiorum ſuorū: nunc ſubdit, quas nationes odio proſequatur. & ita intellige: Duas gentes odit anima mea, ſ. Idumæos, qui habitant in Seir: Philiſtæos, qui oras incolunt Palæſtinæ ad mare. Tertia autem natio, quam oderim, non eſt gens: id eſt, non eſt digna gentis nomine. hi ſunt Sichimitæ. ¶ Scito has tres nationes fuiſſe limitaneas Iudæis. Nam Idumæi, ſunt eis vicini à Meridie: Philiſtæi, ab Occidente: Sichimitę & Samaritani, à Septentrione. Ab his vicinis innumeris cladibus & internecionibus ſunt affecti Iudęi, vt lib. Reg. oſtendunt. Meritò igitur eos oderāt Iudęi. ¶ Speciatim verò Sichem erat ſtructa iuxta mon- *Ioſephus lib.*
tem Garizim: in quo Sichimitę ædificarunt *11. ant. c. vlt.*
templum Ieroſolymitano ęmulum, contra *Exod.21.*
legem Dei, mandātis in ſolo templo Ieroſolymitano ſibi velle ſacrificari. Stulti igitur erant Sichimitæ, aliud templum ædificantes. ſpeciatim, quia ſcelerati quiq; ex Iudæis transfugæ fiebant ad Sichimitas. Erant igitur Sichimitæ, velut hæretici noſtri, qui ex-
eunt ex nobis, cùm non ſint ex nobis. Erant *1. Iohan.2.*
Philiſtæi ſicut Saraceni nunc hoſtes Eccleſiæ inteſtini. Erant Idumæi ſicut ſunt nunc

Iudæi. Lege Rabanum. Quòd ſi interiùs oculos conijcias, videbitur tibi Idumæus, maior natu quàm Iacob, mundum ſignificare. Philiſthijm planè ſignificant dæmones: Sichimitæ carnem noſtram repræſentant. Hi ſunt veri hoſtes Eccleſiæ.

Concluſio Authoris.

17 *Doctrinam Sapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Ieſus, filius Sirach, Ieroſolymita, qui renouauit Sapientiam de corde ſuo. Beatus qui in iſtis verſatur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, ſapiens erit ſemper. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei veſtigium eius eſt.* Paulus ſubſignat

2.Theſſ.vlt. Epiſtolas ſuas nomine ſuo, vt eis pondus & authoritatem conciliet: ita & ſubſignat librum ſuum Author, dicens: Eruditionem hanc, tam pro magiſtris, quàm pro diſcipulis, ego Ieſus ſcripſi, qui ex corde meo renouaui Salomonis Sapientiam iam exoleſcentem. Beatus qui hunc librum facit ſibi familiarem. Nam & ſapiens erit ſemper: & opere præſtans, erit proſper & felix. Habet enim liber quomodo in quouis negotio, quiuis aget. Sciat ergo qui hæc egerit, quòd veſtigium ſuum, & greſſus ſui ſunt lux Dei. Nam Ieſus non hæc ex ſuo capite, ſed ex luce Dei ſcripſit. Ergo qui hæc fecerit, lucem Dei operatur. Non ambulat in tenebris, ſed habet lumen vitæ.

CA-

CAPVT LI.

Authoris vita in laudem Dei.

Oratio Ieſu, filij Sirach.

C*ONFITEBOR tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meũ. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor.* Cecinit Author laudes maiorum ſuorum: nunc canit ſuas, ex quibus Dei laudes effulgent. Quas canere Eccleſia poteſt, cùm ſe ab aliqua graui calamitate ereptam videt. Canere etiam quiuis poterit, cùm à peccatis, & inferno ſe liberum ſentit. vt verò Authorem intelligas, lege Ioſephum, ex quo habemus, quòd Ptolemæus Lagi filius (qui falſò Soter, id eſt, Seruator dictus eſt) Ieroſolymam nihil tale opinãtem dolo cepit: Iudæos inde captiuos abduxit: & qui remanſerant, grauiter afflixit. Huius Soteris tempore fuit Simon, & Author noſter, vt in Prolegomenis huius libri dixi, & ſuprà c.50. Ergo probabiliſſimum eſt, Authorem noſtrum (vt ipſe ait) virum Ieroſolymitam: & (vt videtur) virum principem: certè magni ex Sapientia nominis, huic cladi Ieroſolymitanæ interfuiſſe. Cùm igitur 1

Lib.12.c.1.

Eccli 50.

Eccli 50.fine.

in miſeranda clade illa multi Iudęi occiderentur, maximè viri nobiles, & ſapientes, (qualis Author erat) credẽdum eſt, & ipſum ad necem cum alijs quæſitum, & ex gladijs, ignibus, & tormentis (quibus Ieroſolyma conflagrabat) ereptum ope Diuina. Hanc ſuam ereptionem bonus vir canit. Et hoc argumento lector non capitoſus euincetur, vt credat Authorem fuiſſe tempore huius Soteris. nullus enim alius rex per ea tempora cladem intulit Iudæis. Et per hæc quę diximus multa lux illata eſt bonæ parti huius capitis. *Liberaſti corpus meum à perditione.* ſ. quam Ptolemęus Ieroſolymitanis inferebat. *A laqueo linguæ iniquæ.* credẽdum eſt aliquem delatorem detuliſſe Ptolemæo, vbi Author lateret, vt inde abduceretur ad pœnam: & cõtra eum mendacia fuiſſe conficta. ideò ait, à labijs operantium mendacium. *Et in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor.* Credo Authorem coram Ptolemæo, & ducibus eius adductum, mendacia contra ſe audiuiſſe: ſed eũ in tam ancipiti cauſa orantem, Deus adiuuit, ne occideretur.

2 *Et liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad eſcã. 2. de manibus quærentium animam meam, 3. & de portis tribulationum quæ circundederunt me: 4. à preſſura flãmæ quæ circũdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus. 5. de altitudine ventris inferi, 6. & à lingua coinquinata, 7. & à verbo mendacij. 8. à rege iniquo, 9. & à lingua iniuſta.* Attende lector

Autho-

Authorem dicere, ſecũdùm multitudinem miſericordiæ nominis tui. Nomen Dei eſſe Filium Dei, nemo neſcit. Dicente Chriſto, Pater clarifica nomen tuum. id eſt, filium *Iohan.12.* tuum. Ergo Author vendicat ſuam liberationem Filio Dei, ſecundùm cuius miſericordiam liberatum ſe dicit. Credes hunc eſſe ſenſum loci huius, cùm infrà audieris quàm apertam mentionem Author fecerit de Filio Dei. Ergo liberatus eſt à rugientib. ſ. ab optantibus eius necem, vt eius facultates deuorarent. 2. de manibus quærentium animam meam, id eſt, de manu hoſtiũ, eius occiſionem molientibus. 3. de portis trib. Portas vocant Iudæi Iudicia. nam in portis ſolebant iudices iudicia ferre. Ergo *Pſal.86.* Author ereptus eſt à Iudicibus, eius necem or- *Pſal.126.* dientibus. 4. à preſſura flammæ. Quid obſtat intelligere, Iudicis ſententiâ Authorem in rogum flammantem fuiſſe proiectum, vt olim fuere iuuenes Hebræi in ignem Baby- *Dan.3.* lonicum coniecti: & inde, vt hi, fuiſſe à Deo liberatum? 5. de altitudine ventris inferi. id eſt, de media morte ſum ereptus. ſi enim in medium ignem miſſus eſt, planè ereptus de ventre mortis, dicetur. vbi alluſit ad Ionam de ventre ceti liberatum. 6. à lingua coinquinata. credo linguas has fuiſſe teſtes iuratos in mortem Authoris. & credo eum alluſiſſe ad Suſannam, è falſis linguis vin- *Dan.13.* dicatam. 7. à verbo mendacij. forſan falſos accuſatores intelligit. 8. à rege iniquo. Qui hiſtorias nouit Hebræas, neceſſariò di-

cet,hunc iniquum regem fuiſſe Soterem.Si-
Eccli prolo-
gu.
quidem ante Euergetem (ſub quo nepos
Authoris in AEgyptum venit) nullus rex
Ieroſolymæ nocuit,niſi hic Soter.Viuebant
enim Iudæi ſub patrocinio Perſarum,qui
vſque ad Alexandrum (cui ſucceſſit Soter)
erant orbis monarchæ. Liberatus eſt igitur
Author ab hòc Sotere, in eius mortem, vt
videtur,incenſo. 9. à lingua iniuſta aſtantium Regi, & eum ad Authoris mortem inflammantium.

3 *Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Circundederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram in adiutorium hominum, & non erat, Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ, quæ à ſeculo ſunt. quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium.* Id eſt, Pro hoc beneficio, vſque ad mortem lingua mea tua laude caleſcet. quia iamiam appropinquabam inferno, ſeu limbo, quò tunc pij deſcendebant; & cùm carerem humano præſidio, memor fui tuæ miſericordiæ, & quomodo cooperaris patientibus. ſ. quia illis patientibus, tu liberationem eorum operaris. Quid ex ea memoria miſericordiæ ſequutum eſt, audi. *Exaltaſti ſuper terram habitationem meam.* Id eſt, Non paſſus es, vt in ſepulchro corpus, & in limbo animus habitaret: non depreſſiſti ſub terra habitationem meam: ſed voluiſti, vt ſuper terra è

tor-

tormentis & morte exaltatus habitarem, etiam vt exaltati habitare ſolent.

4 *Pro morte defluente deprecatus ſum. Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aſsiduè, & collaudabo illud in confeſsione, & exaudita eſt oratio mea.* Id eſt, Deprecatus ſum, ne raperer vorticibus mortis in me defluentis, pro quare inuocaui Dominũ Patrem Domini mei. Vides ne illuſtre teſtimonium Patris & Filij. Quale eſt illud, Dixit Dominus Domino meo? (*Pſal.* 109.) &, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. (*Pſal.* 2.) &, Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam Filio Regis. (*Pſal.* 70.) Vides ne quàm rectè eſt à me explicatum caput 1. & 24. de Sapientia, quæ Filius Dei eſt. Ergo quem Author cap. 1 & 24. vocauit Sapientiam, nũc vocat Filium Dei, & Dominum ſuum, Hunc expectant Iudæi Meſſiam venturum: nos Chriſtiani Chriſtum vocamus, & adoramus. Inuocaui, inquit, Patrem Domini mei, eum aſſiduè laudo, & laudabo, exaudita enim fuit oratio mea. Tantum eſt Deum orare, quatenus Pater eſt: tantum valet apud Patrem memoria Filij. Plus valet mentio Patris, quàm omnipotentis, omniſcientis, &c. Amat enim Pater Filium. Ideo Eccleſia à Filio inſtituta, Patrem per Filium deprecatur. Si quæris huius orationis effectum: audi. *Liberaſti me de perditione, & eruiſti me de tempore iniquo.* Tempus tribulationis, quam

quam Ptolemæus exercebat, vocatur tempus iniquum. vt illud, Tempus vitæ meæ, 130. annorum: parui & mali. & illud, Sufficit diei malitia ſua, id eſt, tribulatio ſua. &, Redimentes tempus, quoniã dies mali ſunt. *Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.* Concluſio eſt orationis Authoris. Sed nota, non ſolùm laudat Deum, ſed etiam laudes dicit Nomini Domini, qui eſt Filius Dei: vt ſuprà annot. 2. dixi.

Geneſ.47. *Math.6.* *Epheſ.5.*

SECVNDA PARS.

Docet Author ſe accepiſſe Sapientiam à Deo.

5 *CVm adhuc iunior ſum, priuſquam oberrarem, quæſiui Sapientiam palàm in oratione mea. Ante tempus, poſtulabam pro illa: & vſque in nouiſſimis inquiram eam. Et florebit tanquam præcox vua* Priuſquam oberrarem, id eſt, priuſquam errores adoleſcentiæ admitterem. quæ grandis eſt Authoris laus. Nam nihil habuit adhuc puer antiquius, quàm quærere Sapiẽtiam, Salomonis exemplo. Vtinam hæc eſſet filiorum Chriſtianorum inſtitutio: vt primùm omnium Sapientiam quærerent. Et hoc ipſum eſt, ante tempus quærere. Videtur enim nobis, tunc tempus maturum eſſe quærendæ Sapientiæ, cùm nos maturuimus. ante hoc igitur tempus quæſiuit ille Sapientiam. Illud verò, quęſiui palàm, explicatur ex litera Græca quæ habet, quæ-

quæſiui ante templum, id eſt, in porticu Salomonis: vbi multitudo erat foris orans: non enim in ſancta intrabant, niſi ſacerdotes. Demũ illud, florebit, Tempus pro tempore ſumitur. id eſt, floruit Sapientia mihi. nec floruit modò: ſed facta eſt præcox vua mihi. veniens ſ. ante commune tempus. Ergo Sapientia nouit ante tempus inuocata venire. Ergo Sapientia non modò eſt panis vitæ & intellectus: neque ſolùm eſt aqua ſalutaris: neque ſolùm eſt vinum, quod nobis illa miſcet: eſt etiam muſtum feruens in vua. Nam Spiritus ſanctus muſtum dici ſolet. dicetur ergo etiam Sapiẽtia muſtum, & præcox vua. Iure igitur ſubdit. *Lætatum eſt cor meum in ea.* ſ. quia vinum lætificat cor hominis. verè enim dixit Salomon, Lætatus ſum in omnibus: quoniam antecedebat me Sapientia iſta. Quia verò, qui multum bibũt vini, ſolent dubijs greſſibus ambulare, quod iſta Sapientia minimè facit, ideo ſubditur: *Ambulauit pes meus iter rectum.* id eſt, non variaui pedes, vt ebrij: ſed contrà Sapientia greſſus meos fecit rectos. Idem loquendi modus fuit Dauidi dicenti, Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt. non eſt, inquit, turbidus, nec, vt aliud vinum, turbat: ſed præclarus eſt, claritatem animo tribuens.

Luc. 1. Hebr. 9. Eccli 15. Eodem. Prouer. 9. Actor. 2. Sap. 7. Pſal. 22.

A iuuentute mea inueſtigabam eam. Inclinaui modicè aurem meam, & excepi illam. Multam inueni in me ipſo Sapientiam, & multum profeci in ea. Danti mihi Sapientiam, dabo gloriam. Iterum 7

dicit

dicit ſe à puero Sapientiam inueſtigaſſe, ad
Sap.8. ſimilitudinem Salomonis : qui cùm puer
eſſet ingenioſus,& bonus,circumibat, Sapientiam quærens. Deus autem minimè ſurdus,annuit votis. Inclinaui (inquit) modicè aurem, Deo Sapientiam infundenti, & excepi Sapientiæ illuſtriſſimum donum.
¶ Ergo cùm Sapientia infunditur,oculi intellectus lumine diuino illuſtrantur, & auris voces Diuinas audit. Excepi, inquit, quam Deus non parca manu Sapientiam infudit. Inueni enim in me multam Sapi-
Luc.19. entiam. quam non in ſudario abſcondi,ſed verſans eam, multum etiam in ea profeci.
Luc.2. Sicut Chriſtus Dominus, qui proficiebat ætate,& Sapientia coram Deo,& hominibus. Quia verò Sapientia donum Dei eſt, (licet etiam proficere in ea ſit labor humanus) totam gloriam tamen Deo noſter Author adſcribit,ideo dicit,Danti mihi Sapientiã,dabo gloriam. ¶ Nota verbum illud,modicè. Nam in Sapientiæ infuſione non eſt neceſſe intellectum noſtrũ nimis laborare. modicum attendit,& infuſam Sapientiã excipit.

7 *Conſiliatus ſum enim vt facerem illam : zelatus ſum bonum, & non confundar. Colluctata eſt anima mea in illa, & in faciendo eã confirmatus ſum.* Id eſt, Poſtquam Sapientiam excepi, & admirãs eius pulchritudinem attonitus conſtiti,conſiliũ id accepi, vt facerem quod illa iuberet : exarſi igitur in amorem boni ac honeſti.ſcio propterea quòd verecũdiã nũquam afficiar. ſequendo ſ. quod illa facere iubet.

Iubet. Iuxta illud, Da mihi Sapientiam vt
ſciam,quid acceptum ſit coram te. Adniſus
ergo ſum,contẽdi,velut luctans pro virili:
& dum facio,dum laboro, & nitor, confir-
mor. ¶ Habes primùm,etiam excepta Sapi-
entia,arbitrij libertatem.Siquidem non co-
actus Author ſequitur bonum: ſed conſilio
habito. ¶Habes ſecũdò: Si vnquam ſequens
bonum, malis diſpliceat: hoc ipſo tamen,
quòd bonum ſequitur, verecũdari non de-
bet. Ait enim, Zelatus ſum bonum, & non
confundar. nec coram hominibus in vita:
nec coram Deo tempore mortis. ¶ Habes
tertiò, neceſſarium eſſe etiam illi, qui Sapi-
entiæ donũ ſuſcepit,laborare,neruos inten-
dere,vt quę ſapiẽtia iubet difficilia exequa-
tur. præcipit enim aduerſa carni, mundo,
dæmoni. Colluctari ergo ſecum debet, qui
Sapientiam accepit. ¶Habes quartò,eâ col-
luctatione non debilitari animum: ſed fir-
mari.Nã Iacob claudus,fortiſſimus effectus Geneſ.32.
eſt ex lucta: &Paulus in infirmitateperfici- 2.Cor.12.
tur. Verumq́ illud eſt, In deficiendo ſpiritũ Pſal.141.
meum ex me,& tu cognouiſti ſemitas meas.
8 *Manus meas extendi in altum, & in Sapientia*
eius luxit anima mea, & ignorantias meas illumi-
nauit. Repetit nunc multis verbis modum 2.Cor.1.
quo Sapientiã aſſequutus ſit. Inquit,exten- Pſal.14.
di orando manus meas ad Dominum:& il-
le lucem Sapiẽtiæ mihi infudit, quo anima
mea luxit, & ideo ignorãtias meas in eo lu-
mine aſpexi. ¶ Aduerte, Paulus ait, Omne Epheſ.5.
quod manifeſtatur, lumẽ eſt. Ergo Sapien-

tiæ

tiæ infuſio lumine fit, quo impletur anima
Iſaia 58. ſplendoribus, vt Iſaias dixit: & ignorantiæ
Pſal. 18. 50. noſtræ manifeſtantur. Sunt hę nobis occultæ, donec lumē hoc eas nobis, vt decet, oculis obijciat. Iuxta illud, Poſtquam oſtēdiſti
Ierem. 31. mihi, percuſſi femur meũ: cõfuſus ſum, &c.

9 *Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inueni eam.* Secundò idem repetit. Si vis noſſe, quomodo inueni Sapientiã? direxi, inquit, animam meã ad eam oratione, affectu, & animi ardore. Conſultè verò dicit, & in agnitione inueni eam. nam charitas inuenitur amando: patiētia, ſufferendo: humilitas, ſe deijciendo. Sapientia igitur, cognoſcendo. id eſt, in agnitione. Aperiendo oculos, & videndo theſauros Sapientiæ, illam inueni. Habitus enim Sapientiæ in ſuo actu reperitur. Si enim multa cognoſco, inuenio me Sapientiam habere.

10 *Poſſedi cum ipſa cor ab initio: propter hoc non derelinquar.* Docet beneficium, quod ſimul cum Sapientia accepit. nam, inquit, poſſedi cor cum illa. O ſingularem gratiam! Domi-
Luc. 21. nus dixit, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Nam impatiēs, caret ſe. Hic dicit, in Sapiētia poſſedi cor. quia corde caret, qui Sapientia caret. Nam auarus non habet ſe: habetur enim à numis. quia nihil
Pſal. 75. inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. libidinoſus à ventre. & qui facit
2. Pet. 2. peccatum, amiſit ſe: eſt enim ſeruus peccati. At Sapientia dat cor. contrà dicitur de
Oſee 7. Ephraim, quòd ſit columba ſeducta, non habens

habens cor. & de populo dicit Ieremias,
Audi popule ſtulte, qui non habes cor. vide *Ierem.5.*
quale ſit corpus, quod corde caret.
Venter meus conturbatus eſt, quærendo illam: 11
propterea bonam poßidebo poſſeßionem. Forſan
humiliabat in ieiunio animam ſuam, ideo *Pſal.34.*
ex ieiunio turbabatur venter eius. Forſan
proſternebat ſe totũ in oratiõe. iuxta illud,
Humiliata eſt in puluere anima noſtra: con- *Pſal.43.*
glutinatus eſt in terra venter noſter. Igitur
vt dæmonium eijcitur in ieiunio, & orati- *Mar.9.*
one: ita Sapiẽtia acquiritur ieiunio & ora-
tione. Sed quàm ingens lucrum! poſſidebo
bonam poſſeſſionem. quia infinitus eſt the-
ſaurus omnibus hominibus. & omne aurũ *Prouer.8.*
in comparatione illius arena eſt exigua. vi-
delicet, quo æternitas comparatur: & quo
homines efficiũtur participes amicitię Dei.
¶ Habes modum quo Author comparauit
Sapientiam, & quo tibi eam comparare li-
cebit. ſ. ieiunio, & oratione.
Dedit enim mihi Dominus linguam mercedem 12
meam: & in ipſa laudabo eum. Senſus eſt: Dedit
mihi Dominus bonã poſſeſſionem. primò
ſapientiam. ſecundò cor, cum ipſa. tertiò
linguam, quâ & alios docere, & Deum lau-
dare poſſim. Planè dat Dominus linguam,
qui aperit os mutorum, & linguas infanti- *Sap.10.*
um diſertas facit. & rurſum, Dominus de- *Iſaiæ 5.*
dit mihi linguam eruditam, vt poſſim ſuſ-
tentare eum, qui laſſus eſt, verbo. & Spiri-
tus ſanctus linguas igneas Apoſtolis diſtri- *Actor.2.*
buit, quibus loquerentur magnalia Dei, &

vt Author dicit, in ipſa lingua Deum laudent. ¶Tu attende: Datur lingua in mercedem. quia enim Authoris lingua laborauit orando, datur ei in ſtipendium, vt lætetur laudando. Ergo, vt merces Diuitis illius
Luc.16. erat, vt lingua quæ delicijs affluebat in hoc ſeculo, amburatur in inferno: ita merces linguæ laborantis in oratione eſt, vt delectetur in Dei ſui laudatione.

TERTIA PARS.

Inuitat tandem ad Sapientiam.

13 A*Ppropiate ad me indocti, & congregate vos ad domum diſciplinæ. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ veſtræ ſitiunt vehementer. Aperui os meum, & locutus ſum.* Imitatur Sa-
Prouer.9. lomonem dicentem: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Et inſipiẽtibus locuta eſt, Ve-
Prouer.1. nite, comedite, &c. Et item, Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient? &c. Ita nũc Author indoctos ad Sapientiam inuitat. Quia verè in-
Pſal.93. doctus eſt, quem tu non erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Iam quia Author videbat ſe Dei lumine colluſtratum, nihil verebatur dicere, Appropiate ad me.
Pſal.33. Quaſi diceret, Accedite ad me, & illuminãmini, &c. Et ego certò credo, Authorem in
Actor. vlt. aliqua domo docuiſſe. Sicut & Apoſtolus in ſuo conducto docebat omnes ad ſe venientes. Ad hanc igitur domũ Author diſcipulos inuitat: quam domũ diſciplinæ vocat. Quid ceſſatis? quid in his verbis meis excuſatio-

ſationis habetis? Si animæ veſtrę ſunt velut terra arida, & inaquoſa: ego os meũ aperui, vt velut imbres mitterem eloquia mea, cur non venitis ad bibendũ? Simile dixit Dominus: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Simi- *Iohan.7.* le & Iſaias, Omnes ſitiẽtes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite abſque ar- *Iſaia 55.* gento. Quę verba Author imitatur, dicens:

Comparate vobis ſine argento, & collũ veſtrum 41 *ſubijcite iugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinã. in proximo eſt enim inuenire eam.* Quatuor nobis proponit rationes, propter quas accedere ad Sapientiam cõueniat. Prima eſt, quia ſine argento nobis cõmunicatur. cùm planè, & ſi nõ niſi grandi pretio daretur, grande pro ea pretiũ dandũ eſſet à nobis. Quam *Matth.16.* enim commutationem dabit quis pro anima ſua? Si enim dederit homo vniuerſam *Cant.8.* ſubſtantiam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. At mira Dei prouidentia eſt, vt quæ tam neceſſaria nobis ſunt, & tam ſunt in ſe pretioſa, nullo pretio dato, ea comparare poſſimus. Secunda ratio eſt: Quia cùm anima noſtra nata ſit, vt ſub iugo ſit: (Siquidem peccatorum vox eſt, Proijciamus à no- *Pſal.2.* bis iugum ipſorum. Nam mali homines à ſeculo ruperunt vincula, confregerunt iugum.) Domini igitur vox eſt, Tollite iugum *Matth.11.* meum ſuper vos. In eundem finẽ ſonat Authoris vox, collum veſtrum ſubijcite iugo. Rectè planè Hebræi, hominem iniquũ vocant virũ belial, id eſt, ſine iugo. Quàm verò *1.Reg.25.*

nobile eſt Sapientiæ iugum, is nouit, qui iugum habet. Tertia, ſuſcipiat anima veſtra diſciplinā. Anima noſtra nata eſt, vt tabula
Ariſtoteles. raſa, ſine vlla pictura : nata picturæ tamen.
Iob 5. vt enim corpus ad laborem natum eſt : ita anima ad eruditionem. Ergo ſuſcipiat anima colores ſuos : ornetur ornamentis ſuis : depluatur terra pluuia ſuâ : ornetur cęlum ſtellis ſuis. Quarta ratio, in proximo Sapi-
Rom. 10. entia eſt. Ne dicas, Quis aſcendet in cælum, vt eam inde afferamus? aut quis deſcendet in infernū, vt inde eam attollamus? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo. Ieiunio & oratione comparatur. imò oratione ſolet nonnunquam comparari. Imò & Sa-
Sap. 6. pientia aliquando præoccupat, qui ſe concupiſcit. Nam deſiderium ſui ipſa facit : &
Iohan. 20. ipſa ſe quærentibus oſtendit : vt Chriſtus Magdalenæ. & quò magis ſe quærenti præbet, hoc magis in eo quærendi ſtudium ac-
Apoc. 1. cendit. vt ſit ipſa initium, medium, & finis,
15 *Videte oculis veſtris quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Prior ſenſus eſt : Videte obſecro, ſi pro ſapientia obtinenda aliquātum laborarim, multam in ea tamen requiem inueni. Quis enim poſſet tam multa de quauis materia, vt ſcripſi, ſcribere, niſi qui requiē multā animo haberet? Alter ſenſus germanus, vt credo, eſt : Oculis veſtris me cōſpicite, laboraui equidem ſub iniquo Rege : ſed me iam videtis in multa requie felicem. id verò factum eſt ob Sapientiam. eam & vos cōparate. Videtur Author, poſt affli-

afflictionem,multam felicitatem habuiſſe: vt olim Iob,vt poſtea Dauid, & alij multi.

16 *Aſſumite diſciplinam in multo numero argenti, & copioſum aurum poſſidete in ea.* Id eſt, Reuera qui Sapientiam poſſidet,multum numerum argenti, copioſumq́ numerum poſſidet auri.Tritum illud,Melior eſt Sapientia, quàm opes. Dicente Salomone, Melior eſt Sapiẽtia cunctis pretioſiſſimis : & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Si Sapientia humana acquirit vim magnã argenti & auri, vt qui eam habet, ditiſſimus efficiatur : num non plus Diuina Sapientia valebit? Planè multum aurum multũ dat poſſidenti gaudium : at quantò maius gaudium Sapientia ſe poſſidenti largitur? Roga Sapientem, vt Sapientiam pro auro & argento commutet, videbis quàm pro nihilo & aurum æſtimet & argentum. Demum, certò crede futurum, vt ſi poſſidenti Sapientiam expedierit omne aurum habere, Sapientia ei omne aurum dabit. vt Sapienti olim dedit Salomoni: cui,quia Rex erat,aurum habere conueniebat.

Prouer.8. Cant.8. 2.Paral.9.

17 *Lætetur anima veſtra in miſericordia eius, & non confundemini in laude ipſius.* Scio Græcis relatiua, eius,& ipſius, eſſe maſculina, & ita ad Deum, non ad Sapientiam referri. ſed cùm Græci codices tam ſint ſæpe varij,magis placet ad Sapientiam referre. vt ſit ſenſus: Cùm Sapientia ſe vobis miſericordem, & benignam oſtenderit, lætetur anima veſtra: aperiat vniuerſos ſinus ſuos, vt benignita-

Pſal.83. gnitatem Sapientiæ ſuſcipiat. Cor meum, inquit, & caro mea exultauerunt in Deum
Pſal.18. viuum. Dulciora ſunt iudicia Sapientiæ ſuper mel & fauum. eſt enim Sapientia Verbum Dei, Filius Dei. O quantum ille animam lætam reddere poteſt! O quàm rectè,
Eccli 24. Spiritus meus ſuper mel dulcis: & hæredi-
Eccli 14. tas mea ſuper mel & fauũ. Vide ſuprà c.14. in fine. Iam verò dictum eſt, Sicut adipe &
Pſal.62. pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. Nam vbi anima exultatione Sapientiæ adimpletur, laudes Dei eructat & ebullit. Hoc dicit Author, Lætetur anima veſtra in miſericordia Sapientię: tunc eam laudabitis. nec vos pudebit vnquam ipſam laudaſſe. Pudebit laudaſſe diuitias, honores, demũ laudaſſe terrena. at pulchram, diuitem, & honeſtiſſimam Sapientiam, amaſſe, & laudaſſe nunquam in ſecula pudebit.

18 *Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtrã in tempore ſuo.* Duo præcipit. Alterum, vt operemur opus noſtrum. alterum, vt id operemur ante tempus. Do-
Luc.6. minus dixit, Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Ergo tẽporalia bona vix noſtra ſunt: venit enim fames, mors, aut alius caſus, & aufert ea à nobis. At ſpiritualia, noſtra ſunt: quæ nemo à nobis auferre poteſt. Hæc noſtra iubet Author, vt operemur. Ita Dominus,
Iohan.6. Operamini non cibum, qui perit: ſed qui permanet in vitam æternam. Et planè ſumus ra-

mus rationales, ergo opus noſtrum opus rationis, nõ carnis erit. Operemur ergo opus rationis, id eſt enim opus noſtrum. Alterum eſt, vt operemur opus noſtrum ante tempus. Gloſa interlin. intelligit ante tempus Iudicij: Lyranus, ante tempus mortis. *Gloſ. interlin.* *Lyranus.* Senſus eſſe poteſt: Operamini in iuuenta, vt ego feci, qui ante tempus poſtulaui eam, cùm nondum tempus videbatur petendi. Secundò, ſenſus eſt: Ne expectetis tempus quærẽdi Sapientiam, præuenite omne tempus. fallimini ſi creditis ſenectam expectandam, ad eam quærendam: arripite igitur quamuis eam comparandi occaſionem. Ne contingat vobis, quod contigit Sponſæ, quę cùm aperuit peſſulum oſtij ſui, Sponſum, *Cant. 5.* qui diu ad ianuam pulſauerat, iam abijſſe dolet. Valet igitur illud, operamini ante tempus, id eſt, operamini etiam ante tempus. Dabit, inquit, mercedem in tempore ſuo. Dabit ſ. Sapientia mercedem, non quouis tempore: ſed tempore ſuo, cùm oportuerit. ¶ Nota primò ex priori clauſula, Sapientiam habere miſericordiam, in qua lætetur anima. Secundò, habere laudes, de quibus nemo verecundetur. Tertiò, Sapientiam habere mercedem quam operantibus det, ſ. æternam felicitatem. Quartò nota, Dabit vobis mercedem, contra Lutheranos negantes iuſtitiæ, & mercedis opus. Sed quintò nota, Licet agnoſcamus opus meriti, & iuſtitiam mercedis, vtrumque tamen dat Sapientia iuxta illud, Gratiam & glo- *Pſal. 83.*

riam

riam dabit Dominus. Conſultò igitur Author non dixit, reddet mercedem: ſed dabit. Sextò nota, Licet merces detur, taxata tamen datur. ideo dixit, dabit mercedem veſtram. quam ſ. cuique ſua opera taxauerunt. Reddet enim coronam iuſtitiæ iuſtus iudex, qui cuique, iuxta quantitatē & qualitatem operis, mercedem reddet laboris. Demum ſeptimò nota, Non eſſe nunc tempus mercedis, lætitiæ, & diuitiarum. Militię nunc tempus eſt, & laboris. Ergo ſi nunc hæc Deus daret, non ſuo tempore daret. Si hæc tibi voles, ſuo tempore expecta. Nihilominus tamen & hoc credamus, ſi ita expedierit, hæc nobis nunc etiam affutura. ſi tempus oportunum Sapientiæ viſum fuerit dandi nunc, nunc etiam dabit. Dabit enim tempore ſuo. Nam & Iob, & Tobias opes habuerunt & honores in hoc ſeculo: Nam planè decuit, ea etiam præmia proponi his, qui ſicut illi pugnarint, ſi his ſicut illis ita conuenerit. Id enim à Iudice qui vera Sapientia eſt ſperabimus.

2. Tim. 4. — *Iob 7.* — *Iob vlt.* — *Tob. vlt.*

LAVS DEO.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOT. IN ROMA

1-6-2